





2
3
200











A5


III


DE
STVDIO
PERFECTIONIS
LIBRI DVO
PER
P. IOANNEM
CROMBECIVM
SOCIETATIS
IESV.
ANTVERPIAE
APVD IOACH. TROGNESIVM.
M. DCXIII.

D. O. M.

AVGVSTISSIMÆ

TRINITATI

PATRI ET FILIO

ET

SPIRITVI

SANCTO.

OPVSCVLVM hoc de ſtudio PERFECTIONIS, Tibi, tamquam Auctori, minimæ Societatis tuæ & ſeruorum tuorum omnium ſeruus infi-

 mus

mus voueo, do, dico, & consecro: cui enim digniùs vel posſim, vel debeam?

Multa accepi; pauca reddidi. En libellos duos; minuta duo, in gazophylacium tuum, benignisſime Domine, lubens depono.

ET quia indignus ſum, qui Maieſtati tuæ illud offeram; Magnæ Matri, Magnę Virgini, (cui ſecundùm Te hoc opus debeo) Tibi in cęlis offeren-

ferendum committo; in grati animi ſignificationem, pro infinitis acceptis beneficiis.

IN terris verò, vt ſolent Religioſorum vota à Prælatis acceptari tuo nomine; huic quoque legi me ſponte ſubmitto: atque è Societatis tuæ deſiderio, Reuerendo Domino GVILHELMO LOEMELIO, antiqui iuxtà ac venerabilis Cœnobii Sanĉti Bertini Abbati, (quem

à pri-

à primis ætatis annis germanum S. Benedicti filium, virtutis studiosum, honestatis & grauitatis, modestiæ ac pietatis ornamentis, aliisque præclaris animi corporisque dotibus, futuri gradus indicibus, quas deinceps religiosis moribus, perpetua constantia, ac eruditionis laude cumulauit, præstantem cognoui) tuo nomine acceptandum defero.

TRI-

TRIBVE, Clementiſsime Domine, vt, quod ſcripſi, primus obſeruem, deinde qui legerint.

Quod referam pro beneficio nihil habeo, quod idem à te non acceperim. Reddo id omne, quod dediſti: optarem plura. Te Deum agnoſco, & præter te nullum. Te principium & finem omnium proſtratus adoro. Tibi vni ab omni creatura laus, honor,

gloria, gratiarum actio, virtus, fortitudo, Maiestas & imperium annis perennibus.

AMEN.

PRÆFATIO.

CARISSIMIS FRATRIBVS STVDIVM PERFECTIONIS.

SCRIPSI, fratres amantissimi, de studio PERFECTIONIS. Vos me coëgistis: ardentissimum enim PERFECTIONIS vestræ desiderium, pietas, suauissimaque caritas, mihi ardentes faces admouerunt. Multa à singulis priuatim mihi proposita: plurima in collationibus spiritualibus, quæ hoc alteroque secessu vestro annuo, otio verè negotioso, & negotio vtiliter otioso, institutæ sunt. Optastis frequentiùs vobis copiosiùs responderi. Insinuatio desiderij vestri mihi instar machinarum & arietum est: *repletus sum consolatione, superabundo gaudio*, vestrum in Domino profectum, vestram æmulationem sanctam considerans. Video teneras IESV Christi plantas exurgentes, quæ (vt spero) in arbores excrescent non infecundas. Magno sanè mihi solatio est consideranti virtutem cum eruditione certare, nec opprimi spiritum scientia ac studijs, sed eundem crescere, roborari, ornari, & ad frugem in Ecclesiam Dei inuehendam disponi; meritoque mihi venit in mentem, vt cum D. Paulo *gratias agam Deo meo pro gratia quæ data est vobis in Christo* IESV, *quia in omnibus diuites facti estis in illo, in omni verbo, & in omni scientia; ita vt nihil vobis desit in vlla gratia, expectantibus reuelationem Domini nostri* IESV *Christi, qui & confirmabit vos vsque in finem sine crimine. Fidelis Deus, per quem vocati estis in Societatem Filij eius* IESV *Christi Domini nostri*. Vos hortor in Domino, vt (quemadmodum cœpistis) humaniorum litterarum, Philosophiæ, ac Scholasticæ Theologiæ studium sedulò, religiosè, magnoque honoris diuini zelo prosequamini, ad laudem & gloriam illius, qui vos in Societatem Filij sui vocauit. Res non tam vestra quàm eius agitur. Arma ac supellectilem comparatis futuræ expeditioni, contra dæmones omnes, qui supremæ Maiestatis gloriam nomenque extinctum volunt; contra vastissimas illas Regiones, veri Dei cognitione destitutas, Indiam vtramque, Orientalem & Occidentalem; contra amplissima Regna Chinarum & Iaponum, aliásque Prouincias hæresεωn furore ac dementia occupatas. Illic fratres vestri magna vocis contentione vos opemque vestram appellant in subsidium. [a] *Totus* deinde *mundus in maligno positus est*; &, quia in sapientia sua gloriatur, contemnit illitteratos; vult pecora in agros ablegari; nobis exprobrat infantiam atque ignorantiam. Certè contra malitiam, quæ calliditate & astutia nititur, scientia, arte, ingenio, iudicioque opus est.

2. [b] Est præterea Scientia magnum virtutis ornamentum, animæ eximium decus ac perfectio, quæque vt ceteras artes, ita & PERFECTIONIS adipiscendæ egregiè promouet studium. D. Basilij [c] verba sunt: *Poëtis & Oratoribus & omnibus hominibus vtendum est, vnde futura sit aliqua vtilitas, quæ ad animæ initium.*

2. Cor. 7.

1. Cor. 1.

a *1. Ioan. 5.*

b *Scientias humanas non obesse studio Perfectionis, aut Theologiæ mysticæ, declaratur.*

I. *Auctoritate Patrum.*

c *Homil. 24. ad Adolesc. quomodo ex libris Gentilium proficiant; post*

Simile. *faciat ædificationem. Velut enim fallones ac tinctores, qui medicamentis quibusdam rem præparant, atque ita demum colorem quem cupiunt, siue purpureum, siue aliquem alium, inducunt; sic & nos si gloria pulchritudinis vitæ huius, quam tantopere laudamus, illita nobis mansura sit, nisi prius purgati, sacras & arcanas Scripturæ disciplinas non facile attingemus aut percipiemus.* De Origene scribit Eusebius, *ipsum idiotas & imperitos ad discendum cohortari solitum fuisse; quòd non parum ad intelligentiam sacrarum Scripturarum emolumenti eis conferret, si aut liberalibus litteris, aut etiam Philosophicis, exercerentur. Dicebat enim, hanc nostram, veram esse Philosophiã; cuius pars illa Græcorum, quæ verè non est Philosophia, præcesserat. Non ergo aiebat idcirco debere par..s suas omittere veritatem, quia illas sibi præueniens falsitas vindicasset.* Hæc Eusebius. Eam enim veram Philosophiam volebat esse Origenes, quæ virtutis studio iungeretur. Hieronymus verò, scribens ad Pammachium, sic eleganter hoc argumentum persequitur: *Si adamaueris [a] captiuam mulierem, id est, sapientiam sæcularem, & eius pulchritudine captus fueris; decalua eam, & illecebras crinium & ornamenta verborũ cum emortuis vnguibus seca; laua eam Prophetali [b] nitro, & tunc requiescens cum illa dicito: [c] Læua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me. Et multos tibi fetus captiua dabit, & de Moabitide efficietur Israëlitis.* Hæc Hieronymus, quasi dicat: Nolo alienigenam, cum ea veste qua capta est, tibi despondeas: decalua verticem eius; superbiæ vanæque opinionis ei tiaram detrahe; induc *pro crispanti crine*, ambitionisque & honoris desiderijs, (quæ scientijs humanis facilè sese immiscent) *caluitium*; prauæ intentionis ne pilus quidem remaneat; seca auaritiæ & tenacitatis vngues; mollitiæ vestem, ac *spiritum* libidinosum, studijs maximè intempestiuum, *qui te colaphizet*, quique magis ambitiosè vaneque quàm religiosè scientiam quærentibus subinde insidiatur, exue; & nitro diuinæ gratiæ, quæ diuinum honorem in studijs spectantibus datur, conscientiæ tuæ faciem laua & exorna. Verùm Hieronymum ipsum hanc sacræ paginæ figuram interpretantem audiamus. *Legerat*, inquit, (de B. Paulo loquitur) *in Deuteronomio Domini voce præceptum, mulieris captiuæ radendum caput, supercilia, omnes pilos & vngues corporis amputandos, & sic eam habendam in coniugio. Quid ergo mirum, si ego sapientiam sæcularem propter eloquij venustatem & membrorum pulchritudinem de ancilla atque captiua Israëlitidem facere cupio? & quidquid in ea mortuum est idololatriæ, voluptatis, erroris, libidinum, vel præcido, vel rado, & mixtos purissimo corpori vernaculos ex ea genero Domino Sabaoth: labor meus in familiam Christi proficit.* Pulchre quoque D. Basilius Studiosos integra homilia instruit, & inter cetera prolixè hortatur, vt apum industriam imitentur in deligendis floribus. *Velut florum*, inquit, *reliquis vsque ad odorem vel colorem est vsus; apes autem mel ex ipsis excerpere nouerunt: sic & qui diligentes in legendo non solùm quod dulce iucundumq; fuerit in eorum libris persequuntur, sed quandam ex eis vtilitatem animo referre contendunt. Velut item apes non omnibus floribus insidunt, neque ex eis, ad quos accedunt, omnia auferre conantur, sed, quantum ipsis ad opus necessarium fuerit comprehendentes, reliquum dimittunt; nos etiam vt sobrij sapientesq; quantum congruum nobis propinquumq; veritati ex ipsis fuerit sumentes, reliquum prætereamus. Et sicut in legendis rosis sentes vitamus; sic in talibus sermonibus quidquid est vtile carpentes, noxium vitemus.* Hactenus Basilius.

Lib. 6. histor. Eccles. cap. 14. versionis antiquæ.

Epist. 26. ad Pammachium super obitu vxoris Paulinæ.

a Deuter. 21.
b Ierem. 2.
c Cant. 2.

Isaiæ 3.

2. Cor. 12.

Ierem. 2.

Epist. 84. ad Magnũ Orat. Rom. tomo 2.
Deut. 21.

Hom. 24.

Similia.

3. Non ego vos arbitror, fratres, adeò dementes esse, vt quisquilias granis, auro rubiginem, simulacrum veræ scientiæ præferatis; inter sæculares

alioquin

alioquin vos remansisse oportuerat: sed ex Ægypto egredientes, inuitos *Ægyptios spoliastis*, eorum ornamenta in cultum diuini Numinis asportantes. *Exod. 12.* Nec id difficile in Religione, vbi inter pleraque, quæ tractantur, parua differentia est: alij namque templi materialis ornandi curam habent, alij mensæ parandæ ac ciborum; alij ianuas aperiunt, alij morbidos solantur, sepeliunt alij mortuos. Singula vna obedientia ac caritate nobilitantur. Quanto magis litteræ, quæ ad animarum Creatori vel conciliandarum vel conseruandarum salutem procurandam aptissima sunt instrumenta, si humiliter, si cum caritate, si ex obedientia tractentur! Nobilissima hæc vestis est, quæ immensum decus ac valorem ignobili alioquin trunco impertitur: aurea sunt omnia, omnia viua, quæ tali veste amiciuntur atque adornantur. *Beati illi, quorum opus* (ait B. Augustinus) *assidua oratio est*. Pari modo beati illi, quorum opus perpetua caritas est, quorum mens non minùs in Deum assurgit lectione cuiuspiam Poëtæ aut Oratoris profani, quàm pij alicuius auctoris. Amor plurimum valet, & is omnia in rem amatam facilè transfert.

4. Huiusmodi scientiæ, quæ sic acquiritur, eximij fructus existunt, cùm in eruditorum animis, tum in vniuersam Ecclesiam emanantes. Viri humiles, præclarisque virtutibus præditi, magni sunt, sed apud Deum; mundus eos non cognouit: expedit ad cæcorum mortalium animos demerendos, vt ijs non hispidus appareas, sed cum pulchra veste & ornamentis, quorum aspectu capiantur. Hoc pijssimus Bernardus neruosè paucis verbis declarat. *Non ignoro*, ait, *quantum Ecclesiæ profuerint scientiæ, & prosint litterati viri, siue ad refellendos eos qui ex aduerso sunt, siue ad simplices instruendos. Denique legi: Quia tu repulisti scientiam, repellam & ego te, vt non fungaris mihi sacerdotio. Legi: Qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti; & qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates*. Hoc quoque eleganti comparatione D. Basilius. *Velut plantis*, inquit, *quibus propria virtus est, fructu pulcherrimo scatere; folia nihilominus ramis coniuncta quendam ferunt ornatum: sic & anima, cui præcellens quidem veritas fructus est, non abs re tamen exteriore sapientia circumdatur, sicut folijs quibusdam vmbram fructui & aspectum non intempestiuum præbentibus*. Hactenus Basilius.

2. Ab vtili.

Serm. 36. in Cant.

Osee 4.

Dan. 12.

Homil. 24.

5. Hæc deinde scientia, caritate vestita, sanctorum Patrum sanctitatem & auxit & illustrauit. Eorum exempla virtute ac scientia illustria, quid nobis sit agendum, sat clarè loquuntur. Quàm eruditè, quàm eleganter D. Augustinus argumentum hoc confirmat! *Philosophi* (ait) *qui vocantur, si quæ fortè vera & fidei nostræ accõmoda dixerunt, maximè Platonici, non solùm formidanda non sunt, sed ab eis etiam, tamquam iniustis possessoribus, in vsum nostrum vendicanda. Sicut enim Ægyptij non solùm idola habebant, & onera grauia, quæ populus Israël detestaretur & fugeret; sed etiam vasa atque ornamenta de auro & argento, & vestem, quæ ille populus exiens de Ægypto sibi potiùs tamquam ad vsum meliorem clanculò vendicauit, non auctoritate propria, sed præcepto Dei, ipsis Ægyptijs nescienter commodantibus ea, quibus non bene vtebantur: sic doctrinæ omnes Gentilium non solùm simulata & superstitiosa figmenta grauesq; sarcinas superuacanei laboris habent, quæ vnusquisque nostrûm, duce Christo de societate Gentilium exiens, debet abominari atque deuitare; sed etiam liberales disciplinas vsui veritatis aptiores, & quædam morum præcepta vtilissima continent, deq; ipso vno Deo colendo nonnulla vera inueniuntur apud eos: quod eorum tamquam aurum & argentum, quod non ipsi instituerunt, sed de*

3. Ab exemplo sanctorum Patrum.

Lib. 2. de doctr. Christ. cap. 40.

Exod. 12.

quibusdam quasi metallis diuinæ prouidentiæ, quæ vbique infusa est, eruerunt, & quo peruersè atque iniuriosè ad obsequia dæmonum abutuntur, cùm ab eorum misera societate sese animo separat, debet ab eis auferre Christianus, ad vsum iustum prædicandi Euangelij. Vestem quoque illorum, id est, hominum instituta, sed tamen accommodata humanæ societati, qua in hac vita carere non possumus, arripere atque habere licuerit in vsum committenda Christianum. nam quid aliud fecerunt multi boni fideles nostri? nónne aspicimus quanto auro & argẽto & veste suffarcinatus exierit de Ægypto Cyprianus Doctor suauissimus, & Martyr beatissimus? quanto Lactantius? quanto Victorinus, Optatus, Hilarius? vt de viuis taceam; quanto innumerabiles Græci? quod
Act. 7. *prior ipse fidelissimus Dei famulus Moyses fecerat, de quo scriptum est quòd eruditus fuerit omni sapientia Ægyptiorum. Quibus omnibus viris superstitiosa Gentium consuetudo, & maximè illis temporibus, cùm Christi iugum decutiens, Christianos persequebatur, disciplinas quas vtiles habebat numquam commodaret, si eas in vsum vnius Dei colendi, quo vanus idolorum cultus exscinderetur, conuersum iri suspicarentur: sed dederunt aurum & argentum & vestem suam exeunti populo Dei de Ægypto, nescientes quemadmodum illa, quæ dabant, in Christi obsequium redderentur.* Hoc Diui Augustini testimonium instar ceterorum esse debet, vtpote ad probandum, quod intendimus, omnibus numeris absolutum: ideóque taceo Hieronymum, qui integra epistola ad Magnum Oratorem Romanum copiosè argumentum istud pertractat.
Epist. 84. tomo 2.

4. *Sacræ Scripturæ testimonijs & exemplis.*
6. Addit tamen inter cetera, hanc doctrinam sanctos Patres hausisse ex diuinis litteris. *Quis nesciat,* inquit, *in Moyse & in Prophetarum voluminibus quædam assumpta de Gentilium libris? & Salomonem Philosophis Tyri & nonnulla*
Prouerb. 1. *proposuisse, & aliqua respondisse? vnde in exordio Prouerbiorum commonet, vt intelligamus sermones prudentiæ, versutiasq́; verborum, parabolas, & obscurum sermonem, dicta sapientum, & ænigmata; quæ propriè Dialecticorum & Philosophorum sunt. Sed*
Tit. 1. *& Paulus Apostolus Epimenidis Poëtæ abusus versiculo est, scribens ad Titum: Cre-*
1. Cor. 15. *tenses semper mendaces, ventres pigri. In alia quoque epistola Menandri ponit senarium: Corrumpunt enim mores bonos colloquia praua. Et apud Athenienses, in Mar-*
Act. 17. *tis curia disputans, Aratum testem vocat: Ipsius enim & genus sumus. Ac ne hoc parum esset, ductor Christiani exercitus & Orator inuictus, pro Christo causam agens, etiam inscriptionem fortuitam* (nempe, Ignoto Deo) *arte torquet in argumento*
1. Reg. 17. *fidei: didicerat enim à vero Dauid extorquere de manibus hostium gladium, & Goliæ superbissimi caput proprio mucrone truncare.* Hæc Hieronymus.

5. 7. Nouerant quippe sancti Patres, [a] Rachel, mulierem sanctam, idola patris
Figuris sacræ Scripturæ. in bonos vsus furatam fuisse; [b] Gedeonem, iubente Domino, taurum patris abstulisse, & alterum à cultoribus Baal, succisóque nemore, quod circum
a Gen. 31. aram Baal erat, holocaustum ex ijs vero Deo obtulisse; nihil obesse quo mi-
b Iudic. 6. nùs falsorum Deorum ac Gẽtilium res gestas in æterni Numinis obsequium
1. Reg. 6. transferamus, si modò igne sacro cuncta expientur: nouerant Bethsamitas, visa arca Dei, concidisse ligna plaustri, quo ipsa vehebatur, vaccasq́ue, quæ
2. Reg. 8. plaustrum traxerant, superpositas immolasse Domino; Dauidem sanctissimum Regem arma aurea, quæ habebant serui Adarezer, detulisse in Ierusalem, & vasa aurea, argentea, & ærea sanctificasse Domino cum argento & auro, quæ sanctificauerat de vniuersis gentibus quas subegerat, & ex his
1. Mach. 3. vasa, templo excitato, conflata fuisse; denique gladium Apollonij Iudam abstulisse, in quo (vt ait Scriptura) pugnans erat cunctis diebus: victis namque

que hostibus, gloriosum est eorum armis vti; vt, quibus ipsi iugulum nostrum petebant, iisdem nos ceruices demetamus. Hæc sanctorum Patrum doctrina est; quos si vitæ morumque duces sequamur, à rectitudine viæ aberrare non possumus.

8. Hortantur tamen, & sedulò inculcant, caueamus à superbia: scientia enim sine caritate stultitia est. *Scientia inflat*, (ait [a] Apostolus) *caritas verò ædificat. Quid ergo?* (ait [b] Augustinus) *scientiam fugere debetis, & electuri estis nihil scire potiùs quàm inflari? Vt quid vobis loquimur, si melior est ignorantia quam scientia? vt quid vobis disputamus? vt quid, quod nostis, admonemus; quod non nostis, inferimus? Scientia cauenda est ne inflet: ergo amate scientiam, sed anteponite caritatem. Scientia si sola sit, inflat; quia verò caritas ædificat, non permittit scientiam inflare. Ibi ergo inflat scientia, vbi caritas non ædificat; vbi autem ædificat, solidata est. Non est ibi inflatio, vbi Petra est fundamentum. Quando autem tentat inflatio, hoc est, elatio? vtique vbi & quando caritas deest.* Hæc Augustinus: vbi mentium piarum timorem ac dubitationem exoluit; quæ dum litterarum studijs incumbunt, meliorem partem relinquere formidant: quòd studia mysticam Theologiam impedire videantur, aut superbiæ magnam ansam præbere. Arbitror tamen verum esse, quod nonnullis probatur, superbiæ matrem esse ignorantiam. Si enim animus sese cognosceret, non facilè se extolleret. Addo ignorantiam cum superbia magnum habere commercium. *Omnes enim*, ait quidam, *trahimur & ducimur ad cognitionis & scientiæ cupiditatem, in qua excellere pulchrum putamus: labi autem, errare, nescire, decipi, & malum & turpe dicimus.* Hinc fit, vt ignorantes, qui minùs æstimari quàm ceteri nolint, exigua sæpe ostentent pro magnis, ne ignorantes habeantur; quod eruditis non accidit. vt enim Reges, aut Principes, aliíque ex illustri genere orti, non egent veste elegantiori, per quam nobilitas stemmataque eorum appareant; illis abunde est, id omnibus esse perspectum: sic eruditis ostentatione opus non est. imò verò excellens eruditio magnam ad humiliter de se sentiendum facem præfert: quo enim quis in aliquo genere scientiæ ampliùs profecit, eo plura sibi deesse in hac ceterisque scientijs cognoscit, meritóque sese discipulum ac tironem reputat, cùm immensum pelagus scientiarum illi sese obijciat, cui vixdum digitum immersisse sibi persuadet.

Obiectioni respondetur.
a 1. Cor. 8.
b Sermone 53. de Verbis Domini, cap. 6.
Cic. lib. 1. de Offic. init. de prudent.
Similitudo accommoda.

9. Hæc verò non ita à me dicta sint, vt PERFECTIONEM in cognitione rerum humanarum collocandam esse existimem; absit: sed pijs infirmísque mentibus satisfacere volui. [c] *Æmulamini* interea, amantissimi fratres, *charismata meliora*. En, *adhuc excellentiorem* humanis scientijs *viam vobis demonstro*: Amate scientiam, sed præferte caritatem: propono vobis studium PERFECTIONIS, quod ceteris omnibus præponendum est. Cùm studium PERFECTIONIS nominamus, duo dicimus: finem, quæ PERFECTIO est; & viam ad finem, quod vestrũ studium est. PERFECTIONEM voco cum [d] D. Augustino, *cui nihil additur, cùm id, quò tenditur, ceperit, possederit*; summa hæc est PERFECTIO. Aristoteles id perfectum esse definit, cui nihil deest: cuius sententiæ [e] Clemens Alexandrinus, ac [f] D. Ambrosius, (quos secutus est D. Thomas) subscripserunt. At quis mortalium sic perfectus est, vt nihil ei desit? probat D. Thomas hanc PERFECTIONEM soli Deo competere. [g] PERFECTIO, inquit, *alicuius rei triplex est. Prima quidem, secundùm quod in suo esse constituitur: secunda, prout ei aliqua accidentia super-*

Præferatur Perfectio scientiæ.
c 1. Cor. 12.
d Lib. de nat. & grat. cap. 12. tomo 7.
e Lib. 1. Pædag. cap. 6.
f Lib. 2. cap. 6. de Iacob & vita beata.
g Part. 1. q. 6. art. 3.

addun-

adduntur ad suam perfectam operationem necessaria: tertia verò perfectio alicuius est, per hoc quod aliquid aliud attingit sicut finem. Vtpote prima perfectio ignis consistit in esse quod habet per suam formam substantialem: secunda verò eius perfectio consistit in caliditate, leuitate, siccitate, & huiusmodi: tertia verò perfectio eius est secundùm quod in loco consistit. Hæc autem triplex PERFECTIO *nulli creato competit secundùm suam essentiam, sed soli Deo, cuius solius essentia est suum esse; & cui non adueniunt aliqua accidentia, sed quæ de alijs dicuntur accidentaliter, sibi conueniunt essentialiter, vt esse potentem, sapientem, & huiusmodi. Ipse etiam ad nihil aliud ordinatur sicut ad finem, sed ipse est vltimus finis omnium rerum: vnde manifestum est, quòd solus Deus habet omnimodam* PERFECTIONEM *secundùm suam essentiam*. Hæc Diuus Thomas. De hac Dei PERFECTIONE dicturi sumus cap. I.

Perfectio tribus modis accipitur. 10. Sed quid de nostra? PERFECTIO in Scripturis non vno modo accipitur. Interdum enim perfecti dicuntur, qui semper actu diligunt Deum, & omnia, quæ faciunt, actu in ipsum referunt: cum qua PERFECTIONE

1. nullum peccatum, ne veniale quidem, potest consistere. Hæc PERFECTIO propria Beatorum est, estque illa PERFECTIO, quam modò Diuus Thomas attigit, secundùm quod vnumquodque in suo loco quiescit; &, vt

Vbi suprà. loquitur D. Augustinus, *cui nihil additur, cùm id, quò tenditur, ceperit, possederit*.

Phil. 3. Apostolus de hoc gradu PERFECTIONIS loquens, ait: *Non quòd iam acceperim, aut iam perfectus sim; sequor autem, si quo modo comprehendam in quo & comprehensus sum à Christo* IESV.

2. 11. Perfecti etiam dicuntur, & quidem valde frequenter in sacris litteris, qui Deum super omnia diligunt: & licet non referant actu res suas in obsequium Christi, tamen parati sunt potiùs omnium rerum & ipsius vitæ iacturam facere, quàm Dei gratiam & amicitiam perdere; atque ita seruant omnia mandata, dum nihil admittunt, quod caritati, quæ finis præcepti est, repugnet. Necessitatis est PERFECTIO hæc; atque hunc gradum Christus imperauit, cùm ait: *Estote perfecti, sicut & Pater vester cælestis perfectus est*.

Matth. 5.

Gen. 6. De eodem loquitur liber Geneseos: *Noë vir iustus atque perfectus fuit*. & Abra-

Gen. 17. hamo sic Deus mandat: *Ambula coram me, & esto perfectus*. & populo Iudæo-

Deut. 18. rum in Deuteronomio: *Perfectus eris, & absque macula, cum Domino Deo tuo*.

Phil. 3. Denique: *Quicumque perfecti sumus*, ait Apostolus, *hoc sentiamus*.

3. 12. Tertia PERFECTIO est, quæ consilij dicitur. Hac qui perfecti sunt, non semper actu de Deo cogitant, (neque enim diligunt vt Beati) sed Deo totos se consecrant, atque omnia non proposito tantùm, sed re ipsa deserunt, vt Deo placeant; impedimentisque rerum temporalium, corporis & animi, quantum humana fragilitas patitur, sublatis, Deo summo bono adhæ-

Matth. 19. rescunt. de hac Christus locutus est. *Si vis*, inquit, *perfectus esse, vade, vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo; & veni, sequere me*. Sic ergo Deo adhærere, sublatis illis impedimentis, quæ nos omni ex parte remorantur, exterminatis quoque vitijs omnibus ac passionibus, comparatisque virtutibus eidem adhæsioni atque vnioni ancillantibus, PERFECTIO est, quam quærimus.

Perfectionis laus. 13. Hæc est huius viæ beatitudo; Dei opus perfectissimum; summa inter Deum & animam vnio; summa cum Deo amicitia; [a] *Regnum* illud *cælorum*, quod nulli nisi *violenti rapiunt*; [b] *Mons Dei, mons pinguis*; [c] *Thesaurus in agro abs-*

a Matth. 11.
b Psal. 67.
c Matth. 13.

condi-

conditus, ad quem comparandum meritò omnia vendimus, aut relinquimus;
Margarita Euangelica, quam negotiator venditis omnibus suis compa- *Ibidem.*
rat; est *Drachma* quam nemo inuenit, nisi qui quærit; denique est illa *Luca 15.*
Sapientia pretiosior cunctis opibus, regnis & sedibus illustrior, cui aurum & *Sap. 7.*
lapides pretiosi conferri non possunt. Hanc, ô amantissimi fratres, hanc di- *Prou. 8.*
ligite à iuuentute vestra, quærite vobis sponsam assumere, amatores facti *Sap. 8.*
formæ illius. Pulcherrima mater est, & *mater pulchræ dilectionis, & timoris, &* *Eccli. 24.*
agnitionis, & sanctæ spei. Filijs illa suis, qui à se erudiri cupiunt, hanc in primis *Præcepta Sa-*
legem præscribit, vt sola cognitione formæ suæ contenti non sint, sed ner- *pientiæ ad stu-*
uos omnes contendant, conatum adhibeant, viam ineant, vt matris in am- *diosos Perfe-*
plexus ruant, ac possideant. & hæc altera pars est huius Epigraphes, qua *ctionis.*
Opus hoc DE STVDIO PERFECTIONIS insignimus. Non enim 1. *Conatum esse*
dormientibus apparet sapientia, sed ijs qui eam magno STVDIO solicitè *adhibendum.*
quærunt, & ad fores eius vigilant assiduè. quod argumentum fusissimè cùm
diuersis locis, tum maximè libro 2. tractabimus.

14. Alterum præceptum tantæ Matris est, vt à cognitione suiipsius quisque 2.
incipiat. Pulcherrimum illud studium est, & præceptum sapientia dignissi- *Cognitio sui.*
mum: quod Hugo de S. Victore in primis commendat. *Melior es*, ait, *si* *Lib. 1. de ani-*
teipsum cognoscas, quàm si, te neglecto, cursus siderum, vires herbarum, complexio- *ma, cap. 9.*
nes hominum, naturas animalium, cælestium omnium & terrestrium scientiam habe-
res. Multi multa sciunt, & seipsos nesciunt; cùm tamen summa Philosophia sit sui-
ipsius cognitio. Hæc ille. Antequam Christus sese familiariùs Catharinæ Se-
nensi communicaret, ipso (vt scribit Raymundus) diuinarum visionum *In Vita eius*
initio eidem apparens dixit: *Si nosti, filia, quis ego sum, & quæ tu es, beata eris.* *apud Surium*
Ego sum, qui sum; tu es, quæ non es. Hac cognitione freta, omnes facilè conteres la- *tomo 2. die 29.*
queos inimici, numquam venies contra præcepta mea, omnemq; gratiam & veritatem *Aprilis.*
nullo negotio obtinebis. Paucis sensatisque verbis Christus multa complectitur:
si enim ipsum nosque cognouerimus, magnā adepti erimus scientiam. Hinc
prioris huius Operis libri vis in eo tota consistit, vt Deum exemplar aucto-
remque PERFECTIONIS agnoscamus, exilitatem nostram nihilum-
que apprehendamus; (quod tamen per gratiam IESV Christi mutari, exci-
tari, erigique potest) de viribus nostris diffidentes, adhibita simul diligen-
tia, quam à nobis Deus requirit, spem omnem nostram in eum transfera-
mus. Nihil aliud priori libro efficere contendimus.

15. Præceptum sapientis Matris tertium est, si vtiliter studere, si proficere 3.
vlla in re voluerimus, opus esse vt scholam affectus ingrediamur; non pa- *Schola affectus.*
scamus solum intellectum, arida remanente, & insipida, emorienteque vo-
luntate, sed ex omnibus gustet ipsa quàm suauis est Dominus. qua de re sa- *Psal. 33.*
pienter Bernardus exponens illud, a*Si quis se existimat scire aliquid. Vides quo-* *Serm. 36. in*
modo fructum, inquit, *& vtilitatem scientiæ in modo sciendi constituit? Quid* *Cant.*
ergo dicit modum sciendi? quid? nisi vt scias quo ordine, quo studio, quo fine quæ- *a 1. Cor. 8.*
que nosse oporteat. Quo ordine? vt id priùs, quod maturius ad salutem. Quo stu-
dio? vt id ardentiùs, quod vehementius ad amorem. Quo fine? vt non ad inanem
gloriam, aut curiositatem, aut aliquid simile; sed tantùm ad ædificationem tuam,
vel proximi. Quibus tribus capitibus Diuus Bernardus complexus est,
quæ de scientia mystica quæri possunt: nam & huic scientiæ primas me-
ritò tribuimus, tamquam ad salutem necessariæ. Illud quoque præstantissi-

mum studium est, quo animus à Deo pascitur & inflammatur. Denique
nobilissimus ille finis est, qui in Deo conquiescit, à quo nos perficimur, ip-
Lib. 20. Moral. sumque diuinum Numen colitur & honoratur. D. Gregorius hanc affectus
cap. 8. scholam sic cõmendat, vt existimet discipulum proficere non posse, si ab hac
procedendi ratione desciscat; loquens enim de ijs, qui toti in speculatione
& opinione scientiæ inanem pietatis appetitũ relinquunt, sic ait: *Neque enim
ea quærunt, ex quibus semetipsos ad humilitatem erudiant, mores in tranquillitate dis-
ponant, patientiam seruent, longanimitatem exhibeant; sed ea solummodo, quæ eos do-
ctos ac loquaces demonstrent: illa scire appetunt, ex quibus singulariter eruditi videan-
tur. Itaque quia de sublimitate intelligentiæ quanto amplius repleri ambiunt, tanto*
Iob 30. *amplius inanescunt; bene de ijs dicitur, Egestate & fame steriles: immoderatis namque*
Lib. 18. Moral. *ausibus, cognitionis supernæ scientiam quo plus appetunt, plus amittunt.* addit idem:
cap. 7. *Quia dum in sacri verbi pabulo plus quærunt sentire quàm capiunt, semper à veritatis
cognitione ieiunant; & prædicamenta doctrinæ, quæ student ad quæstionem quærere,
habere non valent ad refectionem.*

4. *Praxis scientiæ.*
16. Quartum Matris sapientis præceptum est, vt, quæcumque discimus, ad
Praxim discamus & referamus, & ex omnibus rebus pabulum nobis con-
ficiamus. [a] *Omnia munda mundis*; esurientibus [b] *omnis panis dulcis* est; spiritua-
a Tit. 1. libus omnia spiritualia sunt, & [c] *diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.*
b Eccli. 23. [d] *Cœpit* enim IESVS *facere & docere*. Satis ergo non est Philosophiã aut Theo-
c Rom. 8. logiam, etiam mysticã, addiscere, multa de Dei PERFECTIONIBVS au-
d Act. 1. dire, plurima præcepta moralia excipere; sed agendum est, ad Praxim ve-
niendum. Cognitionis finis Actio: alioquin manca & inanis scientia omnis
Matth. 5. reputanda est. Non qui sciuerit aut docuerit, sed *qui fecerit, hic magnus vocabi-
tur in regno cælorum.* Ad hoc præceptum alter huius Operis liber totus refer-
tur: sine eo cetera parum prosunt. Sancti enim non exultant cùm cogno-
Lib. 22. Moral. scunt quæ faciunt, sed cùm faciunt quæ cognoscunt: &, teste D. Gregorio, *non
cap. 4. est secura lætitia, in diuinis paginis vel fortia vel multa cognoscere, sed cognita custodire.*

5. *Humilitatis amor.*
17. Vltimò satis inculcari non potest, vt, qui sapientiæ scholas adeunt, pro
symbolo ac tessera primaria, virtutis humilitatis insigni induantur; sine qua
non modò scientes veri non erunt, sed stupidi & insipientes reputabuntur.
Ideo D. Augustinus quibusdam locis PERFECTIONEM in humilitate
In Psal. 93. constituit. *Vt perficiamini,* inquit, *primùm præcedere debet confessio peccatorum, sa-*
serm. 2. *lubris pœnitentia; quæ valet ad corrigendum hominem, non ad irridendum Deum.
Cùm autem post pœnitentiam bene viuere cœperit, habet adhuc quod cogitet: ne sibi
tribuat quod bene facit; sed illi gratias agat, cuius gratia factum est vt bene viueret;
quia ille illum vocauit, ille illum illuminauit. Ergo iste iam perfectus est? Non; ad-
huc ei deest aliquid. Quid illi deest? Vt non superbiat super eos, qui necdum sic viuunt,*
In Psal. 130. *quomodo ipse viuit.* Hæc Augustinus, & concludit scribens in Psalmum 130.
sub finem. *Ipsa est* PERFECTIO *nostra humilitas.* Diuus verò Gregorius in illa verba
Iob 37. Iob, *Numquid nosti semitas nubium magnas, & perfectas scientias?* ita ait: *Perfecta*
Lib. 27. Moral. *scientia est, scire omnia, & tamen iuxta quendam modum scientem se esse nescire.* alio
cap. 24. item loco: *Arrogantes ab inuestigatione mysteriorum Dei elatio ipsa scientiæ eijcit,*
Lib. 23. Moral. *dum extollit: est enim obstaculum veritatis, tumor mentis; quia, dum inflat, obnubi-*
cap. 16. *lat. Foris acuti, intus cæci, nec de Deo sentiunt quod dulce interiùs sapiat, sed quod ex-
cussum exteriùs sonet.* Hæc Gregorius.
18. Quæ quidem omnia non tam de studio litterarum intelligenda ve-
niunt,

niunt, quàm Theologiæ mysticæ seu PERFECTIONIS acquirendæ: superbiæ namque materia ac fomentum virtus est, & cognitio; atque in ijs vanitas maleblanda grassatur. In vtroque studiorum genere eius magna occasio ac seges: eo tamen sæpius ac periculosiùs laruata sese ingerit in rerum sublimium notitiam, quàm humilium, quo difficiliùs cognoscitur. Eam detegent fugabuntque singularis animi submissio, amor virtutum, earundem Praxis, cognitio sui ac Dei; & in omni studiorum genere magno erunt & ornamento & præsidio. Et ne longior sim, subijciam quæ B. Thomas Aquinas (quem vobis virtutis & eruditionis ducem delegistis, ideoque gratiorem eius doctrinam ac monita vobis esse mihi persuadeo) in quadam epistola appositissimè huic instituto respondet: supplebit quod breuitati studentes omittimus. Quæsierat ab eo è Religiosis quidam studiosus, qua ratione studia sua institueret; eidem respondet in hæc verba: *Quia quæsiuisti à me, mihi in Christo carissime Ioannes, qualiter te studere oporteat in thesauro scientiæ acquirendæ; tale à me tibi super hoc traditur consilium, vt per riuulos non statim in mare eligas introire. Hæc est ergo monitio mea, & instructio tua. Tardiloquum te esse iubeo,* 6.
& tardè ad locutorium accedentem. Conscientiæ puritatem amplectere. Orationi vacare non desinas. Cellam frequenter diligas, si vis a in cellam vinariam introduci. Omnibus te amabilem exhibe. Nihil quære penitus de factis aliorum. Nemini te multùm familiarem ostendas; quia nimia familiaritas parit contemptum, & subtractionis subito materiam subministrat. De verbis & factis sæcularium nullatenus te intromittas. Discursus, super omnia, fugias. Sanctorum & bonorum vestigia imitari non desinas. Non respicias à quo audias; sed quidquid boni dicatur, memoriæ recommenda. Quæ legis & audis, fac vt intelligas. De dubijs te certifices: & quidquid poteris in armariolo mentis reponere, satage; sicut cupiens vas implere. Altiora te ne quæsieris. Illa sequens vestigia, frondes & fructus in vinea Domini Sabaoth vtiles, quamdiu vitam habueris, proferes ac produces. Hæc si sectatus fueris, ad id attingere poteris, quod affectas. Hæc B. Thomas.

Epist. de modo acquir. scient. opusc. 68. tomo 17.

Præcepta conglobata.

a Cant. 2.

Eccli. 3.

19. Quibus quod addam, ad excitandos litterarum studiosos, & stimulandos virtutis pugiles, nihil habeo. Operis Epigraphen, STVDIVM PERFECTIONIS, exposui: finem facio, libellos hos vobis, quorum gratia scripsi, animo quem nostis, offerens. quibus si dubijs vestris abunde satisfiat, Deum laudate; vtimini, fruimini ad diuini nominis gloriam: sin minùs, æqui boniq́ue consulite. Dominum IESVM diligite; benedictam eius Matrem Virginem, huius palæstræ Præsidem, colite. Valete. Duaci, 2. Iulij, anno M. DC X.

Omnium seruus in Christo

IOANNES CROMBECIVS.



INDEX CAPITVM.


LIBRI PRIMI.

XXII.

LIBRI SECVNDI.

XXX.

XIV





DE STVDIO PERFECTIONIS
LIBER PRIMVS QVO ILLIVS ACQVIRENDÆ RATIO TRADITVR.

CAPVT I.

Vnicum Deum omni ex parte esse perfectum.



Qui Deum perfectum esse nescit, nescit se à Deo esse profectum: si enim cuncta à Deo condita sunt, necesse est & se ab eo conditum esse fateatur. Si verò omnia à Deo proficiscuntur, manant, originemq; ducunt, tamquam primo principio, formas omnes eminentissimè continente: quî fieri potest, vt PERFECTIONES omnes in eo non reperiantur? Ipse enim rerum causas producit: essentiam, existentiam, PERFECTIONEMque naturis rerum attribuit: estque intimè præsens rebus omnibus, vt sint, & permaneant. *Omnia* enim *per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil.* Et: *In ipso viuimus, mouemur, & sumus.*

Deus perfectus est.

Ioan. 1.

Act. 17.

 Certè

Certè si esse nostrum à Dei esse pendeat, etiam PERFECTIONVM nostrarum existentia ab ipsius existentia pendere debebit.

Est esse per se subsistens.

2. Omnis namque sapientia, bonitas, excellentia, nobilitas, fortitudo, virtus denique omnis, PERFECTIONES esse non possunt, nisi priùs existant, & in illo suo esse perpetuò conseruentur: Deus autem dat omnibus rebus existentiam; *estq; esse per se subsistens, continens in se omnimodam essendi* PERFECTIONEM. Ita enim Moysi Deus asseruit: *Ego sum qui sum. Sic dices filijs Israël: Qui est, misit me ad vos.* Item: *Ego sum α & ω, principium & finis, dicit Dominus Deus, qui est, & qui erat, & qui venturus est omnipotens.* Vt ergo res existentes ad Dei esse pertinent; ita PERFECTIONES rerum omnium ad PERFECTIONEM essendi, quæ est in Deo, referuntur. At in Deo res omnes existunt; PERFECTIONES ergo rerum omnium in Deo reperiri necesse est. Hinc D. Dionysius Areopagita, cùm dixisset quòd *Deus non quodammodo sit existens, sed simpliciter & incircumscriptè totum in seipso vniformiter esse præaccipit*, subdit, & ipsum debere dici *esse subsistentibus*: quasi dicat, si Deus omnibus esse largitur, & omnes in Deo sunt; cùm in eo similiter PERFECTIONES consistant, necessarium esse vt in Deo ipsæ reperiantur, sine quo ne subsistere quidem possent.

D. Thom. 1. p. q. 4. c. 2.
Exod. 3.
Apoc. 1.
Deus est esse rerum omniũ.
De diuin. nomin. cap. 5.

Deus est virtus tota & vniuersalis essendi.

3. Deus ergo perfectissimus est: illud enim dicitur vniuersaliter perfectum, cui nulla alicuius generis deest virtus, nobilitas, aut excellentia. In Deo certè nulla desiderari potest: est enim Deus virtus tota & vniuersalis essendi; in qua omnes diuinæ PERFECTIONES, & rerum omnium conditarum nobilitas continetur. Nos imperfecti sumus; eoque magis, quo minùs de essendi illius infinitate participamus. Longissimè verò abest à Deo, non esse, aut defectus; quæ in nobis plurima sunt: quia illa infinito eius essendi modo planè repugnant. Cùm ergo Deus sit proprium suum esse, illudque habeat secundùm omnimodam essendi potestatem; necesse est, in eo omnes, tam diuinas, quàm creatas PERFECTIONES contineri. Quid enim est nobilitas sapientiæ, nisi nobilitas *esse eiusdem*? & quæ excellentia in virtute reperitur, quæ non in esse virtutis? Vnde bene S. Thomas: *Omnem nobilitatem cuiusque rei, esse sibi secundùm suum esse*. Ex cuiusque enim modo quo res est, nobilitas cuiusque oritur. Nobilior est sapientia, quàm scientia humana; & caritas, quàm timor; quia eorum esse nobilius est. Nec sapientia amplius in se habet, quàm ei suum esse tribuit. Si enim non sit, ne nomen quidem meretur. Nos ergo paucas virtutes habemus, & inæquales; quia defectus & hiatus magni sunt in nobis, qui ex nihilo venimus, & participamus de illa essendi infinitate, particulari & imperfectissimo modo, non secundùm omnimodam potentiam. Hinc imperfecti sumus. Deus autem, qui vis quædam est infinita, continens totam, vniuersalem,

Imperfectionis creaturarum ratio.

Lib. 1. cont. Gent. cap. 28. parag. 1.

ſalem, & omnipotentem virtutem eſſendi, non modò PERFECTIONES rerum quæ iam exiſtunt, ſed & quæ vel futuræ ſunt, vel numquam erunt; diuinas item omnes complectitur, meritoque Deus perfectiſſimus dicendus eſt.

Deus cauſa eſt ad quam cetera vltimò referuntur.

4. Et nos quidem id fateri cogimur, rei euidentia, eo ipſo, quo res creatas imperfectas dicimus. Res enim imperfecta, neceſſariò ab aliquo perfecto in ſuo genere procedit. Verbi gratia: acinus in pomo, ſemen tantùm eſt, non arbor; imperfectus eſt ergo. Procedit ab arbore; ergo illa perfectior acino. Arbor vim omnem trahit à radice; ergo & radix trunco perfectior: radix à Sole; ergo Sol perfectior: Sol & radix à virtute indita Soli vel radici; vis autem illa à Deo procedit, ad quem ita ſingula reduci referrique debent; Deus ergo perfectiſſimus eſt.

Deus efficiens cauſa rerum omnium.

5. Eſt enim, vt iam dixi, Architectus rerum omnium & auctor; ſingulæque res dicere ac fateri coguntur, quod Propheta Iob de ſe faſſus eſt: *Manus tuæ, Domine, fecerunt me, & plaſmauerunt me totum in circuitu.* *Iob 10.* & Iſaias: *Quis hæc operatus eſt & fecit, vocans generationes ab exordio? Ego Dominus, primus & nouiſſimus ego ſum.* *Iſaia 41.* Et Apoſtolus Paulus: *Quoniam ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia.* *Rom. 11.* Certè, cauſa effectiua, effectus ſui PERFECTIONES, quas ei communicat, omnino continet. Nec enim ſubſtantia quædam naturalis hominem generaret, quæ homo non eſſet: nec Sol parens rerum omnium dici poſſet, ſi excellenti quadam virtute, rerum à ſe productarum naturam atque ornamenta in ſe non haberet. Quòd ſi oculos attollam altiùs, & Deum intuear zelantem ac dicentem, *Nolite vocare vobis patrem ſuper terram, vnus eſt enim Pater veſter in cælis:* *Matth. 23.* imò & ſe *patrem pluuiæ* indigetantem; *Iob 38.* quia eâdem eminenti virtute pluuias, grandinem, rorem, tonitrua generat atque efficit: aſſerentem deinde per Apoſtolum ſuum, *Omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum; apud quem non eſt transmutatio, nec viciſsitudinis obumbratio:* *Iacobi 1.* nónne iure concludam, in ſe rerum illarum, quas efficit, PERFECTIONES nobiliori, ſublimiori, & ſuper naturam eminenti virtute, quàm pater filij, aut Sol rerum quas efficit, naturas, decora, atque ornamenta complecti? *In Deo res omnes eminenter contineri.* Hinc D. Dionyſius de Deo loquens, *Non quidem*, ait, *hoc eſt, hoc autem non eſt; ſed omnia eſt, & omnium cauſa.* *De diuin. nom. c. 5.* Deus namque nec aurum eſt, quod terra effoditur; nec Sol, qui viciſſitudinem patitur; *Iac. 1.* nec homo, qui fœdo ſpermate concipitur; nec lux, cui tenebræ ſuccedunt; nec alia, quæ ſenſibus percipimus: ſed *aurum ignitum*, quo locupletamur; *Apoc. 3.* ſed Pater luminum omnium; *Iac. 1.* ſed prototypum hominis, lux inacceſſibilis; *1. Tim. 6.* & quidem infinito modo, nobilitate, gloria, virtute cuncta exuperans. Rationem huius adfert D. Ioannes: *Quod factum eſt, in ipſo vita erat.* *Ioan. 1.* Quaſi dicat: Quod fit à Deo, à Deo intelligitur: Dei autem intellectus, intel-

 ligere,

ligere, & intellectu conceptum, vt in Deo sunt, à Deo non discrepant.
1.p.q 18.ar.4. Vita ergo Dei ea sunt omnia. Ita S. Thomas. D. verò * Anselmus: *Cùm*
* Monol.c.33. *summus ille spiritus dicit seipsum, dicit omnia quæ facta sunt: nam & antequam fierent, & cùm iam facta sunt, & cùm corrumpuntur, seu aliquo modo variantur, semper in ipso sunt; non quod sunt in seipsis, sed quod est idem ipse. Etenim in seipsis sunt essentia mutabilis, secundùm mutabilem rationem creata: in ipso verò sunt ipsa prima essentia, & prima existendi veritas; cui pro-vt magis vtcumque illa similia sunt, ita veriùs & præstantiùs existunt.* Pijssimè verò
Soliloq. c.31. Diuus Augustinus: *Apud te, Domine, omnium stabilium stant causæ, & omnium mutabilium apud te immutabiles manent origines, & omnium rationabilium & irrationabilium atque temporalium sempiternæ viuunt rationes.* Et paulo inferiùs: *Quidquid enim est, à te est; quia sine te nihil est. Nónne tu es fons vitæ, à quo fluit omnis vita? quidquid enim viuit, per te viuit; quia*
Lib.8. de ciuit. Dei, cap.6. *sine te nihil viuit.* Item alibi: *Omnis vita vel quæ nutrit & continet, qualis est in arboribus; vel quæ hæc habet & sentit, qualis est in pecoribus; vel quæ hæc habet & intelligit, qualis est in hominibus; vel quæ nutritorio subsidio non indiget, sed tamen continet, sentit, & intelligit, qualis est in Angelis; nisi ab illo esse non potest, qui simpliciter est. Quia non aliud illi est esse, aliud viuere; quasi possit esse non viuens: nec aliud est illi viuere, & aliud intelligere; quasi possit viuere non intelligens: nec aliud intelligere, aliud beatum esse; quasi possit intelligere non beatus. Sed quod illi est viuere, intelligere, beatum esse, hoc illi est esse.* Ita Augustinus. Diuinas ergo Deus in se, creatasque PERFECTIONES eminenti quadam ratione complectitur. Hæc autem simi-
Similitudines conglobatæ. litudinibus adumbrari possunt. Nam denarium ex cupro ignobilem, in nummo argenteo; & argenteum, in aureo reperies. Rerum etiam
1. existentia sua singulis inest: excellentiùs tamen in planta, quàm in la-
2. pide; in elephanto, quàm in arbusto; in homine, quàm in musca; in Angelis, quàm in homine; in Deo denique, quàm in omnibus creatis.
3. Vis quoque vegetatiua sic viget in arbore, vt ad summam altitudinem eam attollat: nobiliùs est tamen in ceruo, imo & in formica, vbi cum vita, motu, & industria vis illa supereminet. Sed quanto magis in homine, cuius vita cælum intuetur, æternitatem spectat, in Deum tamquam possessionem suam perpetuam aspirat! Et calore quidem ignis
4. recrearis, eoque frigidus incalescis: sed quis ignis materia concretus ita latè patet, idque efficit, quod calor Solis, æstate media? aut natiuus calor, vitam in nobis conseruans? qui sanè alius est, ac nobilior, quàm
5. qui ab igne promanat. In milite gregario auctoritas est, in bello persequendi hostem, capiendi, trucidandi: sed eadem in Decurione, Centurione, Primipilo, ordinum Ductore, Chiliarcha, Tribuno, Duce,
6. Imperatore denique longè excellentior est. Sicut & iurisdictio Ecclesiastica in Curione reperitur: sed quid in Episcopo? quid in Patriarcha?

cha? quid in summo Pontifice, Christi vicario? nónne eminentiùs? Sic in Deo hæc quidem reperies, sed nobiliora, altiora, excellentiora, quàm vel in rebus ipsis sint, vel sensus noster comprehendere possit. Cumque Deo nihil possit accidere, illa omnia PERFECTIONES Dei sunt, & Deus ipse, & ea ipsa infinita, & omnibus absoluta numeris. Hæc omnia paucis expressit Anselmus. *Creata*, inquit, *veriùs in verbo sunt, & intelligentia Creatoris, quàm in seipsis; quanto veriùs existit creatrix, quàm creata substantia.*

D. Thom. lib. 1. cōt. Gent. c. 28. parag. 4.

Ibid. Francisc. Ferrar. in c. 32.

Monolog. c. 35.

6. Verùm defectuositas nostra, ac eorum quæ materia constant, incredibiliter Dei PERFECTIONES arguunt atque illustrant: est enim materia imperfectissima; & eo imperfectior, quo ad varias formas, quibus caret, magis idonea est. Non enim PERFECTIO est, posse perfici; sed eam formam atque actum esse consecutum, quem habere possis. Id exemplo clariùs elucebit. En auri præstantis ingens massa: ex ea fieri potest Mercurius, & quidem in Mercurio efformato pedes, tibiæ, femora, pectus, brachia, manus, caput, oculi, aures, os, nasus, ac cetera necessaria sunt. Imperfectum profectò dicemus, si vel vna pars desideretur. Dicis enim: Hæc statua caput habet, deest tamen nasus; oculum habet dextrum, caret sinistro. In massa ergo illa, materia præsens est, & apta ad formas illas omnes; sed eo imperfectior est, quo plures actus ac formas habere potest, quibus interea caret. Idem statui potest in homine. Dicis enim: Hic puer, nondum Baptismo initiatus, iustificari potest; insignibus virtutum ornamentis condecorari; fide, spe, caritate firmari; humilitatis, obedientiæ, mansuetudinis, benignitatis laude commendari: possunt in eo iustitiæ, prudentiæ, fortitudinis, temperantiæ cardines inueniri; Religio item, pietas, obseruantia, gratitudo, magnanimitas, patientia, constantia, perseuerantia, cum ceteris virtutum ac donorum præsidijs; euadere denique in virum perfectum. Verùm hęc dicuntur in potentia; desunt tamen: ideo imperfectus puer censendus est. Addam, eundem ipsum (vt disertè & eleganter Macarius) in vtero matris fuisse embryonem, & de eo dici potuisse, Erit aliquando, nascetur: de nato verò affirmari, grandiorem ætate & statura esse posse; futurum fortè vt excultus litteris humanioribus, Græcis, Latinis, Hebraicis, Doctoratus, vtriusque Iuris laurea donetur; vel ex generoso milite Chiliarcha, aut etiam ciuitatis aut prouinciæ Præses, Dux, aut denique Imperator Augustus virtute ac meritis euadat. Hæc omnia si actu adessent, PERFECTIONES hic puer multas haberet; quæ quia absunt, & fortè ab ijs longè diuersa atque etiam opposita sectatur, imperfectus dicitur. At in Deo nulla est materia, nulla potentia, quæ actu perfici debeat, nihil desideratur: omnia præsentia semper in eo fuerunt; nec vnquam tempus fuit quo dictum

Materia imperfecta.

Macarius homilia 15.

Deus est purus actus.

est, Deus erit, erit potens & sapiens; sed dies eius æternitas est, semper fuit omnipotens, Rex sæculorum, *Princeps Regum terræ*, sapiens, bonus, misericors. Quòd si aggrediar numerum attributorum eius recensere, numerus me diesque deficient. Et cùm virtutes eius innumerabiles sint, tum & singulæ innumerabiles PERFECTIONES actu continent. Ita Prophetę loqui libuit: *Et sapientiæ eius non est numerus, & magnitudinis eius non est finis*; *Regnum tuum, Regnum omnium sæculorum, & dominatio tua in omni generatione & generationem*. Hanc doctrinam D. Thomas paucis verbis expressit graphicè. *Deus*, inquit, *ponitur primum principium, non materiale, sed in genere causæ efficientis. Et hoc oportet esse perfectissimum. Sicut enim materia, inquantum huiusmodi, est in potentia: ita agens, inquantum eiusmodi, est in actu. Vnde primum principium oportet maximè esse in actu, & per consequens maximè esse perfectum. Secundùm hoc enim dicitur aliquid esse perfectum, secundùm quod est actu: nam perfectum dicitur, cui nihil deest secundùm modum suæ* PERFECTIONIS. Hæc D. Thomas.

Apoc. 1. *Perfectiones Dei infinitæ.* *Psalmo 146.* *Psalmo 144.* *1. par. q. 4. a. 1.*

7. Ex quibus colligitur, Deum non tantùm esse perfectum quòd omnes illas PERFECTIONES habeat, quæ ipsum in seipso perfectum reddunt; *vt quòd ipse sit suum esse à nullo dependens, nulla omnino desideret quæ iuuent eius operationes*, (nam ea quæ nobis adueniunt ad agendum necessaria, in ipso essentialia sunt: est enim Deus bonitas, sapientia, iustitia; quæ si nobis attribuamus, ea nobis accidere dicemus) *ipse quoque finis suus est, & ad aliud non ordinatur, tamquam ad finem: finis verò omnium rerum est*; quæ tria capita sunt incommunicabilis PERFECTIONIS; sed etiam præterea res omnes producere ac conseruare possit, tamquam primum principium: vnde certò colligere licet, in eo, actu, rerum omnium PERFECTIONES debere præexistere, quas nec communicare nec conseruare posset, si in se eas non haberet. Quæ cùm vni & soli Deo competant; euidens est, vnicum Deum omni ex parte esse perfectum.

Perfectionis incõmunicabilis rationes tres. *D. Thom. 1. p. q. 6. art. 3.*

CAPVT II.

Deum esse PERFECTIONIS *exemplar.*

Homo est imago Dei.

HÆC in Deo esse, idcirco ostendimus, vt homo, qui ad imaginem Dei creatus est, in Dei PERFECTIONES oculos conuertat; vt qui imago Dei est per naturam, & per gratiam eidem similis, imaginem suam deformatam restituat, &, pro virili, Dei PERFECTIONES in se efformet, quibus ei simillimus euadat. Vt enim

pictor

pictor qui imaginem aut vetuſtate detritam, aut iniuria violatam priſtino ſplendori reſtituere vult, ad prototypum recurrit, abraſaque lineamenta ac colores reponit: ita anima, quæ ſtudio PERFECTIONIS tenetur, ſi vetuſtatem ſuam renouare, aut deformitatem corrigere cupiat, neceſſe eſt vt oculos in prototypum conijciat: illic turpitudinem, deformitatem, vetuſtatem, defectuſque omnes ſuos agnoſcet; diſſimilitudinem verò ab exemplari tantam, vt in ſe vix eius veſtigium agnoſcat. Immenſa enim Dei eſt pulchritudo ac venuſtas; integritas eadem naturæ & PERFECTIONVM, quæ ab æterno fuit: quanta ergo animæ cum Deo diſſimilitudo! *Si deformata, quomodo reparari debeat.*

2. Qua de re ita eleganter D. Ambroſius: *Illa anima à Deo pingitur, quæ habet in ſe virtutum gratiam renitentem, ſplendorémque pietatis. Illa anima bene picta eſt, in qua eſt ſplendor gloriæ, & paternæ imago ſubſtantiæ. Secundùm hanc imaginem erat Adam ante peccatum: ſed vbi lapſus eſt, depoſuit imaginem cæleſtis, ſumpſit terreſtris effigiem. Sed fugiamus hanc imaginem, quæ intrare ciuitatem Dei non poteſt; quia ſcriptum eſt, Domine, in ciuitate tua imaginem eorum ad nihilum rediges.* Hæc Ambroſius. Hanc eandem ſimilitudinem & diſſimilitudinem exprimit etiam D. Gregorius Nyſſenus. *Hæc,* ait, *ſimilitudo hominis cum Deo, eſt puritas, beatitudo, carere affectibus, ab omni prauitate eſſe ſeiunctum.* D. Auguſtinus, diſputans in quo illa ſimilitudo conſiſtat, ait: *Id autem eſt ipſa ratio; vnde Apoſtolus dicit: Renouamini ſpiritu mentis veſtræ, & induite nouum hominem, qui renouatur in agnitionem eius, qui creauit eum. ſatis oſtendens qua parte homo creatus ſit ad imaginem Dei; quia non corporeis lineamentis, ſed quadam forma intelligibili mentis illuminatæ.* Hæc ille. Ergo ſecundùm Auguſtinum homo per ignorantiam & peccatum Deo diſſimilis efficitur, per conformationem verò cum Creatore conſtat eundem renouari. Concludam præclara quadam D. Bernardi adhortatione animam alloquentis: *O anima mea, ſi vis amari à Deo, reforma in te imaginem eius, & amabit te; repara in te ſimilitudinem eius, & deſiderabit te. Conſilio namque ſanctæ Trinitatis ad imaginem ſuam creauit te Creator tuus; quod nulli alteri ex creaturis donauit, vt tanto eum diligentiùs diligeres, quanto mirabiliùs ab eo te conditam intelligeres. Conſidera ergo nobilitatem tuam: quoniam ſicut Deus vbique eſt totus, omnia viuificans, omnia mouens, omnia gubernans; ita tu in corpore tuo vbique tota es, illud viuificans, mouens, & gubernans. Et ſicut Deus eſt, viuit, & ſapit; ita tu ſecundùm modum tuum es, viuis, & ſapis. Et ſicut in Deo ſunt tres perſonæ, Pater, Filius, & Spiritus ſanctus; ſic & tu habes tres vires, ſcilicet intellectum, memoriam, & voluntatem. Et ſicut ex Patre generatur Filius, & ex vtroque procedit Spiritus ſanctus; ita & ex intellectu generatur voluntas, & ex his ambobus procedit memoria. Et ſicut Deus eſt Pater, Deus eſt Filius, Deus eſt Spiritus ſanctus, non tamen tres Dij, ſed vnus Deus, & tres perſonæ;*

In Hexamer. l.6.c.7. tom.4.

Pſal.72.

In Geneſ.

Lib.3.de Gen. ad litteram.

De interiori domo, c.67.

ſonæ; ita anima eſt intellectus, anima voluntas, anima memoria, non tamen tres animæ, ſed vna anima, & tres vires. Ex quibus animæ viribus quaſi excellentioribus iubemur Deum diligere, vt diligamus eum ex toto corde, ex tota anima, tota mente, id eſt, toto intellectu, tota voluntate, tota memoria, hoc eſt, toto affectu, ſine defectu, cum diſcretionis intuitu. Hæc Bernardus.

3. Verùm Deus nouerat paucos eſſe, qui adeò lynceos haberent oculos, vt de eius PERFECTIONIBVS meditaturi eſſent: multi enim
Iacobi 1. ſimiles ſunt *viro conſideranti vultum natiuitatis ſuæ in ſpeculo*; legunt, audiunt Dei verbum, meditantur obiter & per tranſennam, & immemores abeunt. Pauci verò perſpiciunt ac penetrant legem perfectam libertatis; ſatiſque eis eſt, ſi aliquid de ea ſciant, ne in colloquiis ignari habeantur; experientiam verò, vel ſenſum rerum diuinarum habent aut nullum, aut exiguum: & licet attendant nonnulli, ac diligentiam
1. Tim. 6. aliquam adhibeant; quia tamen Deus excelſus eſt, *& lucem quandam inhabitat inacceſsibilem*, nec omnes idonei ſunt ad ſublimia illa Dei arcana conſideranda; idcirco ſemina quædam naturæ noſtræ indidit, ac legem impreſſit animis hominum, eamque incrediblliter auxit ac illuſtrauit acceſſione gratiæ ſupernaturalis, virtutum infuſarum, ac donorum ſpiritualium. Vt Deus imitatus videatur Principem nobiliſſimum, filium procul ablegantem: quem cùm ſui memorem perpetuò habere velit; tabulam ei quandam, effigiem nempe ſuam, viuis & maximè inſignibus coloribus depictam, in qua lineamenta, virtutumque eius ſplendor, ſtemmata quoque ac decora omnia reluceant, tradit; in ea domus illius parte collocandam, vnde in eius oculos quodammodo incurrat aſſiduè; ſicque paternorum monitorum, factorum, ac virtutum memoriam numquam valeat deponere. Ita æternus ille genitor indelebilem animis hominum ideam atque effigiem impreſſit, quam intuentes à patria extorres filij, parentis amantiſſimi, eiuſque voluntatis memoriam perpetuò foueant atque retineant. Non abſimilem conſiderationem adfert Theodoretus. *Quemadmodum*, inquit, *ſi quiſpiam Rex cùm maximam vrbem excitaſſet, multiſque & varijs operibus adornaſſet, imaginem ſuam, maximam, decentiſsimámque, in vrbis medio collocaret, vt hac imagine Regem huiuſce vrbis auctorem conditorémque indicaret, quem omnes vrbis habitatores venerarentur, & gratias agerent, quòd ſibi vrbem conſtruxiſſet: eodem modo Deus, poſtquam mundum condidit, hominem ad imaginem ſuam à ſe creatum, in eo tamquam imaginem propriam collocauit, cui omnes creaturæ deſeruirent.* Hæc ille. Verùm æquum non eſt, vt omnes creaturæ Deum in ſua imagine agnoſcant ac venerentur; homines verò qui eam in ſe portant, omnino negligant, & Dei Creatoris ſui obliuiſcãtur.

Lex natura, imago quædam eſt diuinarum Perfectionum. Sed maximè lex gratiæ.

Similia. 1. 2. *In Geneſ.*

4. Hanc doctrinam Deus olim teſtatam voluit, cùm * in monte Sina legem in tabulis lapideis ſecundò ſculpſit, excitatis tonitru, fulgure, &

Lex Vetus imago imperfecta, minimeq; ſufficiens.

** Exod. 19.*

&horrendo boatu; vt homines oculis auribuſque haurirent ac ſentirent exteriùs, quod interiùs apprehendere non poterant. Verùm parum id iuuit: nam Apoſtolus de hac voluntatis diuinæ cognitione ſic ſtatuit; tantum abeſt vt illa præſidio fuerit; vt etiam occaſionem vel peccandi, vel grauiùs peccandi præbuerit: quòd legis ſeruandæ ſcientiam obligationemq́ue renouauerit; voluntatem verò hominis inſtabilem, fragilem, infirmam, multiſque vulneribus ſauciam, allato gratiæ præſidio nullo modo ſanauerit. Audiamus Apoſtolũ. *Lex iram operatur: vbi enim non eſt lex, nec præuaricatio.* Rom. 4. *Quid ergo dicemus? Lex peccatum eſt? Abſit; ſed peccatum non cognoui, niſi per legem: nam concupiſcentiam neſciebam, niſi lex diceret, Non concupiſces. Occaſione autem accepta, peccatum per mandatum operatum eſt in me omnem concupiſcentiam: ſine lege enim omne peccatum mortuum fuerat.* Rom. 7. Hæc ille. Lex ergo antiqua, etſi ſpeculum quoddam ſit, cùm ad maculas faciei noſtræ deformatæ videndas, tum ad normam quandam vitæ degendæ deſumendam: ſufficiens tamen non fuit ad maculas illas abſtergendas, neque ad vitã roburq́ue muneribus obeundis largiendum, cùm & ipſa muta mortuaque loqui ac præire non poſſet.

5. Quapropter volens Deus prolixè proſpectum ignorantiæ & infirmitati hominis, ipſum prototypum & exemplar in mundum mittere, Filium ſuum, dignatus eſt, Patris nempe veram viuamq́ue imaginem: (*Ipſe enim candor eſt lucis æternæ, & ſpeculum ſine macula Dei maieſtatis, & imago bonitatis illius*) vt non tantùm ſpeculando homines craſſi Dei PERFECTIONES viderent; ſed & oculis corporis conſpicerent ea, quæ mente nequirent in natura diuina perſcrutari. Ita enim Dominus Moyſi, cùm exemplar ac ideam præſcripſiſſet Sanctuarij: *Vide*, (inquit) *& omnia facito iuxta exemplar quod tibi in monte monſtratum eſt.* Idipſum diuus Paulus repetijt, oſtendens Moyſi hæc in figura contigiſſe; nobis verò IESVM Chriſtum in loco eminentiſſimo PERFECTIONIS exemplar perfectiſſimum propoſitum. Vnde alio loco: *Eſtote imitatores Chriſti, ſicut filij cariſſimi.* Et D. Petrus, *Chriſtus*, inquit, *paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt ſequamini veſtigia eius: qui peccatum non fecit, nec dolus inuentus eſt in ore eius.*

Chriſtus imago Dei Patris perfectiſſima nobis proponitur. *Sap. 7.* *Exod. 25.* *Heb. 8.* *Epheſ. 5.* *1. Pet. 2.*

6. PERFECTIONES ergo, quas Deus vult nos imitari in ſe, tanquam prototypo, ſunt: [a] *Peccatum non facere; dolum in ore noſtro non inueniri.* [b] Et quamuis humilitatis virtus quodammodo eum dedeceat, quòd nulli poſſit ſubeſſe; eam idcirco aſſumpſit naturam, in qua non indecorè virtutem illam, quam ſummopere adamauit, exerceret, & nos ad ſui imitationem alliceret. [c] Pari modo, cui in cælo obediret, non erat: ideo [d] *ſemetipſum humiliauit, factus* Patri *obediens vſque ad mortem*: is, inquam, *qui, cùm in forma Dei eſſet, rapinam non arbitrabatur, eſſe ſe æqualem Deo.* Ditiſſimus quoque erat: [e] *Eius enim eſt terra, & plenitudo eius*; dixeratque

Perfectiones Dei in Chriſto repræſentatæ.
a 1. *Carere peccato & dolo.*
b 2. *Humilitas.*
c 3. *Obedientia.*
d *Philip. 2.*
e *Pſal. 23.*

Psal. 49. ratque olim, *Non accipiam de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hircos. Quoniam meæ sunt omnes feræ siluarum, iumenta in montibus, & boues. Cognoui omnia volatilia cæli, & pulchritudo agri mecum est.* Diues ergo cùm

4. *Paupertas.* *Psal. 39.*

esset, condicionem eam assumpsit, in qua dicere posset: *Ego autem mendicus sum, & pauper.* Supra modum eidem carnis integritas placuit: & cùm sine corpore laudem humanæ castitatis ferre non posset, corpus induit *dæmonis externo ludibrio obnoxium*; vt & in eo de infirmitate nostra triumpharet, nosque illud encomium reportaremus: *Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati; virgines enim sunt, & sequuntur Agnum quocumque ierit.*

5. *Virginitas.* *Greg. hom 16. in Euang.* *Apoc. 14.*

1. *In natiuitate Christi.*

7. Aspice ergo, ô homo, in exemplar quod tibi Deus proposuit imitandum. Intra domunculam, imò antrum Bethleemiticum. Illic videbis Deum humilem, pauperem, virginem ex virgine, obedientem Patri, subiectum legibus. Eius considera caritatem immensam, qua se pro inimicis incommodis obijcit innumeris. Illic denique apparet *benignitas & humanitas Saluatoris nostri Dei*, & quidem *omnibus hominibus: vt abnegantes impietatem, & sæcularia desideria, sobriè, iustè, & piè viuamus in hoc sæculo.* Ipse namque sobrietatem docet:

6. *Caritas.*

7. *Benignitas.* *Tit. 2.*

8. *Sobrietas.* *Sedulius.*

Paruóque lacte pastus est,
Per quem nec ales esurit.

9. *Iustitia.* a *Matth. 3.*

Docet & iustitiam: a *sic enim decet omnem impleri iustitiam*; erga Deum, erga homines, pro hominibus. Ecquis magis pius, quàm qui dicere potest: b *A meipso facio nihil; sed sicut docuit me Pater, hæc loquor: & qui me misit, mecum est, & non reliquit me solum; quia, quæ placita sunt ei, facio semper?*

10. *Pietas.* b *Ioan. 8.*

2. *In vita virtutes congestæ.* c *Act. 1.* d *Matth. 11.* e *Matth. 5.*

8. c *Cœpit* ergo IESVS *facere*, vt liberiùs postmodũ docere eadem posset, ac dicere, d *Discite à me quia mitis sum, & humilis corde*; atque in monte sublimem illam doctrinã Apostolis nobisque promulgare: e *Beati pauperes spiritu; beati mites, qui lugent, qui esuriunt & sitiunt iustitiam, misericordes, mundi corde, pacifici, persecutionem patientes.* Respondit ergo doctrina factis; & in eo tantùm discrepauit, quòd annis tribus dumtaxat docuerit, fecerit verò, quæ docuit, annis triginta-tribus, & quidem adeò multa, vt de his ita scripserit D. Ioannes: *Sunt autem & alia multa quæ fecit* IESVS; *quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundũ capere posse eos, qui scribendi sunt, libros.* Pauca tamen scripta sunt, & quidem vix alia, quàm quę trium annorum spatio exercuit; nec ea quidem omnia: & quæ scripta sunt, adeò referta sunt virtutum exemplis, vt pæne verba singula vim contineant exerantque eximiã, documenta rara, maximeque illustria; vt non immeritò eius humanitati illud Salomonis adscribi posse videatur, *Venter tuus sicut aceruus tritici.* In aceruo tritici non solùm ipse cumulus integer, sed & grana singula vim germinãdi continent; & quidem non modò culmum vnum, sed ex vna enata radice culmos plures,

Ioan. 21.

Cant. 7.

&

&c ſpicas; grana autem adeò multa, vt ſubinde gramen vnum reddat fru- *Luc. 8.*
ctum centeſimum. Talia ſunt verba ſingula Seruatoris, ſingulæ virtutes, vt, ſi à terra menteque frugifera excipiantur, ac conſiderentur, vnum erit inſtar centum, & centena alia germinabit, fietque ex grano cumulus, qui ſufficiet vniuerſo orbi ſerendo & alendo, infinitiſque alijs cumulis coaceruandis abſque numero & termino.

Virtutes Chriſti cum Dei infinitis attributis comparantur.

3. In paſſione virtutum aceruus.

9. Deficeret me tempus, ſi vel compendio virtutes perſequi vellem, quæ in paſſionis vnico die emicuerunt. Nec facilè perſpiciuntur, niſi ab his qui inuolucrum ac corticem aperiunt: latent enim vt in malo granato denſa, ordinata, ſapida, ſanaque grana, ſed inuoluta cortice ignobili; nec ea guſtantur niſi à purgato palato, & oculis expoſita, fracto demum cortice, ſedulo meditationis ſtudio.

O quanta lumina, quales gemmæ, quæ decora latebant ſub ſpinoſo capite, ſub deformato Filij Dei corpore! Numera vniuerſi Oceani guttas, ſubducas numerum granorum arenę quę in maris litore denſiſſimæ viſuntur; computa quot in cælis aſtra reluceant, quot in immenſo æternitatis circulo dies inuoluantur: tot in Deitate PERFECTIONES, tot in Chriſti humanitate, velut ſub cortice contemptibili, virtutes condenſatæ, ordinatæ, ſapidæ, ſanæque deliteſcunt; vt meritò de hac dici poſſit: *Sicut cortex mali punici; ita genæ tuæ, abſque eo quod intrinſecus latet.* *Cant. 4. & 6.* Adiurata quoque cæleſtis Sponſa, qualis eſſet dilectus eius ex dilecto, reſpondit: *Dilectus meus candidus & rubicundus, electus ex millibus. Caput eius aurum optimum. Comæ eius ſicut elatæ palmarũ, nigræ ſicut coruus. Oculi eius ſicut columbæ ſuper riuulos aquarum, quæ lacte ſunt lotæ. Genæ eius ſicut areolæ aromatum, conſitæ à pigmentarijs. Labia eius lilia diſtillantia myrrham primam. Manus eius tornatiles aureæ, plenæ hyacinthis. Venter eius eburneus, diſtinctus ſapphiris. Crura illius columnæ marmoreæ, quæ fundatæ ſunt ſuper baſes aureas. Guttur illius ſuauiſſimum, & totus deſiderabilis.* *Cant. 5.* Vides quàm Scriptura vtitur incredibilibus metaphoris, vt eius internam, corporiſque myſtici, (vti Patres ſancti interpretantur) *Greg. in Cant.* quamuis à capite ad calcem dilaniati atque deformati, pulchritudinem exprimat; & oſtendat tantas eius eſſe PERFECTIONES, quantas nec Angeli, nec humana mens, nedum lingua aut calamus, poſſit non dicam explicare, ſed ne quidem adumbrare. Et ſicut in Deo attributa infinita ſunt, quorum ſingulorum ſumma PERFECTIO eſt, atque immenſitas; ita & in Chriſto, vera Patris effigie, eædem PERFECTIONES nobis repræſentatæ expreſſæque ſunt, & ad praxim propoſitæ; (alioquin propè inacceſſibiles & inimitabiles, & eæ quidem infinitæ) vt tardioribus ingenijs opus non ſit ſupra vires ingenij effingere formas incognitas idearum cæleſtium, quas nec lippientes mortalium oculi contueri, nec humana infirmitas efformare, capere, aut imitari valeat.

CAPVT III.

Homines æmulari PERFECTIONES *Dei admirandas; eas verò quæ ad imitationem propositæ sunt, auersari.*

Perperam imitantium Dei Perfectiones formula.

I.

D. Thom. l. de diuinis moribus parag. vltimo.

ENIMVERO contingit non raro, homines, qui se PERFECTIONIS studio teneri ac salutis zelo duci arbitrantur, cùm de reformatione imaginis suę agitur, non ea in Deo quærere, quibus Deo similes euadant; sed ea sectari dumtaxat atque ambire, quæ soli Deo conueniant maximè: nempe imitantur ea, quæ suspicere deberent; quę verò imitanda veniunt, tamquam humiliora despiciunt atque contemnunt. In Deo sunt Maiestas, Celsitudo, Imperium, Dominium rerum omnium, Nobilitas, Diuitiæ sublimes, Felicitas, Gaudium, Vita sine fine duratura. Illi Maiestati, tamquam primo principio, finique vltimo, debetur laus, honor, gloria, amor, obedientia, reuerentia.

Serm. 2. de Ascens. Domini.

2. Hæc homines imitari non renuunt, & in se exprimere, si possint: in his Deo quàm simillimi esse cupiunt, titulos Maiestatis, Celsitudinis, Dominationis, Principatus ambientes; quare D. Bernardus exclamat: *O peruersitas! ô abusio filiorum Adæ! quia cùm ascendere difficillimum sit, descendere autem facillimũ; ipsi & leuiter ascendunt, & difficiliùs descendunt, parati ad honores & celsitudines graduum Ecclesiasticorum ipsis etiam Angelicis humeris formidandos. Ad sequendum autem te, Domine* IESV, *vix inueniuntur qui vel trahi patiantur; qui velint duci per viam mandatorũ tuorum.* Hæc Bernardus. Heu quot bella ob huiusmodi fumum suscepta! quot centena hominum millia trucidata! quot vrbes euersæ! quot profusæ opes, pauperum vsibus opportuniores! *Vnde enim bella & lites in vobis! nonne hinc? ex concupiscentijs vestris, quæ militant in membris vestris? Concupiscitis, & non habetis; occiditis & zelatis, & non potestis adipisci; litigatis & belligeratis, & non habetis.* An hi ergo propterea, quia bella mouerunt, Deo similes euaserunt, & in sedes beatas cum diademate & purpura inuecti exceptíque sunt? Hoc olim dixerat Lucifer: *In cælum conscendã, super astra Dei exaltabo solium meum, ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo.* Heu quàm Deo & forma, & loco, & moribus dissimilis est! Et primus Parens, simili motus insania, similitudinem Dei appetijt. At quàm alius vel etiam à seipso euasit! Et tu, Nabuchodonosor, qui diuinitatem tibi soli arrogabas, quàm procul à deitatis gloria excidisti! Ita est, ita est: mentiri veritas non potest. *Qui se exaltat, humiliabitur; & qui se humiliat, exaltabitur.* &: *Superbum sequitur humilitas; & humilem spiritu suscipiet*

Iac. 4.

Ruina superbiæ, quæ Deo homines facit dissimiles.

Isaia 14.

Gen. 3.

Dan. 4.

Luc. 14.

Prouerb. 29.

cipiet gloria. Sequitur enim: *Quomodo cecidisti de cælo Lucifer, qui mane orie-* *Isaia 14.*
baris? corruisti in terram, qui vulnerabas gentes? qui dicebas in corde tuo: In
cælum conscendam, sedebo in monte testamenti. Verumtamen ad infernum detra-
hêris, in profundū laci. Adæ quoque dixit Deus: *Ecce Adam quasi vnus ex no-* *Gen. 3.*
bis factus est, sciens bonum & malum. Certè *cùm in honore esset, non intellexit:* *Psal. 48.*
comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est, non Deo, sed *illis.*
Contra Nabuchodonosor verò detonuit Daniel: *Cum bestijs ferisq́; erit* *Dan. 4.*
habitatio tua, & fenum quasi bos comedes, & septem tempora mutabuntur super
te, donec scias quòd dominetur Excelsus in regno hominum.

3. Affectant quoque mortales nobilitate excellere, nulli subesse, im- 2.
perare quàm plurimis, florere diuitijs, perpetua voluptate perfun-
di, & ea, quæ ne honesta quidem est, felicitate quantumuis transeunte beari, atque in his æternitatem optare. Cur ita? hæc nempe in Deo sunt, cui quo similiores, eo perfectiores sumus. Cerebri exilis hoc argumentum est: nam & fatui, Principes haberi volunt; & galli gallinacei, omnibus dominari. Verùm non huiuscemodi PERFECTIONES diuinæ ad imitandum propositæ sunt. Quæ igitur? *Inspice,* *Exod. 25.*
& fac secundùm exemplar quod tibi in monte monstratum est. Dicit verò viuum
exemplar: *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde;* & non erit opus *Matth. 11.*
multis contentionibus, bellis, & denique humiliatione, sed *inuenietis*
requiem animabus vestris. Discite à me, inquam, *non mundum fabricare, non* *August. serm. 10. de Verbis Domini, sub initium.*
cuncta visibilia & inuisibilia creare; sed quia mitis sum, & humilis corde.

4. Falleris quoque, si, quia Deo laus & honor debetur & gloria, pu-
tas tibi fas esse laudes tuas promulgare, aut ab alijs procurare, vaneque 3.
gloriari. *Ego,* ait, *primus & nouissimus: ego Dominus, hoc est nomen meum:* *Isaia 41.*
gloriam meam alteri non dabo. Ecce vos estis ex nihilo, & opus vestrum ex eo *Isaia 42.*
quod non est. Quid ergo superbis terra & cinis? Recordare tibi dictum: *Isaia 41.*
In sudore vultus tui vescêris pane tuo, donec reuertaris in terrā de qua sumptus *Gen. 3.*
es: quia puluis es, & in puluerem reuertêris. Soli ergo *Regi sæculorum immor-* *1. Tim. 1.*
tali, inuisibili, soli Deo honor & gloria in sæcula: nobis autem confusio faciei. *Dan. 9.*
Si verò gloriari cupis, *gloriare in Domino,* ait Apostolus. *Non enim qui* *2. Cor. 10.*
seipsum commendat, ille probatus est; sed quem Deus commendat, Glorifica
ipsum, & ipse honorabit te. ait enim: *Quicumque glorificauerit me, glori-* *1. Reg. 2.*
ficabo eum; qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.

5. Deus enim similis est parenti cuidam optimo, qui & si plures *Dei amor erga humiles.*
filios habeat, quos vnicè diligat, lubentiùs tamen adest paruulis, quos amore teneriore prosequitur: &, si quem infirmari audiat, accurrit, & quantum potest solatio est, verbis, præsentia, ope, & opera; & si petatur vbi gentium assiduè parens ille detineatur, dicetur, infirmo semper adesse, assistere paruulis, eisque colludere. Ita & Deus, etsi vbique sit, tamen *ad pauperculum, & contritum spiritu,* *Isaia 66.*

&

Matth. 19. *& trementem sermones eius respicit*; vocansque paruulos, *Sinite*, ait, *par-*
Matth. 11. *uulos, & nolite eos prohibere ad me venire. Venite*, inquam, *ad me omnes qui*
laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. Non est ergo mirum, si tam
sublimis Pater, tam excelsus Dominus, humilia respiciat, quia adest la-
borantibus & oneratis. Fallimini, ô elati animo, si Deum occupatum
altissimis cælorum sedibus rati, sublimes illuc oculos intenditis: videri
Prou. 8. non potest ab elatis mortalium oculis. Quæritis ergo vbi sit? *Ludens*,
ait, *in orbe terrarum, & deliciæ meæ cum filiis hominum*. Vultis scire vbi sit?
Psal. 33. *Iuxtà est Dominus ijs qui tribulato sunt corde, & humiles spiritu saluabit. Sa-*
Psal. 146. *nat contritos corde, & alligat contritiones eorum. Dominus soluit compeditos,*
Psal. 145. *Dominus illuminat cæcos. Propè est Dominus omnibus inuocantibus eum,*
Psal. 144. *omnibus inuocantibus eum in veritate*. Demissos humilis intuetur, *& in-*
Psal 118. *tellectum dat paruulis, & cum simplicibus sermocinatio eius*. Vos cominus in-
Prou. 3. tueri non potest: sed quia altiores corda extulistis, vertice cælum at-
tingentes, cogitur vos à longè prospicere. Etsi enim *excelsus sit Domi-*
Psal. 137. *nus, humilia* tamen *respicit, & alta à longè cognoscit*.

Christus quomodo Rex hic esse voluit.

6. Appetis ergo titulos, honores quæris & gloriam, imperia ac digni-
tates? Deum non imitaris; qui vult vt omnia facias *secundùm exemplar*
quod tibi in monte monstratum est. De quo, cùm tinctus esset aqua in Ior-
Matth. 3. dane à Ioanne, ipse ait: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene compla-*
cui; ipsum audite. Haud dubiè, absque cuiusquam iniuria, titulos ac di-
gnitatum decora sibi vēdicare potuisset adhuc inter homines mortalis.
Quid ni? nam Deo mandante Angelus matri eius quippiam de regno
insinuauerat, vnde decepti Apostoli arbitrati sunt esse regnatu-
Luc. 1. rum. *Hic erit magnus, & Filius Altissimi vocabitur: & dabit illi Dominus*
Deus sedem David patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni
eius non erit finis. Rex ergo erat. Omnino Rex, & Regis magni Filius, qui
Matth. 17. se ideo tributum soluere non debere D. Petro asseruit. Nihilominus
Ioan. 18. noluit regnum suum esse de hoc mundo: & cùm eum Regem Iudæi
vellent eligere ac constituere, fugit; ratus se eum Regem esse, de quo
Psal. 2. Regius Propheta: *Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem*
sanctum eius, prædicans præceptum eius. Quod confirmauit respondens Pi-
Ioan. 18. lato interroganti, *Ergo Rex es tu? Tu dicis quia Rex sum ego: ego in hoc na-*
tus sum, & ad hoc veni in mundum, vt testimonium perhibeam veritati. Huius
nominis speciositate delusi vanaque spe lactati Apostoli, Christo re-
gnum Israëliticum restitutum iri putauerunt. Iis quoque ambientibus
Matth. 18. principatum in restauratione regni Dauidici, *aduocans* IESVS *paruulum,*
statuit eum in medio eorum, & dixit: Amen dico vobis, nisi conuersi fueritis, &
efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cælorum. Aliàs verò à filijs
Matth. 20. Zebedæi cognatis suis ambientibus, iure propinquitatis, primam & se-
cundam regni sedem, petijt, *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?*
quasi

quaſi dicat: Regnum meum in hoc conſiſtit, ſicut & dignitates eorum qui mihi obſequentur, non vt purpura induti nationibus imperemus, ſed vt paſſionum calicem hauriamus, ac moriamur. Ante paſſionem, contendentibus Apoſtolis quis eorum maior eſſet, benignè quantumuis importunis & intempeſtiuis reſpondit: *Reges gentium dominantur eorum; & qui poteſtatem habent ſuper eos, benefici vocantur: vos autem non ſic; ſed qui maior eſt in vobis, fiat ſicut minor; & qui præceſſor eſt, ſicut miniſtrator. Nam quis maior eſt, qui recumbit, an qui miniſtrat? nónne qui recumbit? Ego autem in medio veſtrûm ſum, ſicut qui miniſtrat.* Denique paulo ante eius aſcenſionem iiſdem ſolicitis, ac quærentibus, *Domine, ſi in tempore hoc reſtitues regnum Iſrael?* reſpondit: *Non eſt veſtrum noſſe tempora vel momenta, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate; ſed accipietis virtutem ſuperuenientis Spiritus ſancti in vos, & eritis mihi teſtes in Ieruſalem, & in omni Iudæa, & Samaria, & vſque ad vltimum terræ.* quaſi dicat: Cogitatis de ſtemmatibus & ſplendore regiæ cuiuſdam curiæ; ego verò de regno ſpirituali, cuius conſummatio erit poſt ſupremam reſurrectionem. Sed non eſt veſtrum id temporis noſſe. Cogitate de cruce, contumelijs, martyrio; quia debetis mihi eſſe teſtes coram aduerſarijs meis, qui me crucifixerunt, & vſque ad terminos terræ: & hoc ipſum in hoc mundo mihi vobiſque regnare eſt.

Luc. 22.

Act. 1.

7. Inuiſum ergo Domino regnandi ſemper fuit nomen, ne ambitio fidelium animos occuparet. Vnde mirum non eſt, ſi ſolicitatus à ſatana, in monte præcelſo omnia regna mundi & gloriam eorum oſtentante, diuino honori vniuerſa poſthabuerit, dicens: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſerujes.* Et id quidem fecit vt nos exemplo ſuo inſtrueret, nec gloriam immenſam, nec omnia orbis regna hominem mouere debere ad ambiendos titulos, qui in hac peregrinatione parum proſunt; obſunt verò maximè, ſi cum Dei iniuria acquirantur; tantumque abeſt vt nos Deo ſimiles faciant, atque perfectos, vt potiùs ſubinde defectuoſos, monſtruoſos, & ſatanæ quàm ſimillimos reddant. Quod D. Bernardus Eugenio Papæ ſedulò inculcat, ita ſcribens: *Sed eſt inſipientia quæ ipſam quoque iam propemodum ſtultam fecit ſapientiam fidei. Quomodo & Eccleſiam pæne totam hoc virus infecit! nam dum quique quæ noſtra ſunt quærimus, fit vt inuicem inuidentes, inuicem prouocantes, exerceamur ad odia, animemur ad iniurias, armemur ad lites, cauillemus ad dolos, feramur ad detractiones, prorumpamus ad maledicta; opprimamur à fortioribus, opprimamus infirmiores. O ambitio, ambientium crux! quomodo omnes torquens, omnibus places? nil acerbiùs cruciat, nil moleſtiùs inquietat, nil tamen apud miſeros mortales celebrius negotijs eius. An non limina Apoſtolorum plus iam ambitio quàm deuotio terit?* Hæc & plura Bernardus.

Regni nomen Chriſto mortali inuiſum.

Matth. 4.

Ambitio deteſtanda.

Lib. 3. de conſid. poſt initiũ.

8. Eſt & alia æmulatio, & quidem inter perfectos, quæ tamen non paruam

Ambitio ſpiritualis.

paruam imperfectionem arguit. Detexit illam B. Paulus, cùm, diuini Spiritus allatis gratijs, propensiores nonnullos esse declarat ad ea quæ admirationem pariunt, quàm quæ sanctitudinem. *Numquid omnes Apostoli? numquid omnes Prophetæ? numquid omnes Doctores? numquid omnes virtutes? numquid omnes gratiam habent curationũ? numquid omnes linguis loquuntur? numquid omnes interpretantur?* Hæc enim speciosa sunt, & coram plebeijs sanctitatis præseferunt illustrem imaginem. Apostolus tamen hæc postponit solidis virtutibus. *Æmulamini*, inquit, *charismata meliora.* Quæ meliora? *En*, ait, *adhuc excellentiorem viam vobis demonstro.* Quam? Viam perfectæ caritatis. *Si enim linguis hominum loquar, & Angelorum, caritatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens. Et si habuero prophetiam, & nouerim mysteria omnia, & omnem scientiam, & si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, & si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum ita vt ardeam, caritatem autem non habuero, nihil mihi prodest.*

1. Cor. 12.

Ibidem.

1. Cor. 13.

9. Quæ ergo sunt illa charismata meliora? quæ PERFECTIONES nobis ad imitandum propositę? Respondeo quasdam esse quibus Christus vult nos conformari Patri suo cælesti; deinde quas in se ipse expressit; denique quas Apostoli in Christo obseruarunt ac didicerunt. [a] *Estote ergo vos perfecti, sicut & Pater vester cælestis perfectus est.* Sed qua ratione? [b] *Estote misericordes, sicut & Pater vester cælestis misericors est.* [c] *Ego dico vobis non resistere malo: sed si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram. Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos: vt sitis filij Patris vestri, qui in cælis est; qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos.* Hæc nos Patri nostro cælesti conformes faciunt.

Perfectiones Dei à Deo, à Christo, ab Apostolis petēda.

1. A Deo.
a Matth. 5.
b Luc. 6.
c Matth. 5.

10. Iussit & Pater cælestis vt Filium eius audiamus: nempe in monte Thabor *voce delapsa ad eum* (ait Petrus) *à magnifica gloria: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui; ipsum audite.* Quibus verbis ipsum oculis nostris exemplar constituit, ad imitandum quidquid in eo conspexerimus, aut ab eo audiuerimus. Clamat ergo Christus: *Ego sum lux mundi: qui sequitur me, non ambulat in tenebris. Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Qui amat animam suam, perdet eam; & qui odit animam suam in hoc mundo, in vitā æternam custodit eam. Qui mihi ministrat, me sequatur. Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo; & veni, sequere me. Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & vxorem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus: & qui non baiulat crucem suam, & venit post me, non potest meus esse discipulus. Sunt eunuchi qui seipsos castrauerunt propter regnum cælorum. Qui potest capere, capiat.* Denique: *Qui vos audit, me audit; & qui* vos

2. A Christo.
2. Pet. 1.
Matth. 3.
Luc. 9.
Ioan. 8.
Matth. 16.
Ioan. 12.
Matth. 19.
Luc. 14.
Matth. 19.
Luc. 10.

vos ſpernit, me ſpernit. His omnibus conſilia, quibus PERFECTIO
comparatur, expoſuit: vt, qui inter eius diſcipulos annumerari velit,
exuat ſe mundo, diuitijs, amore ſui, libertate proprij corporis, his om-
nibus alijſque rebus ſe abdicet, quibus alioqui licitè vſurus fuiſſet; in-
ducat verò eorum loco odium ſui, abnegationem propriæ voluntatis,
iudicij, totiuſque animi, quem ſubijcere debet Superiori, vt Chriſti vi-
cario; nullam denique in hoc ſęculo beatitudinem reputet aliam, quàm
multa pati, Domini ſui inſtar & cauſa, dicentis: *Beati eritis cùm maledi-* *Matth. 5.*
xerint vobis homines, & perſecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduer-
ſum vos, mentientes, propter me: gaudete & exultate, quoniam merces veſtra
copioſa eſt in cælis.

II. Apoſtoli quoque, quæ in Magiſtro ſuo viderunt & obſeruarunt, *3. Ab Apo-*
imitati ſunt, & nos ad eorundem imitationem prouocarunt. In primis *ſtolis.*
D. Paulus. *Imitatores* (inquit) *mei eſtote, ſicut & ego Chriſti: aſpicientes* *1. Cor. 11.*
in auctorem fidei, & conſummatorem IESVM, *qui propoſito ſibi gaudio* *Heb. 12.*
ſuſtinuit crucem, confuſione contempta. Recogitate enim eum, qui talem ſuſ-
tinuit à peccatoribus aduerſus ſemetipſum contradictionem: vt ne fatigemini,
animis veſtris deficientes. Scribēs verò ad Corinthios, cùm dona quædam
admiranda, (vti diximus) quibuſdam à diuino Spiritu communicata, in
vtilitatem corporis Eccleſiæ, expoſuiſſet; videretque nonnullos pro-
penſiores eſſe ad æmulationem talium donorum, quàm illarum virtu-
tum, quę non admirationem, ſed PERFECTIONEM pariunt; *Æmu-* *1. Cor. 12.*
lamini, ait, *chariſmata meliora: & adhuc excellentiorem viam vobis demonſtro.*
inſinuans caritatem eſſe & conſummationem & *vinculum* PERFE- *Col. 3.*
CTIONIS: quòd virtutes omnes in ſe quodammodo contineat, fi-
niſque ſit virtutum omnium; quorum officia omnia ad ſe rapit & exer- *1. Tim. 1.*
cet, & velut catenam quandam virtutes ceteras aggregat, annectit, at- *1. Cor. 13.*
que conglutinat: ijſque & hominum lumbos præcingit, corpus induit
& componit, capiti gratiam addit, & inſtar torquis collum adornat; ho- *Prou. 1.*
minum animos denique ſic colligat atque conſtringit, vt *multitudinis* *Act. 4.*
credentium ſit *cor vnum, & anima vna*; omnes vnum ſint in Deo & cum *Ioan. 17.*
Deo; vnde idem Paulus ait: *Caritas patiens eſt, benigna eſt; caritas non æmu-* *1. Cor. 13.*
latur, non agit perperam, non inflatur, non eſt ambitioſa, non quærit quæ ſua ſunt;
omnia ſuffert, omnia credit, omnia ſperat, omnia ſuſtinet. Nunc autem manent
fides, ſpes, caritas: tria hæc; maior autem horum eſt caritas. Quod vno verbo
dici poteſt: Caritas aduerſatur omnibus vitijs; omnium virtutum im-
perat atque exercet officia. Apoſtolus verò hîc præcipuarum virtutum *Virtutes Theo-*
nomina complexus eſt, & quidem Theologicas (quas vocant) expreſsè, *logica, fides,*
nempe fidem, ſpem, & caritatem; ceteras tacitè poſuit. Vnde meritò *ſpes, caritas.*
de ea dici poteſt, quod Sapientiæ octauo: *Sobrietatem enim & prudentiam* *Sap. 8.*
docet, & iuſtitiam, & virtutem ſeu fortitudinem, *quibus vtilius nihil eſt in*

Cardinales. *a Amb. lib. 1. Offic. c. 14.* *b Prosp. lib. 3. de vita contemplat. c. 18.* *c Greg. lib. 2. Moral c. 36.* *d Aug. lib. de Genesi contra Manichaos.* *e Amb. lib. de Parad. cap. 3.* *f Earũ partes.* *g 2. Cor. 6.* *h 1. Pet. 2.*

vita hominibus. Hæ sunt virtutes principales, & velut ceterarum fundamentum & cardines; idcirco & Cardinales vocantur à D. [a] Ambrosio, [b] Prospero, [c] Gregorio Magno. [d] D. Augustinus tropologicè has virtutes explicās, eas significari vult per quatuor flumina Paradisi; sicut & D. Ambrosius [e] libro de Paradiso: nam & paradisum Ecclesiæ irrigāt, & omnes riui decurrentes ex ijs promanant. [f] Ceteræ enim virtutes morales ex his profluunt, tamquam partes, vel subiectiuæ, vel potentiales, vel integrales. De his Apostoli varijs locis prolixè tractarunt in Epistolis suis; vti idem Apostolus: [g] *Exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros in multa patientia, in castitate, in scientia, in longanimitate, in suauitate.* Et Princeps Apostolorũ: [h] *Subiecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum: siue Regi, quasi præcellenti; siue Ducibus, tamquam ab eo missis. Omnes honorate: fraternitatem diligite: Deum timete: Regem honorificate. Serui subditi estote in omni timore dominis; non tantùm bonis & modestis, sed etiam dyscolis. Hæc est enim gratia, si propter Dei conscientiam sustinet quis tristitias, patiens iniustè. Quæ enim est gloria, si peccantes & colaphizati suffertis? sed si bene facientes patienter sustinetis, hæc est gratia apud Deum: in hoc enim vocati estis.* Hæc pauca de multis, vt fundamenta PERFECTIONIS acquirendæ saltem attigisse sufficiat.

12. Hæ sunt Dei PERFECTIONES, in eius Filio IESV Christo vera Dei imagine impressæ, nobis ad imitandum propositę; non autem prophetare, loqui linguis, miracula facere, dominari populis, rapi in tertium cælum. Id enim à nobis non exiget Dominus in die iudicij; multique dicent: *Nónne in nomine tuo prophetauimus, dæmonia eiecimus, virtutes multas fecimus?* Quibus Deus respondebit: *Numquam noui vos. Discedite à me, qui operamini iniquitatem.* *Matth. 7.*

Eccle. 12. 13. *Finem* ergo *loquendi*, ait Sapiens, *pariter omnes audiamus. Deum time, & mandata eius obserua: hoc est omnis homo*. Et Christus: *Non est discipulus super magistrum; perfectus autem omnis erit, si sit sicut magister eius.* *Luc. 6.*

CAPVT IV.

Deum esse PERFECTIONIS *auctorem.*

Deus auctor est Perfectionis.

HAVD erit iam difficile statuere, Deum esse PERFECTIONIS auctorem; cùm constet esse auctorem rerum omnium, & in primis naturæ, quæ subiectum esse debeat PERFECTIONIS: vt ne in minimo quidem quisquam gloriari possit, ac dicere, *Manus nostra excelsa, & non Dominus, fecit hæc omnia. Quid enim habes quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? Omnis namque* *Deut. 32.* *1. Cor. 4.*

que domus fabricatur ab aliquo: qui autem omnia creauit, Deus est. Sed & si quid præstans est in natura, sunt illæ animæ potentiæ, intellectus & voluntas. Deus autem in vtero matris & corporis partes format, & animam pro suo arbitrio creat, & vnit corpori: nec pendet à generis nobilitate, sed omnia disponit secundùm sapientiæ suæ consilium. *Formaui te*, ait, *seruus meus es tu Israel; ne obliuiscaris mei. Hæc dicit Dominus redemptor tuus, & formator tuus ex vtero: Ego sum Dominus, faciens omnia, extendens cælos solus.*

Heb. 3.

Deus auctor naturæ.

Isaia 44.

2. Quòd si verò naturam hominis perfectam in se ponamus, quid tum? ne sic quidem gloriari potest; quæ nihil in actum posset educere, nisi Deus ipse concurreret, ac tamquam agens principalis actum perficeret. Sicut enim res, quæ cùm sunt, esse non possunt, nisi vt sint Deus illis esse tribuat; ita etiam vt conseruentur, moueantur, & agant, necesse est vt illis intimè præsens sit, ac cooperetur, motioni & actioni esse quoque tribuat. Vnde si Philosopho dicere licuit, *motum & mouens simul esse oportere*; longè magis Deum nobis coniungi necesse est, cùm eius virtute, tamquam causæ primæ ac principalis, opera nostra actum vitamque habeant: qua cessante, nec vssit ignis in fornace Babylonica; nec manus Ieroboam flecti potuit, quam in Prophetam minitantem extenderat. Vnde iure cum Isaia fateri cogimur: *Omnia opera nostra operatus es nobis, Domine.*

Natura non sufficiens principium Perfectionis.

Lib. 7. Physic.

D. Thom. 1. p. q. 8. a. 1.

Dan. 3.

3. Reg. 13.

Isaia 26.

3. Quid si dicam, naturam magna ex parte PERFECTIONI repugnare; eam quærere sese, non Deum PERFECTIONIS auctorem; eius propensiones à virtute longissimè dissidere? Id verò certissimum est. Natura quidem bona est, sapienterque à Deo condita: sed corrupta, non paruas molestias virtutis studio creat. Hinc à Deo monemur: *Sub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius.* Et Sapiens: *Post concupiscentias tuas non eas, & à voluntate tua auertere. Si præstes animæ tuæ concupiscentias eius, faciet te in gaudium inimicis tuis. Sensus* item *& cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua. Ecce qui seruiunt ei, non sunt stabiles; & in Angelis suis reperit prauitatem. Quanto magis hi qui habitant domos luteas, qui terrenum habent fundamentum, consumentur velut à tinea!* Caro etiam *concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem: hæc enim sibi inuicem aduersantur; vt non, quæcumque vultis, illa faciatis.* Quid mirum, cùm Apostolus dicat iræ filios nos fuisse? Natura ergo corrupta, non modò non iuuat, sed etiam obsistit, repugnat, ardua virtutis fugit consilia, & abhorret; obiecta denique habet, sequiturque contraria. Non ergo natura hominem perficit, sed PERFECTIONIS studium naturam incuruam releuat, corrigit, ac restituit. Quare non à nobis tamquam auctoribus PERFECTIO speranda atque petenda est, sed ab eo qui hominem rectum creauit, quique ei recreare

Natura Perfectioni repugnat.

Gen. 4.

Eccli. 18.

Gen. 8.

Iob 4.

Gal. 5.

Ephes. 2.

Psal. 50. potest cor nouum, & spiritum rectum in eius visceribus renouare.

Sine gratia hominem stare aut perfici non posse.

4. Quòd si demus hominem aliquem naturæ beneficio vtcumque perfectum, & præclaris ornamentis muneribusque è naturæ fonte depromptis illustratum ac firmatum; nihilominus id certa fide statuendum est, illum ijsdem præsidijs nec diutius stare, nec perfici vllo modo posse, ea PERFECTIONE quam requirit eius finis vltimus, qui est Deus bonorum remunerator. Quod enim ex nihilo est, sine Dei speciali auxilio redit in nihilum: & *corpus, quod corrumpitur, aggrauat animam; & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem.* Multi nominantur sapientes apud Ethnicos, qualis Socrates, Plato, Diogenes, Cato Maior, Marcus Tullius, qui multa præclarè egerunt, dixerunt, scripserunt: perfectos tamen eos quis dicet, cùm constet nullum finem supernaturalem vel agnouisse, vel intendisse; summum bonum statuisse studium voluntatis suæ, ac gloriam humanam, quam rebus omnibus prætulerunt; vitam quoque vitijs multis contaminasse? quæ quantumcũque occultare nisi sint; fieri tamen non potuit, quin se proderent, vel factis, (vt ex multis constat auctoribus) vel etiam scriptis, quæ mira vanitate asperserunt. Attexam vnicum exemplum M. Tullij, qui insatiabili gloriæ cupiditate flagrans L. Lucceio a ita scribebat: *Coram me tecum hæc eadem agere sæpe conantem deterruit pudor quidam pæne subrusticus: quæ nunc expromam absens audaciùs; epistola enim non erubescit. Ardeo cupiditate incredibili, neque (vt ego arbitror) reprehendenda, nomen vt nostrum scriptis illustretur & celebretur tuis. Non enim me solùm commemoratio posteritatis ad spem quandam immortalitatis rapit*, &c. Et paulo inferiùs: *Neque tamen ignoro quàm impudenter faciam, qui, vt me ornes, postulem. Quid si illa tibi non tantopere videntur ornanda? Sed tamen qui semel verecundiæ fines transierit, eum bene & nauiter oportet esse impudentem. Itaque te planè etiam atque etiam rogo, vt ornes ea vehementiùs quàm fortasse sentis, & in eo leges historiæ negligas; amorique nostro plusculum etiam, quàm concedit veritas, largiare. Quod si à te non impetro, cogar fortasse facere quod nonnulli sæpe reprehendunt: scribam ipse de me.* Hæc ille. Sapientibus hisce vt vera sapientia, ita vera PERFECTIO defuit. Cui argumento est, quòd humilitatis, quæ virtutum omnium fundamentum est, non tantùm nomen, sed & rem planè ignorarunt. Ideo *cùm cognouissent Deum,* (ait Paulus) *non sicut Deum glorificauerunt, neque gratias egerunt, sed euanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum: dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt.* Labilis quoque & infirma natura est, si gratiæ præsidio non fulciatur. Hinc in grauissima crimina prolapsi sunt, & *tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam; vt contumelijs afficiant corpora sua in semetipsis.* Ignota quidem ea fortè fuere, dum viuerent: attamen manifesta erunt in die iudicij, quo omnes sapientes cum stulta sua sapientia

prolixiùs

Sap. 9.

Perfectio Philosophorũ qualis.

Lactant lib. 5. diuin. instit. cap. 15. Theod. lib. 3. Græc. affect. Aug lib. 8. ciu. cap. 12. Laërt. in vita Plat.

a Cic. lib. 5. epistola 12.

Rom. 1.

Ibidem.

prolixiùs confundantur. Ex quo colligo, non modò perfectos esse non posse, qui naturam præsidijs humanis excolere nituntur; sed etiam à bonitate naturæ immaniter prolabi, ni cælitus iuuentur, ac gratia diuina stabiliantur.

5. Id etiam locum habet in ijs qui fidem susceperunt: eos nimirum falli, si per opera in speciem bona mores aulicos, factaque preclara, humano tantùm ac temporali fine sibi proposito, ad PERFECTIONIS culmen posse se peruenire arbitrentur. Multi enim à puero instruuntur, non minùs studiosè quàm curiosè, vrbanitatem præseferre in conuersatione, decentiam in incessu, corporisque compositione, honestatem in moribus: & bene quidem, si cetera non desint. Cauent supra modum ne superbi videantur; de se demissè loquuntur; primas cedunt alijs; nolunt haberi tenaces; plura quàm habeant, aut facturi sint, pollicentur; à motibus iracundiæ coram hominibus cauent diligentissimè; quidquid denique virtus præscribit interiùs, exteriùs æmulari, simulare (inquam) satagunt; & ferè vbique sanctitatis simulacrum conferunt, moresque compositos, præterquam in Templis coram tremendis Mysterijs, vbi rusticos barbarosque mores produnt; & ædibus suis tecti sine arbitris, vbi cum domesticis efferatè bacchantur. Hi tamen accurati perfectique putantur, sed ea PERFECTIO non est. Vocat enim huiusmodi Christus sepulcra dealbata, quæ parent hominibus pulchra, intus verò plena sunt ossibus mortuorum. Et quamuis vitia nulla essent, quia tamen naturæ limites non transgrediuntur ea, Christiana PERFECTIO non est. *Qui non intrat per ostium in ouile ouium, sed ascendit aliunde; ille fur est, & latro.* Christus est ostium ouium: actiones ergo quibus perficimur, à fide & virtutibus Christi merito infusis proficisci debent. Hinc D. Augustinus: *Fuerunt quidam Philosophi de virtutibus & vitijs subtilia multa tractantes, diuidentes, definientes, ratiocinantes, accuratissimè concludentes, libros implentes, suam sapientiam buccis concrepantibus ventilantes; qui etiam dicere auderent hominibus, Nos sequimini, sectam nostram tenete, si vultis bene viuere. sed non intrabant per ostium; perdere volebant, mactare, & occidere.* Hæc Augustinus. Talis pæne doctrina est aulicorum, quorum finis in honore quærendo ac conseruando versatur. Ideo statuunt, illum rebus omnibus, etiam saluti propriæ, Dei honori & amicitiæ, præferendum; satiusque esse, duello sese æternæ damnationis periculo exponere, quàm PERFECTIONIS aulicæ leges violare.

6. Itaque Deo PERFECTIO nostra tribuenda est: qui exemplar nobis Filium suum proposuit, in quo quid agendum, quid fugiendum sit, intuemur; quem si ducem sequamur, nullo modo aberrabimus. Illius quoque meritis vitam quandam diuinam atque auxilia opportuna, naturam ipsam exuperantia, nobis largitus est. Sic enim Christus lo-

Perfectio politicorum.

Matth. 23.

Ioan. 10.

Tract. 45. in Ioan.

Vnde vera Perfectio.

Ioan. 15.

quitur: *Ego sum vitis, vos palmites: qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum; quia sine me nihil potestis facere.* PERFECTIO ergo nostra à Deo oriri ac procedere debet, sicut & perfectio membrorum à capite, & corporis à spiritu, qui illud informat. Si ergo manemus in Christo vt in capite, & ipse in nobis vt spiritus animam nostram quodammodo informans; feremus fructum copiosum: alioquin nihil amplius, quàm palmitem à vite, aut membrum à corpore auulsum, aut corpus anima destitutum ferre videmus. Hinc D. Augustinus: *Ne quisquam putaret saltem paruum aliquem fructum posse à semetipso palmitem ferre, cùm hæc dixisset, Hic fert fructum multum; non ait, Quia sine me parum potestis facere; sed, nihil potestis facere. Siue ergo parum, siue multum; sine illo fieri non potest, sine quo nihil fieri potest.*

Tract. 81. in Ioan.

Quæ Perfectionem præcedant ac supponantur.

1. Lumen in intellectu.

7. Cuius ratio est: PERFECTIO multa requirit, & ea quidem omnia pendent à gratia supernaturali. Ostendimus enim naturam ex se insufficientem esse ad delendum peccatum, passiones domandas, virtutes in excellenti gradu comparandas. Et quidem in primis requiritur vt homo iustus sit: iustitiam verò multa debent præcedere: numquam enim de peccatis deserendis cogitabis efficaciter, nisi tibi Deus cogitationem illam suffecerit; quod D. Augustinus probat testimonio D. Pauli: *Non quòd sufficientes simus cogitare aliquid à nobis, tamquam ex nobis; sed* omnis *sufficientia nostra ex Deo est.*

Lib. de grat. & lib. arbit. c. 6. & 7.

2. Cor. 3.

2. Voluntatis excitationes.

8. Præter lumen verò quo cogitationes animis nostris excitantur, eleuari ac roborari debet etiam voluntas, impedimentaque cùm à passionibus, tum ab hoste generis humani, tum ab obiectis sensuum carnisque illecebris exorta remoueri. Nec illico peccator Deo impellenti victas manus porrigit. Idcirco clamat Propheta: *Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra, sicut in exacerbatione.* Et queritur Dominus: *Quadraginta annis proximus fui generationi huic, & dixi, Semper hi errant corde. Ipsi verò non cognouerunt vias meas: quibus iuraui in ira mea, si introibunt in requiem meam.* Et hi quidem non tantùm citò Deum non admiserunt, sed numquam: quia Deus neminem cogit. Fauoris est quòd vocet; malitiæ nostræ, quòd vocanti non obtemperemus. *Ad illam cœnam* (inquit D. Augustinus) *quam Dominus dicit in Euangelio paratam, nec omnes qui vocati sunt, venire voluerunt; neque illi qui venerunt, venire possent, nisi vocarentur. Itaque nec illi debent sibi tribuere, qui venerunt, quia vocati venerunt: nec illi qui noluerunt venire, debent alteri tribuere, sed tantùm sibi, quoniam, vt venirent vocati, erat in eorum libera voluntate. Propterea & si quisquam sibi tribuit quòd vocatus venit, non potest sibi tribuere quòd vocatus est: qui autem vocatus non venit, sicut non habuit meritum præmij vt vocaretur, sic inchoat meritum supplicij cùm vocatus venire neglexerit.* Hęc ille. Quidam ergo omnino non venerunt, quidam tardiùs, quidam celeriùs:

Psal. 94.

Voluntas subinde gratiæ excitanti repugnat.

Lib. 83. Quæst. q. 68.

celeriùs: omnes tamen qui acquieuerunt, diuina gratia acquieuerunt.

9. Illud quoque inter beneficia singularia referendum, quòd Deus subinde congruenter vocat. Constat enim ex præcedenti D. Augustini testimonio, distingui gratiam in sufficientem & efficacem. Ideo enim puniendos ait Augustinus, quòd gratia vocationis sufficienter dispositi erant vt venirent, venire tamen neglexerunt. Illi ergo sufficientem gratiam acceperant; &, qui venerunt, efficacẽ. Illam quoque priorem habuerũt patres annis quadraginta in deserto. Illam eorum filij in terra promissionis, quibus Dominus dixit: *Quid vltrà debui facere vineæ meæ, & non feci? an quòd expectaui vt faceret vuas, fecit autem labruscas?* Et ciuitati Ierusalem: *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti!* Et S. Stephanus ijsdem: *Dura ceruice & incircumcisis cordibus vos semper Spiritui sancto resistitis; sicut patres vestri, ita & vos.* Reprehendit eos quòd officio defuerint, nec tamen illud præstare sine gratia poterant: habebant ergo sufficientem, alioquin ineptè reprehenderet. Et quidem Deus se non defuisse asseuerat; illos verò, vti & patres, Spiritui sancto semper restitisse. Denique, *Ego sto ad ostium*, ait, *& pulso: si quis aperuerit mihi ianuam, intrabo ad eum.* Cur pulsas, Domine? vis intrare, an non? si non, cur pulsas? si vis, cur mihi non das gratiam? nam sine gratia tua tibi aperire non possum. Aut gratiam ergo tuam largiris, aut rides me, stultéque pulsas; quia pulsando nec intrare vis, nec me tibi aperire. Liberum quidem mihi relinquis aperire vel non aperire, cùm dicis, *Si quis mihi aperuerit*; tamen si nolis intrare, nec gratiam dare, mihi videris illudere, & mandas quod factu mihi est impossibile. Hæc gratia sufficiens datur omnibus. Iussit enim Dominus omni creaturæ Euangelium prædicari: quod si in nobis efficaciter non operetur, id vitio nostro fit, vt de vocatis ad cœnam iam diximus; vtque idem Augustinus testatur: *Noluit Esau, & non cucurrit: sed & si voluisset, & cucurrisset, Dei adiutorio peruenisset; qui ei etiam velle & currere vocando præstaret, nisi, vocatione contempta, reprobus fieret.* Hæc ille. Qui enim à Deo mouetur, si faciat quod in se est, si oret, si motionem persequatur, efficaciter à Deo mouebitur. ait enim Dominus: *Petite, & dabitur vobis; quærite, & inuenietis; pulsate, & aperietur vobis.* Et Propheta Regius: *Voluntatem timentium se faciet, & deprecationem eorum exaudiet, & saluos faciet eos.*

10. Quos tamen Deus peculiari fauore prosequitur, mouet congruenter, mouet efficaciter, sicque vt effectus sequatur. Quis autem reprehendat Dominum, & dicat, Cur ita facis? Dominus est, nulli obligatur, omnes autem ipsi. *An oculus tuus nequam est, quia ipse bonus est?* Mouet ergo, quos vult, efficaciter. Ita Apostolus loquitur: *Nam quos præsciuit,*

Gratia duplex.
Alia sufficiens.
Isaia 5.
Matth. 23.
Act. 7.
Apoc. 3.
Matth. 28.
Marc. 16.
Lib. 1. ad Simplic. q. 2.
Matth. 7.
Psal. 144.
3. Gratia efficax.
Matth. 20.
Rom. 8.

hos

hos & prædestinauit; quos autem prædestinauit, hos & vocauit; & quos vocauit, hos & iustificauit. Vbique hic effectus sequitur: nam *hæc gratia*, ait D. Augustinus, *à nullo duro corde respuitur; ideo quippe tribuitur, vt cordis duritia primitus auferatur*. Nouit enim Deus, nostræ libertatis auctor, quique illi adest intimè, quò illa propendeat, quid fugiat; quæ rationes illam moueant, quæ alienent; quibus abduci, quibus adduci possit. Hinc illi facile est, huc illúcve illam flectere vel abducere. Igitur D. Augustinus: *Non volentis*, (inquit) *aut currentis, sed miserentis est Dei; qui hoc modo vocauit, quomodo aptum erat eis, qui secuti sunt vocationem*. Et infrà: *Cuius miseretur, sic eum vocat, quomodo scit ei congruere, vt vocantem non respuat.*

Lib. de prædest. sanct. c. 9.

Lib. 1. ad Simpl. q. 2.

Libertas saluatur cum gratia efficaci.

11. Præparat ergo Dominus rebellem voluntatem sufficienter vt sequatur si velit; subinde etiam efficaciter vt velit, sine detrimento tamen libertatis. Etsi enim in Dei potestate sit, sic præuenire libertatem, vt voluntatem propellat ac prædeterminet præter consuetum agendi modum, liberæ naturæ conuenientem; non solet tamen sapientissimus Deus naturarum condiciones sine grauissima necessitate aut ratione mutare. Hinc D. Augustinus: *Aliter* (ait) *Deus præstat vt velimus, aliter præstat quòd voluerimus. Vt velimus enim, & suum esse voluit, & nostrũ; suum vocando, nostrum sequendo. Quòd autem voluerimus, solus præstat: id est, posse bene agere, & semper beatè viuere*. Hæc ille. Et hîc videmus, ipsum vellè nostrum fieri à Deo; non per Physicam actionem determinantem voluntatem, sed per vocationem, quæ est moralis inclinatio & impulsio, cui liberè consentimus vel dissentimus.

Lib. 1. ad Simpl. q. 2.

12. Quæ cùm ita sint, non est quòd Deum culpemus acceptionis personarum, quòd subinde alijs gratiam congruam tribuat, alijs non; cùm nulli quidquam debeat, omnibusque sufficientem gratiam immittat. Quòd si quis se trahi non sentiat, is vtique oret vt trahatur. Facienti enim quod in se est, Deus nemini denegat gratiam. Miranda hæc quidem sunt Dei iudicia; idcirco exclamat Apostolus: *O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei! quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius! Quis enim cognouit sensum Domini? aut quis consiliarius eius fuit?* Vnde D. Augustinus: *Iam* (ait) *si ad illam profunditatem scrutandam quisquam nos coarctet; cur illi ita suadeatur, vt persuadeatur, illi autem non ita: duo sola occurrunt interim quæ respondere mihi placeat: O altitudo diuitiarum! &: Numquid iniquitas apud Deum?* Et hactenus quidem, quæ diximus, vni Deo accepta referre debemus.

Concil. Trid. sess. 6. c. 11. & 13. Rom. 11.

Lib. de spir. & lit. c. 34.

4. Gratia cooperans.

13. Vt autem opus in actum exeat, Dei cooperatione ac concursu opus est ad actus singulos: non modò illo naturali, de quo antè diximus; sed postquam Deus per gratiam suam hominis facultates ac potentias excitauit atque erexit ad agendum, coire debet ipse, ac cooperari, tamquam causa prima in genere actuum supernaturalium: nec

magis

magis sine ea homo potest operari supernaturaliter, quàm sine concursu naturali naturaliter. Hinc D. Augustinus: *Vt velimus*, (inquit) *sine nobis operatur; cùm autem volumus, & sic volumus vt faciamus, nobiscum cooperatur.* *Lib. de grat. & lib. arb. c. 17.*

14. Et quamuis in actu nos ipsi cum Deo concurramus; tamen Scriptura sic Deo opera nostra attribuit, vt nihil ipsi agere videamur. *Sicut diuisiones aquarum*, (inquit Sapiens) *ita cor Regis in manu Domini: quocumque voluerit, inclinabit illud.* *Prou. 21.* Et Ezechiel: *Auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum, & faciam vt in præceptis meis ambuletis.* *Ezech. 36.* Et Apostolus: *Deus est enim qui operatur in nobis & velle, & perficere.* *Philip. 2.* [a] *Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.* [b] *Deus qui operatur omnia in omnibus.* [c] *Conuerte nos Deus salutaris noster.* *a Rom. 9. b 1. Cor. 12. c Psal. 84.*

Nec mirum quòd Deo Scriptura omnia tribuat; nam & nobis subinde videtur totum tribuere, vt cùm ait: *Cum metu & tremore vestram salutem operamini.* *Philip. 2.* [d] *Operamini non cibum qui perit.* [e] *Facite vobis cor nouum, & spiritum nouum.* [f] *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos.* *d Ioan. 6. e Ezech. 18. f Zach. 1.* Scriptura, inquam, sæpe totum Deo attribuit, quia nos causa sumus minùs principalis, quæ maximè infirma est, & plurimis indiget: sine ea tamen Deus non agit; & *qui fecit te sine te, non te iustificat sine te.* *Aug. l. 1. Conf.* Deus verò ad opus peragendum longè de suo plura, quàm nos, confert: nam potentiam ipsam formauit, verbi gratia voluntatem; vim agendi naturalem eidem indidit; concursum præbet, & quidem independenter ac liberè, vt, si nolit coire, causa secunda cassò conatu maneat inanis; præuenit deinde, si actus sit supernaturalis, ac disponit idoneis ac efficacibus suasionibus; tandem impedimentis omnibus sublatis concurrit, & perficit opus. *Quæ Deus conferat ad perfectionem vnius actus.* Quid horum comparatione homo confert ad eliciendum actum? vnde mirum non est, si Propheta dicat, *Omnia opera nostra operatus es nobis Domine*; *Isaiæ 26.* & Christus, iugum suum esse suaue, & onus suum leue. *Matth. 11.* Vt enim in iugo equorum altior & fortior plus oneris sustinet, fortiusque trahit; alter verò plurimùm leuatur, alteriusque auxilio recreatur: ita & in operibus quantumlibet arduis incredibiliter iuuamur & recreamur, dum *Spiritus Christi adiuuat infirmitatem nostram*, *Rom. 8.* altior fortiorque sustinet totum pondus. Hinc Propheta Regius: *In Deo meo* (inquit) *transgrediar murum.* *Psal. 17.* Æquè profectò difficile est homini absque gratia opus bonum facere, atque sine alis murum altissimum transuolare aut transilire. *Omnia* tamen *possum* (ait Apostolus) *in eo qui me confortat.* *Philip. 4.* At misericordias Domini mira operantes in vno peccatore conuerso contemplemur.

Benedictus de Goez, natus in Insula S. Michaëlis vicina Lusitaniæ, in [illegible] militaturus soluit: vbi post aliquot annorum stipendia, mutato consilio, Societatem nostram expetijt, in quam tamquam Coad- *Ex annuis Prouinciæ Goanæ anni 1609.*

» iutor temporalis admissus est. Mutationis porrò occasionem præbuit
» huiusmodi prodigiosum euentum. Anno 1583 Lusitana classis cir-
» ca oram Trauancoranam versabatur. Sesquimilliari ab opido Colecht
» Templum erat cuiusdam pagi, in quod cùm Goezius ludis & grauiori-
» bus vitæ militaris vitijs perditè addictus & pæne desperabundus ingres-
» sus esset cum commilitone, tabulæ altaris conspectu (illa depictam
» B. Virginis filium gestantis effigiem cõtinebat) stimulis actus conscien-
» tiæ, procidit in genua, fusoque copioso lacrymarum imbre, obnixè
» petijt à Deipara Virgine, vt à filio peccatorum veniam ac remissionem
» impetraret. Res mira. Ecce infantulus IESVS, in brachijs matris
» efformatus, vbertim lacrymas lactei coloris effudit, tam copiosas, vt
» vndique in suppositum altare diffluerent; scilicet vt pœnitens disceret,
» quàm piè pater misericordiarum, matris accedentibus precibus, quo-
» dammodo compatiebatur. Rei nouitate attonitus vterque aliquot
» commilitones in Templum aduocat; ostentum explorant; compe-
» riunt eum liquorem ex oculis picti pueruli emanare: dubitationem exi-
» mebat summa per eos dies siccitas, & æstas in ijs locis præferuida. In-
» tingunt strophiolum eo liquore, in pignus veritatis. Concurrêre mox
» quamplurimi, & rem obseruatam festa bombardarum maiorum & mi-
» norum explosione classiarij omnes celebrarũt, ramisque Templum sa-
» tis alioquin despicabile inumbrarunt. Id contigit anno 1583; & hoc
» anno 1609, facta diligenti inquisitione à Patribus nostris, veritas com-
» probata est, cuius etiam vestigia imago ipsa retinet. Hac ergo visione
» compunctus Goezius, de tota vita apud Patrem Societatis confessio-
» nem instituit; Religionis ingressum vouit, & in nostram anno insequen-
» ti, hoc est, 1584, admissus est. Verè miserationes Domini super om-
nia opera eius; qui vel minimùm quærentes se & inuitat, & trahit, & re-
cipit.

5. Habitus gratia supernaturalis. Concil. Trid. sess. 6. c. 16. Ioan. 7. Ioan. 4.

15. Vt autem iustificatus conuenienter statui suo operetur, necessarij sunt ei præterea vel fontes perpetui, vnde ad agendum vis continenter emanet: vel certè motio Dei continua; quæ necessaria non est, si fontes illi adsint, de quibus Dominus: *Si quis sitit, veniat ad me, & bibat, & de ventre eius fluent aquæ viuæ. Qui autem biberit ex aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* Nihilominus visitat subinde amicos suos ad proficiendum clementissimus Dominus, & nouo calore incendit, incitat, promouet, solatur, lacrymas ciet. *Quoniam sicut* in eius obsequio *abundant passiones Christi in nobis, ita & per Christum abundat consolatio nostra: & sicut socij passionum sumus, ita & consolationis.* Omnia autem ista cælitus veniunt, nec est qui gloriari possit, ni velit in Domino. Gratia enim gratia est, non meritum, aut naturæ debitum.

2. Cor. 1.

2. Cor. 10.

6. Perseuerantia non cadit sub meritum.

16. Ad hæc perseuerantia opus est, ne in pristina relabaris. Nihil enim

enim PERFECTIONIS ita cursum impedit, vt relapsus in vitia: sicut iterata vulnera & maximè letalia sanitatem labefactant, mortemque conciliant. At perseuerantia sine gratiæ auxilio non habetur, eámque ex iustitia nemo mereri potest: Deus enim id nemini promisit certum aliquod opus facienti. Nec etiam pluribus operibus ea in præmiũ respondet, sed singulis singula reddũtur præmia. Vnde plurimi viri, ijque sanctissimi, à perseuerantia exciderunt: vt Saul, etsi eo fuerit nemo, dum in Regem delectus est, melior; vt Salomon, qui amicus Dei appellatus est; vt Nicolaus, de quo in Actis Apostolorum, qui inter primos & feruentiores discipulos Diaconus fuerat constitutus; Origenes quoque, olim virtutis exemplar, quique summo martyrij desiderio flagrauerat; Tertullianus, & multi alij, qui (vt ait S. Ioannes) fixi velut astra in cælis videbantur, decussi sunt ac præcipites dati ab impetu ferientis caudæ draconis. Donum enim perseuerantiæ non est res aliqua vna, sed tota series auxiliorum quæ à Deo homini conferuntur, vsque in finem; idque varijs temporibus, locis, occasionibus: quæ sanè collectio congesta, sub meritum condigni (vt vocant) cadere non potest. Hinc D. Petrus nos hortatur cum timore & tremore salutem nostram operari. Nam [a] *delicta quis intelligit?* & [b] *quis potest dicere, Mundum est cor meum?*

1. Reg. 10. *3. Reg. 11.* *Act. 6.* *Apoc. 12.* *1. Pet. 1.* a *Psal. 18.* b *Prou. 20.*

17. Ex his colligitur, neminem perfici posse sine singulari Dei auxilio & gratia. Si verò gratia, Deus igitur minimè obligatur. Cumque vires desint naturæ corruptæ, sequitur *non minùs impossibile esse, hominem perfici naturæ viribus, quàm saxum germinare, arborem ambulare, leonem loqui articulatè, hominem volare, atque in aëre medio consistere*; nosque ingenuè fateri summa cum reuerentia, timore, ac tremore oportere, *Deum esse* PERFECTIONIS *auctorem:* qui nisi hominibus etiam iustis adsit, eximioque fauore ac protectione peccandi occasiones amoliatur, libidinis impetus frangat, dæmonis artes detegat, illecebras sæculi comprimat, passionum atque affectionum vim coërceat, tentationum molestias propulset, illustrationes diuinitus immittat, animum ardentibus desiderijs incendat, labilem voluntatem firmet, occasiones exercendæ augendæque virtutis præbeat, certum exploratumque est, nos in PERFECTIONIS studio exiguos progressus, aut etiam nullos, esse facturos.

CAPVT V.

Opportunitates PERFECTIONIS *adipiscendæ à Deo hominibus plurimas offerri.*

Deus auctor est nostrorum operum.
a *Isaiæ 26.*
b *1. Cor. 12.*

DEO ergo concedendum est, (atque ideo ipsi plurimùm obstricti sumus) quòd [a] operetur opera nostra, quòd [b] omnia operetur in omnibus; hoc est, quòd potissima sit pars ac causa operationis PERFECTIONISque nostræ. Attamen fidelium omnium collectio non haberet vnde tantopere hanc gratiam extolleret, si pauculis Deus eam esse cõmunicatam vellet, nullumque propẽsæ voluntatis suę erga PERFECTIONEM nostram argumentum edidisset. Verùm *apparuit gratia Dei Saluatoris nostri omnibus hominibus*; & se idipsum optare infinitis argumentis testari non desinit: quod ad excitandos ad studium PERFECTIONIS veros Dei cultores momenti deberet habere plurimum. Solent enim subditi Regis sui non dico mandatum, sed vel nutum ac propensionem tanti facere, vt subinde in euidentia vitæ pericula ruere non reformident: quod sacris profanisque litteris exploratissimum est. Dauid optauit aquam de cisterna quæ adhærebat portis Bethlehemiticis; quo loco statio erat Philistinorum: nec cuiquam adferre mandauit; sed in præsidio existens, sitibundus in has voces erupit: *O si quis mihi daret potũ aquæ de cisterna quæ est in Bethlehem iuxta portam!* Quo dicto, *irruperunt tres fortes castra Philistinorum, & hauserunt aquam de cisterna, & attulerunt ad Dauid.* Vnicum Principis desiderium hoc fecit.

Tit. 2.
Deus vult omnes esse perfectos.
Obedientiæ perfectæ symbolum.
2. Reg. 23.

Cùm Scipionis Africani virtutem in rebus bellicis ac felicitatem multi mirarentur; quodque paucis militibus ardua quæque superaret: *Quid mirum?* inquit ipse Scipio; *nullus è toto numero militũ est, qui paratissimus non sit ad solius vocis meæ sonum in mare sese dare præcipitem.* Non inferioris obseruantiæ argumentum, quod de C. Blosio Cumano narrat Plutarchus: *In tumultu enim Ciuili, post Reges extinctos, Tiberius legem Agrariam ferre ausus, à nobilitate, quæ id passa non est, trucidatus est. Post eius mortem Blosius appellatus, ductúsque ad Consules, quòd legem promulgasset, respondit, se Tiberij iussu, viri prudentis, populi & Reipublicæ studiosissimi, fecisse. Ad hæc Consul Nasica: Quid si Capitolium incendere iussisset? an id quoque fecisses? Numquam iussisset hoc, inquit; sed, si iussisset, paruissem: nam pro vtilitate populi Romani, nec aliter vmquam, erat iussurus.* Magna vis est obseruantiæ subditi generosi in Ducem; quæ cæco animo in omnia, ne iussa quidem, nec satis explorata ratione, sola virtutis ac fidei nixa opinione, ruit ac præcipitat.

Plutarchus de scitè dictis Regum ac Imperatorum.
In vita Tiberij & Caij Gracchi.
Cic. lib. de amicitia.

2. Enim-

2. Enimuero *filij huius sæculi prudentiores filijs lucis in generatione sua sunt.* Deus omnia potens, fidelissimus in promissis, inuitat nos ad sui obsequium, promittit regnum, thronos, coronas, gloriam, ac beatitudinem, auxilia ad illa consequenda; mandat vt paucula mandata seruemus; nobis minatur sub interminatione æterni incendij, ni pareamus: & tamen pauci parẽt. Inuitat homines ad PERFECTIONIS solatia, voluptatẽ, securitatem: & vix vlli, non dico sequuntur, sed ne vix quidem audiunt; & si qui audiant, capere nolunt. Clamat, *Qui potest capere, capiat*; multisque auxilium præstat vt capiant; nec capiunt tamen, nec capere volunt.

Luc. 16. *Matth. 19.*

3. Non mandat quidem Deus sub pœna amittendæ suę amicitiæ alia, quàm quæ præcepit ad salutem necessaria; consulit tamen viam excellentiorem, nihilque illi est optatius, quàm vt omnes contendant & currant, brauium accepturi, quod Deus reddet vnicuique secundùm opera sua: idque tot Scripturæ testimonijs inculcat, vt cæci simus, si non videamus; surdi, si non audiamus. Noë placuit Deo pæne solus ante diluuium; quia *vir iustus atque perfectus fuit in generationibus suis*, & *cum Deo ambulauit*. Ille certè familiaris Principi est, qui cum eo ambulat: & si Princeps sapiens est, debet & ille esse, quem ipse Princeps in familiaritatem suam admittit. Talem Deus habere quoque voluit Abrahamum, cui dixit: *Ambula coram me, & esto perfectus; ponámque fœdus meum inter me & te, & multiplicabo te vehementer nimis*. PERFECTIO enim in amicitia Dei, fundamentum est omnium bonorum, & spiritualium, & temporalium, quæ exinde cælitus veniunt. Hortatur quoque Iosue, diuino actus Spiritu, filios Israël: *Timete Dominum, & seruite ei perfecto corde atque verissimo*. Regius quoque Propheta sibi gratulatur, quòd Deus perfecerit sibi pedes tamquam ceruorum, & super excelsa deduxerit. Cerui enim inter animalia nobilissimi sunt: habitant solitarij; vagantur in montibus; fortissimis cornuum ramis non tam onusti, quàm ornati; eorum carnes eduntur pæne solis Principum & nobilium mensis; celerrimi sunt ad cursum & saltum. Hæc perfectis conueniunt, qui ideo perfectissimi, quòd ex Deo nati mundum spernunt ac fugiunt, Deoque familiares sunt; in excelso montium contemplationis versantur; contra hostium generis humani machinas virtutum robore fortissimè dimicant; feruentissimè currunt, vt cælum rapiant; eoque saliunt animo momentis singulis, & ad ardua quæque adnituntur; & *quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita desiderant ad Deum fortem viuum*.

Indicia voluntatis diuinæ, quo ad Perfectionem nostram, in scripturis expressa. *Gen. 6.* *Gen. 17.* *Iosue 24.* *Psal. 17.* *Cerui, Perfectionis symbolum.* *Psal. 41.*

4. Nec tantùm Deus prodere voluit sibi gratum esse PERFECTIONIS nostræ studium; sed etiam efficacissimis verbis nos inuitat ad illam capessendam ac sectandam. *Sapientia* (ait Salomon) *foris prædicat, in plateis dat vocem suam, in capite turbarum clamitat, in foribus portarum vrbis*

Deus ad studium Perfectionis nos inuitat. *Prou. 1.*

Prou. 8.

Vrbis profert verba sua, dicens: Vsquequo paruuli diligitis infantiam, & stulti ea quæ sibi sunt noxia cupient, & imprudentes odibunt scientiam? & alibi: *O viri, ad vos clamito, & vox mea ad filios hominum. Intelligite paruuli astutiam, & insipientes animaduertite. Audite, quoniam de rebus magnis locutura sum. Melior est sapientia cunctis opibus pretiosissimis, & omne desiderabile ei non potest comparari. Mecum sunt diuitiæ & gloria, opes superbæ & iustitia. Melior est fructus meus auro & lapide pretioso, & genimina mea argento electo* Qui ergo inuitat, Sapientia est: omnes autem inuitat; nam locis illis id denuntiat, quibus omnes homines conueniunt. Res præclaras proponit: denique magna præmia promittit.

Consilia ad Perfectionem spectantia in Veteri Testamento insinuata.

a Isaia 56.

5. Et hæc quidem inuitatio generalis est. Descendit & Deus ad particularia consilia, quę tamen magis nouę quàm veteris Legis temporibus conueniunt. *Non dicat* (ait [a] Isaias) *Eunuchus, Ecce ego lignum aridum; quia hæc dicit Dominus Eunuchis: Qui custodierint sabbata mea, & elegerint quæ ego volui, & tenuerint fœdus meum; dabo eis in domo mea & in muris meis locum, & nomen melius à filijs & filiabus: nomen sempiternum dabo eis, quod non peribit.* Inuitat his verbis Dominus ad continentiam voluntariam, metaphora sumpta ab Eunuchis, qui impotentes sunt ad generandum: ideo continentes arido ligno meritò comparãtur; impotentia enim illa non à natura, sed à voluntate prouenit, vt ex his verbis, *Elegerint quæ ego volui*, colligit D. Hieronymus. Promittitur autẽ nomen melius à filijs & filiabus: quod Hebraica versio sonat, præ filijs & filiabus; aliquid melius quàm erunt filij & filiæ: aut, iuxta Septuaginta, Dabo illis, qui carebunt liberis, aliquid melius, quàm sit habere liberos; vti interpretantur D. [a] Cyrillus Alexandrinus, [b] Augustinus, [c] Basilius, [d] Ambrosius, [e] Gregorius, qui docent Deum nos excitare ad continentiæ amorem, propositis ijs præmijs iam commemoratis. Addit D. Augustinus peracutè: quòd si quis contendat Isaiam loqui de veris Eunuchis, qui se continent, quia aliter non possunt; & illis promittitur maior gloria, quàm iustis coniugatis; certè maiore ratione promittitur ijs qui se continebunt, etsi possent non continere. Promittitur ergo *nomen æternum*; quod sic exponit [f] D. Augustinus: *Quid tergiuersaris impia cæcitas? quid temporalem tantummodo vtilitatem promittis continentibus sanctis? Nomen æternum dabo eis. Et si fortè hoc ipsum æternum pro diuturno conaris accipere, addo, accumulo, inculco, nec vmquam deerit. Quid quæris amplius? Æternum hoc nomen, quidquid illud est, spadonibus Dei, quod vtique gloriam quandam propriam excellentemq́ significat, non erit commune cum multis, quamuis in eodem regno & in eadem domo constitutis. Num ideo fortasse & nomen dictum est, quòd eos, quibus datur, distinguat à ceteris?* Hæc Augustinus. Idem Sapiens prædixit, sed longè speciosioribus verbis. *Felix* (ait) *est sterilis; & incoinquinata, quæ nescit thorum in delicto, habebit fructum in respectione animarum*

In hunc locum.

a In hunc locum.
b Lib. de sancta Virg. c. 24.
c Lib. de Vera Virgin.
d In exhortat. ad Virg.
e In 3. part. Past. c. 29.
f Lib. de sancta Virg. c. 25.

Sap. 3.

animarum sanctarum; & spado, qui non operatus est per manus suas iniquitatem, nec cogitauit aduersus Deum nequissima: dabitur enim illi fidei donum electum (donum quoddam singulare, respondens fidei ipsius) *& sors in Templo Dei acceptissima. Bonorum enim laborum gloriosus est fructus, & quæ non concidet radix sapientiæ.*

6. Verùm ne in re adeò difficili, incognita, arduaque deficeremus, nescientes quî fieri id posset, cùm praxis ferè nulla ab orbe condito visa fuerit; per Filium suum formam statumque vitæ perfectioris instituere dignatus est, collecta paruula discipulorum manu, quibus & *primitias Spiritus* contulit, & summam ab eis PERFECTIONEM exegit: nimirum omnia temporalia desererent; animo & corpore perpetuò continerent; animam denique, hoc est, voluntatem ac iudicium, Superioris Deique vicarij arbitrio subijcerent. quod vno verbo D. Petrus exprimit: *Ecce* (ait) *nos reliquimus omnia, & secuti sumus te; quid ergo erit nobis?* Tria enim sunt hominis bona; alia fortunæ, alia corporis, alia animi; quibus homo se priuat, vel etiam exonerat, vt expeditus Ducem suum in expeditione militiæ perfectioris sequatur. Nihil ergo homini superest, qui hæc omnia reliquit. His tribus respondent tria status perfectioris consilia ac fundamenta, quibus triplicia illa bona tamquam onera excutiuntur, & eis ex diametro repugnant, Paupertas nempe, Castitas, & Obedientia. Christus igitur studiosis PERFECTIONIS has virtutes proposuit, & etiamnum proponit: & quidem Paupertatem; [a] *Si vis perfectus esse, vade, vende* omnia *quæ habes*. Idipsum fecerunt omnes Apostoli; alij nauim & retia, alij domum, alij alia: denique nihil retinuerunt. Nec tantùm Apostoli sua reliquerunt, repetituri cùm vellent, aut retenta potestate alia possidendi: non ita, sed multa dedit, (ait Gregorius) qui nihil retinuit; & longè plura, qui habendi voluntatem deposuit. Verùm ille quamplurima & omnia dat, qui voto nuncupato potestatem quippiam habendi præscindit & amputat: quod Augustinus docet Apostolos fecisse, cùm exponit, quomodo Petrus, qui paucissima habebat, omnia tamen se reliquisse confidenter asserebat, *Ecce nos reliquimus omnia*. Sed votum illud magis ex Actis Apostolorum & praxi huius instituti colligunt Patres. *Multitudinis* (ait [b] Lucas) *credentium erat cor vnum, & anima vna: nec quisquam eorum, quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia*. Quod clariùs patet ex interitu Ananiæ & Saphiræ, qui communem hanc vitam vouerant, vt ex verbis S. Lucę satis elucet, *Fraudauit de pretio agri, conscia vxore sua, Ananias*; non enim fraudasse diceretur, nisi rem obligatam promissione subripuisset. Deinde dixit D. Petrus: *Anania, cur tentauit satanas cor tuum, mentiri te Spiritui sancto, & fraudare de pretio agri?* Quid est mentiri Spiritui sancto, nisi fallere fidem datam Spiritui sancto? Nec propriè

Formula ac norma vitæ perfectæ à Christo instituta.

Rom. 8.

Matth. 19.

Bona triplicis generis dimittuntur consiliorum professione.

Paupertas primum consiliorum à Christo inductum.

a *Matth. 19.*

Greg. hom. 5.

Aug. epist. 34.

Votũ Paupertatis ex Scripturis educitur.

b *Act. 4.*

Act. 5.

propriè dicti fuissent mentiri Spiritui sancto quia Petro mentiti erant, in quo erat Spiritus sanctus; (quamquam & id aliquo modo dici posset) sed pœna subsecuta aliquid maius fuisse indicat, quàm reatum mendacij, auaritiæ, ambitionis, aut hypocrisis. Fuisse verò voti violati sacrilegium, disertè testantur D. [a] Chrysostomus & [b] Hieronymus. [c] Augustinus quoque, *Si Deo*, ait, *displicuit detrahere de pecunia quam vouerant Deo*, (nempe Ananias & Saphira) *quomodo irascitur quando vouetur castitas, & non exhibetur!* Idem docet [d] Fulgentius, & alij Patres. [e] Gregorius ad Venantium ita scribit: *Ananias Deo pecunias vouerat, quas postea victus persuasione diaboli subtrahit; sed qua morte multatus est, scis.* Denique [f] Arator:

——— Sed quòd mutata voluntas
Falsi crimen habet; cúmque est iam cautio voti,
Stare decet, nec velle prius violare sequenti.
Ius proprium retinere magis quàm demere fas est.
Omnibus exemplum sanxit vindicta duorum,
Ne quis dona vocet, quæ sponsio debita poscit.

a *Homil. 12. in Acta Apost.*
b *Epist. ad Demetriad. 8.*
c *Serm. 27. de Verbis Apost. & sermone 10. alias 12.*
d *Epist. 1. de debito coniug. cap. 8.*
e *Lib. 1. epist. 33.*
f *In Act. Apost.*

Hæc de Paupertate.

Castitatis Votum.

7. Omnes verò, quotquot habebant, vxores deseruerunt; quod ex eo colligitur: *Si quis* (ait Christus) *venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & vxorem, & filios, non potest meus esse discipulus*. Et: *Sunt Eunuchi, qui seipsos castrauerunt propter regnum cælorum; qui potest capere, capiat*. Castrauerant ergo se voto Castitatis discipuli; nam solo voto facultas contrahendi matrimonium tollitur ac præscinditur. Ita [a] Epiphanius, [b] Hieronymus, [c] Augustinus, & alij Patres hunc locum interpretantur. Tertia, [d] Obedientia est, quam Christus his verbis comprehendit: [e] *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me*. Perfecta abnegatio sui, perfecta Obedientia est: sed perpetua esse debet, idcirco votum accedat necesse est, ac spiritualis quædam crucifixio, ne valeat resilire. *Tollat*, ait, *crucem suam*: nam, vt Cassianus eleganter, *Verus & perfectus Monachus similis Crucifixo esse debet*: qui enim cruci affixus est, non solùm non ambulat quò vult, nec facit quod vult, sed nec potest ambulare aut operari, nisi ab alio moueatur. Idem Augustinus confirmat. *Nemo* (ait) *positus in Monasterio dicat, Recedo de Monasterio: neque enim soli, qui sunt in Monasterio, peruenturi sunt ad regnum cælorum; & illi, qui ibi non sunt, ad Deum non pertinent*. *Respondetur ei: Sed illi non vouerunt, tu vouisti.*

Luc. 14.
Matth. 19.
a *Hæresi 58.*
b *In hunc locum.*
c *Lib. de sanct. Virg.*
d *Obedientiæ Votum.*
e *Matth. 16.*
Lib. 4. de instituto Cœnob. siue renunt. cap. 35.
In Psal. 75.

Præmia proposita Perfectionis studiosis.
a *Matth. 19.*

8. Constat igitur institutionem hanc à Deo promanare; ijsque magna præmia promitti, qui sequentur. Quæ? [a] *Habebis* (ait) *thesaurum in cælo*. Deinde, *In regeneratione, cùm sederit Filius hominis in sede Maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel*. Centuplum accipiet in hoc sæculo, denique vitam æternam. Hinc

D. Hie-

D.Hieronymus: *Proponit ἀγωνοθέτης præmium, inuitat ad cursum, tenet in manu virginitatis brauium, ostendit purissimum fontem, & clamitat: Qui sitit, veniat, & bibat: Qui potest capere, capiat.* *Lib. 1. cont. Iouin.* *Ioan. 7.* *Matth. 19.*

9. Verùm Deus sapientissimus sapientissima ratione PERFECTIONIS instrumenta delegit. Cùm enim in caritate viatorum PERFECTIO consistat, & per has virtutes, Paupertatem nempe, Castitatem, & Obedientiam, diuini amoris omnia impedimenta remoueantur, ea nobis vt aptissima atque vtilissima ad PERFECTIONEM acquirendam presidia constituit. *Radix enim omnium malorum est cupiditas*: quemadmodum *radix omnium bonorum*, Augustino auctore, *caritas est*. Omnis autem malorum cupiditas ad tria capita reuocatur, Luxuriam, Auaritiam, & Superbiam: *quoniam omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ*. Est etenim in homine duplex appetitus: quorum alter concupiscibilis, alter irascibilis. Sed & concupiscibilis appetitus duplex est: alius naturalis, alius animalis. Naturalis appetit ea bona quæ sunt necessaria ad naturam conseruandam, tam in indiuiduo, vt cibum & potum; quàm in specie, qualis est actus generationis: & hic appetitus, cùm est inordinatus, dicitur incontinentia, & à D.Ioanne *concupiscentia carnis*. Animalis verò dicitur ille, quo appetimus ea quæ sunt bona secundùm æstimationem, vt pecunias, vestes, tapetes pretiosos, & id genus alia, quæ non appetuntur à bestijs, quibus non est appetitus, nisi naturalis: & hic appetitus, cùm est inordinatus, dicitur auaritia, vel cupiditas; à Ioanne verò *concupiscentia oculorum*. Denique appetitus irascibilis appetit excellentiam, quæ apprehenditur vt res maximè ardua: & cùm est inordinatus, dicitur à Ioanne *superbia vitæ*. Hos igitur tres fontes impedimentorum obstruunt tres illæ virtutes: concupiscentiam carnis, Continentia; concupiscentiam oculorum, Paupertas voluntaria; superbiam vitæ, Obedientia.

Consilia hac tria, instrumenta Perfectionis, cur à Deo deligantur. *1. Tim. 6.* *Serm. 12. de Verb. Domini.* *1. Ioan. 2.*

10. At praxin exemplaque nunc requirimus. Eius profectò adumbrationem videre est in Lege naturæ ante diluuium: maiorem deinde expressioné in Lege Moysis: PERFECTIO verò huius status, & vsus vulgaris, ab Apostolorum temporibus petendus est. Et quidem mundi initio de Enos [a] dicitur: *Iste cœpit inuocare nomen Domini*. Ex quo loco colligunt Doctores, hunc Enos instituisse peculiarem aliquem cultum, & sublimiorem quàm esset religio vulgi. Ante ipsum namque etiam Adam, Abel, & Seth Deum inuocauerunt; & tamen dicitur primus cœpisse inuocare nomen Domini. [b] Nazaræi deinde, nuncupatis votis, seipsos Domino consecrabant: ad quorum exemplum Origenes etiam in Ecclesia quosdam seipsos totos diuino cultui deuouere solitos scribit. Elias quoque & Eliseus sine vxoribus & diuitijs, vt & filij quoque

Perfectionis primi magistri & exempla ex Lege naturæ, scripta, & noua desumpta. 1. *Enos.* a *Gen. 4.* 2. *Nazaræi.* b *Num. 6.* *Hom. 11. in Leuit.* 3. *Elias & Eliseus.*

Epist. 13. ad Paulin.

Prophetarum, vixerunt. De his ita Hieronymus: *Noster* (ait) *princeps Elias, noster Eliseus, nostri duces filij Prophetarum, qui habitabant in agris & solitudinibus, & faciebant sibi tabernacula iuxta fluenta Iordanis.* Hæc ille,

Epist. 4.
Ierem. 35.
4. Filij Rechab

& plura scribens ad Rusticum. Extat & apud Ieremiam insignis commendatio nepotum Rechab, qui cùm eis pater, seu auus, præcepisset vt domos non ædificarent, agros non seminarent, vineas non plantarent, vinum numquam biberent, vitam durissimã quasi extra mundum agerent, omnia diligentissimè obseruarunt: quos etiam Monachorum

Epist. 13. ad Paulin.
5. Ioannes Baptista.
Matth. 11
6. Maria Christi mater voto obstricta.
Luc. 1.

nostrorum figuram gessisse scribit quoque Hieronymus. Ioannes Baptista vt officio, sic sanctitate ac PERFECTIONE omnes antecelluit. Satis id sit, quod de eo Sapientia diuina pronuntiauit: *Non surrexit inter natos mulierum maior Ioanne Baptista.* Sed prætermitti non debet Dei mater, quæ ante prolis conceptionem virginitatis voto sese obstrinxerat; audito enim nuntio concipiendæ prolis, respondit: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Si enim voto non erat ligata, Angelus replicare poterat: Tu maritum habes, & adhuc iuuencula: quòd iam actu non cognoscas, quid mirum? si enim iam non cognoscis, cognosces postea. Si ergo dicere velit se actu non cognoscere; inepta videtur esse interrogatio. Idem est ergo, ac si dicat quispiam in Quadragesima, Non vescor ouis aut carnibus: id est, mihi vesci non licet. Ita B. Virgo ait, *Virum non cognosco:* Prohibeor cognoscere. Qua lege? diuina an humana? neutra sanè, imò lege naturali iubetur viro reddere debitum. Non erat etiam impotens, aut sterilis, alioqui eam rationem attulisset; nec ætatem generationi aptam excesserat. Qua lege ergo virum cognoscere non potes? non communi: relinquitur ergo id fieri lege particulari voti, qua Deo sese obstrinxerat. Ita Gregorius Nyssenus latè in

a *Lib. de sanct. Virg. cap. 4.*
b *In cap. 1. Luc.*
c *De excel. Virg. cap. 4.*
d *Lib. 3. in Cãt.*
e *Serm. 4. sup. Missus.*
f *7. Apostoli.*
g *Act. 2.*
h *Act. 4.*

oratione de natiuitate Domini, [a] Augustinus, [b] Beda, [c] Anselmus, [d] Rupertus, [e] Bernardus. Iam ad [f] Apostolos veniamus, qui post Christi ascensionem formam illam, quam à Christo acceperat, mundo inuexerunt, & vbique gentium impressam reliquerunt. Constat ex Actis. *Omnes etiam*, ait [g] Lucas, *qui credebant, erant pariter, & habebant omnia communia: possessiones & substantias vendebant, & diuidebant illa omnibus, prout cuique opus erat.* Viuebant ergo in communi, & Paupertatem voluntariam profitebantur. [h] Addit: *Neque quisquã egens erat inter illos. quotquot enim possessores agrorum aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apostolorum; diuidebatur autem singulis prout cuique opus erat.* Hæc sunt incunabula vitæ perfectioris, quæ sensim adoleuerunt, & in ætatem perfectam deducta eam formam splendoremque acceperunt, quem videmus spargi tot iam sæculis per orbem vniuersum, auctore Deo, qui Antonios, Basilios, Benedictos, & postea Bernardos, Franciscos, Dominicos, & ad hæc vsque tempora

ſemper nouos excitauit; qui, tamquam boni magiſtri, diſcipulis quamplurimis PERFECTIONIS regulam & exemplo proponerent, & inſtituto firmarent.

II. Extiterunt quoque illuſtres vocationes ad ſectandam vitam perfectiorem: & in primis [a] Abrahami, qui pater fidei deinde appellatus, iuſſus eſt patriam deſerere, eique dixit Dominus: [b] *Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, & veni in terram quam monſtrabo tibi.* Sed quid, quòd [c] vnicum filium, ſpem ſuæ familiæ, quem ſuſceperat effœtis & ſuis & vxoris viribus, immolare atque interficere iuſſus, vocanti paruit? Magnæ PERFECTIONIS fuit, patriam deſeruiſſe; maioris certè, filium, & talem filium, ſecare in partes, Deoque immolare. Alia vocatio eſt Ioannis Baptiſtæ in vtero exiſtentis, cui meritò hęc Ieremię verba congruere videntur: *Priuſquã te formarem in vtero, noui te; & antequam exires de vulua, ſanctificaui te, & Prophetam in gentibus dedi te.* & quę Propheta Iſaias de ſeipſo: *Dominus ab vtero vocauit me, de ventre matris meæ recordatus eſt nominis mei, & poſuit os meum quaſi gladiũ acutum.* Chriſtus enim ex vtero matris ſuę Ioannẽ in vtero Eliſabeth proprio appellauit nomine. Senſit ac cognouit Ioannes Chriſtum Redemptorem ſuum vocantẽ, donatus nimirum ante tempus vſu rationis; & ad iuſtificationem citò quidem, ſed verè ſeſe diſpoſuit: id enim ſignificant verba illa, *Exultauit in gaudio infans*; gaudium enim eſt animi excitatio, proueniens ex apprehenſione boni præſentis. Apprehendit Ioannes Redemptorem ſuum eſſe præſentem, audiuit vocantem; repletus eſt Spiritu ſancto, exultauit; non inſtar emotæ mentis, ſed in gaudio: vnde vocanti ſe, & ad ſtatum præcurſoris ac prædicatoris perfectiſſimum deputanti, reſpondit: *A, a, a Domine Deus; ecce neſcio loqui, quia puer ego ſum.* Et Dominus ad eum: *Noli dicere, Puer ſum; quoniam ad omnia, quæ mittam te, ibis, & vniuerſa, quæcumque mandauero tibi, loqueris.* Cognouit id eius mater Eliſabeth, quæ, repleta Spiritu ſancto, ſecreta vteri ſui detexit, dicens: *Ecce enim vt facta eſt vox ſalutationis tuæ in auribus meis, exultauit in gaudio infans in vtero meo.* Et pater filium recèns natum intelligentem (vt teſtatur Origenes) allocutus eſt: [a] *Tu puer, Propheta Altiſſimi vocaberis; præibis enim ante faciem Domini, parare vias eius.* Quot in hac vocatione miracula! Profectò ſanctitas & PERFECTIO viri ſubſecuta vocationem prodigioſam probauit, & verò PERFECTIONIS eminentia eidem reſpondit. Hæc omnia prolixè Chryſoſtomus & Ambroſius in Lucam. Sequuntur vocationes Apoſtolorum admirandæ, cùm duodecim quidem, quæ immediatè à Filio Dei factæ ſunt; tum verò maximè B. Pauli, quæ adeò efficax atque admiranda fuit, vt hominem blaſphemum, perſecutorem, ac iuratum Chriſtiani nominis hoſtem, inſanientem, minaſque reipſa ſpirantem, in vas electionis

Vocationes miraculoſæ ad ſtudium Perfectionis.
a *Abrahami.*
b *Gen. 12.*
c *Gen. 22.*
Ioannis Baptiſtæ.
Ierem. 1.
Iſaia 49.
Luc. 1.
Ierem. 1.
Luc. 1.
Hom. 7. & 10. in Lucam.
a *Luc. 1.*
Apoſtolorum.

commutarit, ad tertium cælum rapuerit, & Apostolum, doctorem, patrem fidei ac religionis reddiderit. Taceo Mariæ Magdalenæ mirando modo vocatæ & conuersæ subsecutam PERFECTIONEM, ceterorumque quos Scriptura commemorat. Historiæ sacræ plenæ sunt: Monasteria sexus vtriusque, totus denique orbis plura exempla produceret, quàm humana capere litterisque mandare posset industria. Tot vocati sunt ad PERFECTIONIS gloriam, quot ad Religionis statum vocati: at horum quis subducet numerum? Sed & sæculares excludi non debent, qui sanè subinde multis Religiosis de sanctitatis & PERFECTIONIS laude nihil concedunt. Ne verò recentiores negligere videar, aliquot è multis illustriores hîc attexam.

Maria Magdalenæ.

Vocationes recentiores.

1.

13. Initio Cisterciensis Ordinis, anno nimirum 1104. adolescens quidam Lugduni, & litterarum & PERFECTIONIS, cuius incredibili desiderio flagrabat, admodum studiosus, quadam nocte visionem ardentissimis suis votis congruentem habuit. In valle, vt sibi videbatur, constituto, ac circumspicienti, primùm occurrit fluuius, qui arduum ac præruptum montem alluebat. Eleuans autem oculos, prospexit in eo monte ciuitatem tantis tamque varijs ædificiorum, turrium, mœniumque ornamentis illustrem, vt illius aspectus oculos animumque intuentium raperet, teneret, videntem verò neutiquam satiaret. Subit & desiderium vrbis illius adeundæ, sed interiacebat ingens ille fluuius. Quid ageret? dum traiectum animo versat, videt duodecim pauperes in ripa fluminis, lauantes vestimenta sua: quos inter quidam splendidissima veste, alijsque multùm dissimilis, ceteros in ablutione vestium iuuabat, & quidem vicissim vnum post alium. Lætus adolescens ad hunc accessit, Quinam, inquiens, estis vos? quid agitis? ecquænam ciuitas illa superior, quæ sua pulchritudine adeò oblectat oculos mentesque mortalium? Respondit ille: Hi pauperes, pœnitudine ducti, peccata sua eluunt, & ego Filius Dei, IESVS Christus, eis opem fero, sine cuius auxilio nec hi, nec alij, aut ablui, aut quidquam boni operari possunt. Ciuitas hæc pulchra, quam cernis, paradisus est, in qua viuo & regno. Vbi verò quispiam vestes purgauerit, pœnitentiamque egerit, eum bene sperare iubeo; nam haud dubiè in illam admittetur. Tu hactenus viam quæsisti: certò scias, præter hanc non esse aliam, quam hos pauperes sectari tenereque conspicis. His dictis visio disparuit, mirante iuuene, sed quid sibi vellet ignorante. Absoluto ergo studiorum cursu rediens in patriam, Episcopo Cabilonensi, sibi familiari, visionem enarrauit. Suasit ille, mundo nuntium remitteret, & Ordinem religiosum, vitæ in posterum degendæ, deligeret: præ ceteris tamen exorientem Cisterciensem familiam commendauit. Venit Cistercium, locum incultum, desertum, siluosum, commoratio-

morationem denique hominum inter feras. Ianua Monasterij, sed dicam potiùs tugurioli, ex viminibus confecta erat: malleus ferreus appendebat, cuius sonitu ianitor compellabatur ab intrare volentibus. Aduenit ille pulsu euocatus, & caput demittens adolescentem salutauit. Hic ianitorem intuitus agnouit, memor se eum inter lauantes vestimenta sua vidisse. Iussus est Abbatem totumque Conuentum accedere. Hi ipsi erant, quos ad ripam fluminis viderat, omnesque admirabundus agnouit. Abbatis illico pedibus aduoluitur, perfususque lacrymis historiam narrat; & pro admissione obtinenda supplicans, voti compos factus est: qui breui tempore vsque adeò virtutibus auctus est, vt ad Prioris officium assumi sit meritus. Addam alterum, sed recentius, nostrique temporis. Ioannes Nunnus, Hispanus nobilis, ex Gusmanorum familia, à qua & D. Dominicus oriundus, is est, qui primus Patriarcha in Indiam destinatus à Pontifice Maximo, multis confectus laboribus, magnam suæ virtutis veræque sanctitatis opinionem posteris reliquit. Cùm ergo iuuenis anxius de vitæ genere deliberans, integro anno à B. Virgine postulasset sibi à Deo certam viuendi viam ac rationem indicari, quam securè tenere sequique posset; apparuit dormienti Dei mater, augusta specie, comitata duobus Societatis IESV Patribus, nempe Petro Fabro, vno ex primis decem, & Francisco Strada: is est, qui, mortuo Baccalaureo Hosio, B. Ignatio è monte Cassino redeunti occurrit, à quo in locum Hosij in Societatē suffectus est. Insistenti ergo coràm Nunno ardentiùs pro certo vitæ cursu cælitus designando, intulit cæli Regina: *Vis seruire filio meo vsque ad defatigationem?* Cui Nunnus: Omnino, Domina. *Sequere ergo*, ait illa, *hos viros*. Ostendit verò illi comites suos, Patres Fabrum & Strada, ac disparuit. Nunnus verò suspicatus est ex habitu viros illos esse Societatis IESV, sed sibi prorsus ignotos: nec Domina indicauit quo eos loco inueniret. Quare partim anxius, partim lætus cælesti visitatione, reliquum suæ patronæ Virgini Matri commendauit. Contigit verò vt iter facienti duo Societatis Patres temere occurrerent, visoque habitu eos aggressus est; cumque de admissione mentionem intulisset, tum Pater Faber, *Vis*, inquit, *seruire Christo vsque ad defatigationem?* Qua interrogatione perculsus, venit in mentem verborum Virginis Matris, quæ eisdem verbis vsa fuerat: *Vis seruire filio meo vsque ad defatigationem?* Ille, velut certam vocationis suæ tesseram reputans, oculos in vultum vtriusque defixit, &, eos agnoscens, procidit eis ad pedes, obtestans vt se ad Societatem admitterent; narrataque totius vocationis serie, admissus est summa sua & Patrum consolatione. Haud absimile est, ac memoria dignissimū, quòd P. Franciscus Ribera scriptis consignauit de Catharina Godinez, nobilissima virgine; quæ cùm, mundi relictis illecebris

2. Vocatio recentior.

Petrus Maffæus in vita B. Ignatij, lib. 2. c. 6.

In vita Matris Teresæ, lib. 3. cap. 3.

» atque honoribus, incredibili Religionis ineundæ desiderio æstuaret,
» visa est in somnis videre se in via arctissima constitutā incedere, vtrim-
» que præcipitijs formidanda: dumque horreret solitaria, Religiosus qui-
» dam occurrit ex improuiso, habitum Ordinis Carmelitarum Discal-
» ceatorum gestans; qui blandè inuitatam consolatus, perduxit in do-
» mum haud procul dissitam. In ea Sanctimoniales magno numero vi-
» sebantur: nullumque illic lumen apparebat, præterquam cereorum
» quos singulæ gestabant manu. Catharina ex illis sciscitatur, cuius Or-
» dinis sint. Tacuerunt omnes; leuatoque velo, quo facies tegebantur,
» earum vultus læti hilaresque apparuerunt. Accepta Catharinæ manu
» Priorissa, Te, inquit, hodie, filia, in sociam nostram deligo. Regulas-
» que omnes & Constitutiones Ordinis eidem ostendit. Expergiscitur
» interea Catharina, tanto perfusa gaudio, ac si paradisi gaudijs inter-
» fuisset. Hanc visionem longo tempore silentio pressit; nec à quoquam,
» quæ esset illa Religio, cognoscere potuit: Regulas tamen nonnullas,
» quas legerat, memoriæ causa scripto mandauit. Intellexit postmodum
» ex quodam Patre Societatis nostræ, illum Ordinem, quem depinge-
» bat, esse Carmelitarum Discalceatarum. Idcirco quamprimum Ma-
» trem Teresam de sua Monasterij exstruendi resolutione reddit certio-
» rem; eamque inuitat, quàm citissimè veniat. Occurrerunt interea
» grauissima impedimenta: & inter cetera, cùm Catharina in grauissi-
» mum morbum incidisset, nec spes vlla foret humanitus illius ad Reli-
» gionem admittendæ, fusa oratione tantam spem concepit, vt à Deo de
» sanitate responsum internè accepisse videretur. Conualuit actutum;
» sublatisque diuinitus impedimentis, Mater Teresa aduenit, sex alias So-
» rores in nouam coloniam adducens. Aderat & laicus quidam eiusdem
» Ordinis Frater, Ioannes à Miseria. Catharina primo conspectu agno-
» uit Sorores omnes illas, & ex eis illas esse asseuerauit, quarum vultus
» ante annos viginti viderat in somnis. Fratrem verò Ioannem eundem
» videri Religiosum, qui è viarum angustijs se ad Monasterium Virginum
» deduxerat. Collatis ergo facultatibus omnibus Catharina cum sorore
» in fundationem Monasterij, admitti petijt magna instantia, sed in gra-
» du Conuersarum. Admissa est in gradu primario, sed inuita: nec desti-
» tit à prosecutione prioris gradus, donec Præsidis accessisset auctoritas.
» Denique sanctè admodum vixit, ac Priorissa eiusdem Monasterij, quod
» fundauerat, meritis plena ad beatorum domicilium commigrauit.

14. Quæcumque hactenus dicta sunt, summum diuinæ bonitatis erga PERFECTIONEM hominis studium arguunt, quæ non tantùm *omnes homines vult saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*, sed volun-
1. Tim. 2. tatē eis suam sacris litteris insinuat, imò internis aculeis incitat & hor-
Matth. 5. tatur omnes vt simus *perfecti, sicut & Pater noster cælestis perfectus est*; & per

per Filium suum, Redemptoré nostrum, modum ac normam quandam inuexit, ac magistros idoneos constituit ad illam perdiscendá, posterisque tradendam, vocans innumeros interea, qui se excolendos magistris tradant; vt meritò identidem fateri debeamus, *Deum vnicum esse* PERFECTIONIS *auctorem*.

CAPVT VI.

Etsi Dei perfecta sint opera, nihil tamen nasci perfectum, sed omnia accessione ac profectu indigere.

ILLA differentia est inter Deum & architectum, quòd hic, cùm opus excitare disponit, primùm omnium ideam in mente concipit, ac format; & eam quidem sæpe confusam & indigestam, quam mutare & variare subinde cogitur in operis progressu, quòd omnes circumstantias ac euentus mente complecti minimè possit. Opus ei est postmodum materialibus; & hæc aptantur tanto labore, vt singulæ pæne particulæ plures operas & temporis longa spatia requirant; antequam totum ædificij corpus coalescat, plures anni transeunt; subinde erecta dirui, ac errores reparari aliquoties opus est; non raro vel totum corruit, vel sanè hiatus magni ac defectus ruinæ indices obseruantur: Deus vnico momento perficit opus suum, quantumcumque ingens, &, si velit, in vltima sua PERFECTIONE constituit. Nec id ipsi difficile admodum est: nam esse rerum omnium est, & PERFECTIONES earum in se continet. Requiritur ergo tantùm vt operi concepto esse suum communicet; nulla indiget præiacente materia; initia, progressus, & consummatio operis, solo eius nutu consummabuntur. Hinc Moyses: *Dixit Deus, Fiat lux; & facta est lux: Fiat firmamentum in medio aquarum: Germinet terra herbam virentem: Fiant luminaria in firmamento cæli:* effectus illico secutus est. *Ipse* enim *dixit, & facta sunt; ipse mandauit, & creata sunt.* Cur ita? Est enim Deus vbique, rebusque omnibus intimè præsens; & vt aliquid producat, nullius ope operáque indiget; formam deinde ipse indere potest, & quidem ex nihilo productam. Quòd si ex materia producta operari velit, omnes ipsi creaturæ obediunt ad nutum, *Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum, quæ faciunt verbum eius.* Quæ quidem omnia Sapiens cùm acutiùs considerasset; *Qui viuit in æternum,* inquit, *creauit omnia simul.* Quod etsi verissimum est iuxta mentem Ruperti[a] dicentis: *Creauit Deus prius verbo æterno, quod postea faceret*

Dei & architecti differentia in opere conficiendo.

Gen. 1.

Psal. 148.

Psal. 148.

Eccli. 18.

a In Gen. sin.

An omnia simul creata.

ceret in opere: creauit in ſua ſapientia intemporaliter omnia, quæ ſigillatim in tempore erat conditurus. Non enim tantùm Deus mundũ vnicum creare poſſet æterna præordinatione, mentiſque conceptione, ſed & mille mundos materiales vno eodemque momento; ſicut D. Auguſtinus omnia, quæ diſtinctè per dies ſex in Geneſi producta narrantur, vno eodemque die condita ac diſtributa opinatur. Et quamuis plurimi Patres, teſte [a] D. Thoma, aliter ſentiant, nempe per dies ſingulos omnia à Deo diſtincta fuiſſe; tamen in hoc ipſo Dei actiuitatem exactamque agendi rationem extollunt, quòd eodem planè momento rerum inuiſibilium eſſentia, & viſibilium materia, condita ſint. Ita enim Hugo de S. Victore [b] cùm diuerſis locis, tum [c] libro primo de Sacramentis in hæc verba: *Sed nec illud abſurdum erit, ſi credimus vnum & idem prorſus temporis momentum fuiſſe, quo in principio ſimul creata ſit & rerum viſibilium corporaliumq; materia, & inuiſibilium in Angelica natura eſſentia. Et hoc eſt quod Scriptura refert, omnia ſimul creata fuiſſe. Qui viuit in æternum, creauit omnia ſimul. Nihilque poſtea factum eſt, cuius in ipſo primordio aut materia, vt in corporibus; aut ſimilitudo, vt in ſpiritibus; non præceſſerit. Nam etſi nouæ quotidie creantur animæ, noua tamen creatura non fit; quia in Angelicis operibus iam tunc, quando creabatur, eius ſimilitudo præceßit.* Hæc ille.

Lib. 4. ſup. Gen. ad lit. c. 22. & 34. & lib. 11. ciuit. c. 9. & in dial. q. 65. ad Oroſium, c. 26.
a D. Thomas 1. p. q. 74. art. 2.
b Lib. 1. de Sac. p. 1. c. 2. & in annot. elucid. in Gen. cap. 4.
c Lib. 1. de Sacr. p. 1. c. 5.
Eccli. 18.

Dei ſolius operationes perfecta.

2. Non tamen noſtro more Deus operatur, quo dum præcipitamus opus, illud tantùm ex parte efficimus, ſcatetque mendis & erroribus. Deus perfectiſſimè operatur, & in eius operibus nihil deſiderari poteſt. *Date magnificentiam Deo noſtro*, (id profectò ei ſoli competit) quia *Dei perfecta ſunt opera*. Quod duplici modo videtur poſſe intelligi: eius nempe operationes in genere morum perfectiſſimas eſſe, eaſque omnem bonitatis rationem, quam aliquod opus bonum requirere poſſet, continere. Rationes enim quibus ad agendum mouetur, æternæ ſunt, à lege æterna ac intellectu infinito ſapientiæ lumine inſtructo manantes: vnde nullus error contingere poteſt; ideoque meritò Moyſes vocat eum *Deum fidelem*, quòd nec falli nec fallere poſſit. Voluntati verò eius obuerſatur eſſentialis bonitas; atque ideo Moyſes, cùm dixiſſet, *Deus fidelis*, addidit, *& abſque vlla iniquitate, iuſtus & rectus:* malitia enim & iniquitas bonitati eius repugnãt; quæ quidem bonitas in quo magis quàm in ipſo relucet? Haud fruſtra ſanè nomen benigniſſimum Patris vſurpat, & talis agnoſci vult; quod Moyſes conſequenter expreſſit: *Numquid non ipſe eſt pater tuus, qui poſſedit te, & fecit & creauit te?* Finis verò actionum illius eſt communicatio bonitatis ſuæ ad æternam ſuam gloriam, quæ certè ei abſque controuerſia debetur. Operationis verò materia vel ex ſe ſupernaturalis eſt, vt in toto beneficio redemptionis, iuſtificationis, prædeſtinationis, remunerationis bonorum operum; vel certè eò, velut ad ſcopum, ab infinito eius amore refertur. Prudentia

Deut. 32.
Ibidem.

autem

autem in eo tanta est, quæ semper sufficiens & fuit, & est, eritque ad huius orbis gubernationem, & infinitorum aliorum. Scit omnia, præterita, præsentia, & futura. Corda scrutatur, & renes: *infernus* enim *& perditio coram Domino*; *quanto magis corda filiorum hominum*! Non ergo præcipitantia interuenire valet, aut ignorantia, vbi consilium ac deliberatio deesse non potest, nec irrepere defectus aliquis circumspectionis aut circumstantiæ necessariæ. Et hic sensus esse videtur litteralis illius sententiæ: *Dei perfecta sunt opera*. Agit enim Moyses contra falsorum Deorum cultores, & impios Iudæos; ipsorumque idolorum impotentiam, vanitatem, ac turpitudinem detestatur, ac cum Dei veri bonitate, iustitia, ac fidelitate confert, vt suos Iudæos cùm ad fidem seruandam alliciat, tum in cultu diuino retineat. *Dei* ergo *perfecta sunt opera*; non vitiosa, vt nostra; non iniusta, non inquinata peccato aliquo: subiungit enim, *& omnes viæ eius iudicia*. deinde, *Deus fidelis, & absque vlla iniquitate*. Sed quid Iudæi? *Peccauerunt ei, & non filij eius in sordibus*. Ex his conficitur, opera Dei perfecta esse; quia in actiones operationésque eius vitium nullum irrepere potest.

Prou. 15.

Deut. 32.

3. Nihilominus etiam de effectibus operationis diuinę intelligi posse videtur, perfecta esse Dei opera: siue ea quæ sunt ad intrà; & quidem si de internis Dei operibus quæstio sit, qualis cognitio suæ substantiæ, generatio Filij, amor mutuus, spiratio, & similia, sic perfecta sunt Dei opera, vt eis nihil adijci possit: siue ad extrà; sunt enim infinitæ PERFECTIONIS, & immensæ durationis. Perfecta sunt & quæ liberè circa rerum creatarum gubernationem facit: qualis creatio & productio rerum, generis humani redemptio, victoria de inferni principibus è cruce reportata, Legis antiquæ promulgatio, & id genus alia; quod D. Thomas disertè exposuit. *Deus* (ait) *omnia opera sua in summo bene facit. Opus quippe cæli & terræ, Angelorum, & hominum, & aliarum creaturarum, adeò bene fecit, vt meliùs excogitari non posset. Similiter opus redemptionis* (*quod nemo alius, in cælo, nec in terra, facere potuit, sicut legitur in Apocalypsi*) *in summo bene fecit, prudenter vincendo diabolum in ligno quo vicerat, sub humana fragilitate semper celans diuinam potentiam: quia si dæmones cognouissent, vt dicit Apostolus, numquam Dominum gloriæ crucifixissent, id est, crucifigi persuasissent. Similiter quidquid hodie facit, siue peccata vindicet, siue dissimulet propter pœnitentiam; siue gratiam subtrahat electis, siue conferat; siue fideli animæ quandoque se familiarem, quandoque alienum exhibeat; siue sit ventus, siue sit pluuia; siue aura frigida, siue calida; siue sicca sit via, siue madida; siue terræ fructus abundet, siue pereat; pro illo tempore meliùs fieri non posset: quia ex nimia caritate & benignitate, immensa sua sapientia, singula debito tempore operatur. Opus verò remunerationis in summo bene faciet, cùm singulis peccatis, & singulis membris quæ fuerunt arma iniquitatis, reddet iustam pœnam.*

Omnia Dei opera perfecta.

Lib. de diuinis moribus, circa finem.

Hæc ille. Soli ergo Deo conuenit adeò perfectè operari, vt nemo meliùs. Illius etiam est dicere: Creaui cælum & terram. *Ego eduxi te de terra Ægypti, de domo seruitutis. Ego vnxi te in Regem super Israel, & ego erui te de manu Saul, & dedi tibi domum domini tui.* Tempus enim præteriti (vt aiunt) perfecti, PERFECTIONEM significat: vnde antiqui pingendi fingendique artifices, vt indicarent opera sua nondum esse perfecta, ea, pendente titulo, inscribebant verbo imperfecti temporis, Faciebat, Pingebat, auctore Plinio. *Ex illis* (inquit) *nos velim intelligi pingendi fingendique conditoribus, quos inuenies, absoluta opera, pendenti titulo inscripsisse; vt, Apelles faciebat; aut, Polycletus faciebat: tamquam inchoata semper arte, & imperfecta; vt contra iudiciorum varietates superesset artifici regressus ad veniam, velut emendaturo quidquid desideretur, si non esset interceptus.* Hæc ille. At *Dei perfecta sunt opera. Dixit, & facta sunt; mandauit, & creata sunt.* Nos id vsurpare non possumus, vnico solo casu excepto peccati perpetrati. Verè enim dixit Dauid, *Peccaui*; & nos cum illo: *Tibi soli peccaui, & malum coram te feci*; id enim verè fecimus & perfecimus. *Concupiscentia* namque *cùm conceperit, parit peccatum: peccatum verò cùm consummatum fuerit, generat mortem*; & illud solum opus nostrum est.

Gen. 1. Exod. 20. 2. Reg. 12.

In præfat. oper. de natur. hist. ad Vespasianum.

Deut. 32. Psal. 148.

2. Reg. 12. Psal. 50. Iac. 1.

4. Dei ergo solius perfecta sunt opera, etsi quædam ex ijs, quæ fecit, inutilia & nociua esse videantur; quod Chrysostomus [a] latissimè demonstrat in hæc verba: [b] *Viditque Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona. Considera* (inquit) *quomodo creaturas omnes verbo,* OMNIA, *simul complexus, omnes simul magna laude prosecutus est. Igitur cùm Deus, qui res ex nihilo, vt essent, produxit, bonas & valde bonas dicit; quis tam insanus, vt vel os aperire, & contradicere Dei verbis audeat? Quoniam enim in visibilibus non solùm lumen condidit, sed & tenebras aduersas luci; & non solùm diem, sed & noctem contrariam diei; & in seminibus, quæ ex terra nascuntur, non solùm herbas vtiles, sed & perniciosas; & arbores non solùm fructuosas, sed & infructuosas; & animalia non solùm mansueta, sed & siluestria & truculenta; & in his quæ aquæ produxerunt, non solùm pisces, sed & cete, & alias marinas belluas: terra non solùm habitabilis, sed & inhabitabilis; & non solùm planities sunt & campi, sed & montes & colles; & inter aues non solùm domesticæ & altiles, sed & feræ, nullumque commodum per se adferentes, vt milui & vultures: præterea, in his quæ terra profert, non sunt tantùm mansueta & innoxia animalia, sed & serpentes, & lacertæ, & dracones, & leones, & pardi; quin & in äere non solùm pluuiæ & venti vtiles, sed & grandines & niues. Proinde sopiantur rationes nostræ, & nihil illis vltrà præferatur. Idoneis autem & crebris argumentis persuasum sit, quòd omnia ratione quadam & misericordia ab eo producta sunt, &, in summa, nihil temere & absque causa factum. Verùm licet nos ob nostræ rationis imbecillitatem ignoremus factorum causam, ipse tamen iuxta suam sapientiam*

Operum Dei quædam nociua videntur.

a Hom. 10. in Genes.

b Gen. 1.

tiam & potentissimam misericordiam omnia produxit. Hæc Chrysostomus, qui horum rationem nullam adfert, sed vtitur testimonio Scripturæ, cui sine dubio credere conuenit.

5. Mouere magis nos deberent defectus palpabiles, ac imperfectiones, quæ in cunctis rebus creatis inueniuntur: nihil enim perfectum nascitur, nihil quod non suppetias auxiliumque requirat; & tamen perfecta dicuntur esse Dei opera, vt reuera sunt. *Viditque Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona:* & *perfecti sunt cæli & terra, & omnis ornatus eorum.* In rerum enim generali productione etsi cuiusque rei naturam essentiamque cum suo ornatu sensim augendo spectarit, vniuersi tamen rationem in primis Deus habere voluit. Hinc Plato agens de ordine vniuersi, *Optimi*, inquit, *ac perfecti opificis erat, optima adducere, & opus perfectum producere*, ideoque mundũ incomparabili pulchritudine decorari: pulcherrimus etenim rerũ ordo, admiranda PERFECTIO rerum est, & vniuersa venustat. Velut in exercitu quisque seiunctus, inualidus imbecillisque est, minorique fortitudine. Quòd si capita capitibus iunxeris, infractum exercitum conflaueris, qui ex mutua decentique ordinatione præcipuum sortietur robur, & ornatum incomparabilem. Hinc Caietanus in hæc verba: *Viditque Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona. Iudicium* (ait) *diuinum circa totum vniuersum describitur: & cùm singulæ res factæ visæ fuerint à Deo bonæ, ipsum vniuersum non bonum, sed valde bonum visum describitur à Deo: & apponitur aduerbium,* ECCE, *ad demonstrandum, non futuram, non expectandam, sed præsentem haberi bonitatem summam ipsius vniuersi; & significatur per hoc, quod vniuersum est ita bonum, quòd nihil ei deficit, & quòd nihil habet superfluum, quòd nullam desiderat additionem.* Addit Glossa: *Approbauit Deus cuncta quæ fecerat, & ordinem ipsum rerum; & ideo bona erant, & elegantia, & vtilia. Nihil enim temere & absque digna ratione factum est à Deo in toto mundo, etiamsi rationes causasque factorum pro fragilitate nostri intellectus ignoremus. Omnia siquidem Deo bona sunt, & vtilia ad finem quem intendit in rebus certè optimum, & omnibus qui vti illis norunt, nec sunt desides.* Hæc sanè, Dei perfecta esse opera, persuadent, si mundi totius ornatum PERFECTIONEMque spectemus; si finem, quem sapientissimus artifex intendit, consideremus: sed quid de PERFECTIONE singulorum operum? non enim tantùm vniuersa hæc moles, sed & singula Dei perfecta sunt opera.

Opera Dei perfecta, si ornatum spectet vniuersi.

Gen. 1.

Gen. 2.

In Timæo.

In Genesim. Gen. 1.

In Catena Aloisij Lippom. in hunc locum.

6. Illud igitur sciendum est, Deum initio mundi genera & species rerum condidisse, rebusque singularibus vim quandam generandi producendique res nouas indidisse. Cum his in productione actioneque omni concurrit ac cooperatur: quia tamen non rarò errores defectusque, dum agimus, intercurrunt, sæpe etiam contingit manca, prodigiosa, & monstruosa enasci. Quædam ergo à Deo solo auctore, quædam è causis

Singula Dei opera, tam quæ per se efficit, quam quæ per causas secundas, quomodo perfecta.

ſecundis oriuntur: & quidem ea quæ per ſe efformat ac producit, non ita numeris omnibus abſoluta cenſenda videntur, vt nihil accedere poſſit ad ornatum; ſoli enim Deo id competit, adeò completum perfectúmque eſſe, vt ad eius eſſentiam nulla fieri poſſit acceſſio. Nec ita ſtatuendum eſt, quæcumque à Deo fiunt, ſic fieri, vt nulla PERFECTIONE indigeant, eo quòd Dei perfecta ſunt opera. Deus condidit
Gen. 1. cælum; at illud non illico PERFECTIONES ſuas habuit: acceſſit lux, firmamentum ſtabilitum, diuiſio aquarum ſub firmamento & ſupra firmamentum, duo item luminaria in firmamento cæli, & ſtellæ innu-
Ibidem. meræ. Creauit inſuper Deus terram; at primùm erat inanis & vacua, deſtituta omnibus ad quæ poſſidenda naturalem aptitudinem & quaſi propenſionem habebat: interiùs carebat ſeminibus & mineralibus; forinſecus verò hominibus, brutis, arboribus, plantis, quibus habitanda, ornanda, conſerendaque: nondum diſtincta in colles & valles; nondum amnibus ac fontibus & venis irrigua; nondum extans & firmata ſuper aquas, ſed ijs preſſa & operta. Terra ergo verbo Domini facta eſt; & tamen non fuit vſquequaque perfecta. Quid? nónne & Legis antiquæ auctor eſt Deus? nónne ideo illa perfecta eſſe debuit? & tamen de
Act. 13. ea dicitur: *Non potuiſtis in Lege Moyſi iuſtificari.* &: *Christus nos redemit de*
Gal. 3. *maledicto Legis.* &: *Nihil ad perfectum adduxit Lex.* Denique Chriſtus non
Heb. 7.
Matth. 5. veniſſe ſe inquit *ſoluere Legem aut Prophetas, ſed adimplere.* Ergo plena non erat, aliquid PERFECTIONIS deerat. Quare huic argumen-
1. 2. q. 98. ar. 2. ad 1. to D. Thomas reſpondens ita ait: *Nihil prohibet, non eſſe perfectum ſimpliciter, quod tamen eſt perfectum ſecundùm tempus; ſicut dicitur aliquis puer perfectus, non ſimpliciter, ſed ſecundum temporis condicionem: ita enim præcepta, quæ pueris dantur, ſunt quidem perfecta ſecundùm condicionem eorum quibus dantur, etſi non ſint perfecta ſimpliciter: & talia fuerunt præcepta Legis; vnde*
Gal. 3. *Apoſtolus: Lex pædagogus noſter fuit; vbi venit fides, iam non ſumus ſub pædagogo.* Deus ergo, iuxta temporis exigentiam, aliqua fecit ſapienter & perfectè, quæ alio tempore perfectiora eſſent; & ſi perfectiùs tunc ageret, minùs conuenienter facere videretur, minúſque perfectè: quia alia infantium, alia virorum eſt condicio. Addam & illud, Legem naturæ habendam eſſe & re ipſa eſſe perfectiſſimam, & tamen Legem na-
Matth. 19. turæ ab infantia ſtudioſè cuſtodienti Chriſtus ait: *Vnum tibi deeſt; ſi vis*
Marc. 10. *perfectus eſſe, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus.* Denique *Lex*
Luc. 18. *ſpiritus vitæ*, quæ nos liberauit, nónne & ipſa perfectiſſima? & tamen ſcri-
Rom. 8.
1. Cor. 13. ptum eſt: *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.* Alia ergo incipientium, quique ſeſe in Legis diuinæ obſeruatione ſtabiliunt; alia proficientium, & in virtutum ſcalis conſcendentium; alia perfectorum: quamquam huius vitæ progreſſus ad PERFECTIONEM terminum neſcit; vtque Deus infinitæ PERFECTIONIS &
boni-

bonitatis est ad communicanda charismata cælestia, ita & animus hominis insatiabilis desiderij est ad illa quærenda, complectenda, & quodammodo infinitè augenda. denique PERFECTIO summa cuiusque rei, est extrema & finalis, cùm scilicet ad centrum suum finemque peruenerit: & hanc PERFECTIONEM nullus assequitur, qui finem vltimum non attigerit. Ceterùm nos imperfecti sumus, & defectuosi; & vt pueruli ad staturam grandiorem aspiramus. Quid mirum, cùm Paulus dicat: *Cùm essem paruulus, loquebar vt paruulus, sapiebam vt paruulus?* *1. Cor. 13.* Qua de re ita Hugo de S. Victore: *Porrò ad id quod Deus dicitur creasse aliquid imperfectum aut informe, respondemus non nocere, neque esse inconueniens, quia ad comparationem maioris* PERFECTIONIS, *aut pulchritudinis, quas ipsemet per se, quando oportuit, addidit, dici debet; sicut quotidie facit pueros imperfectos quantum ad augmentum quod sequitur, sed tamen perfectos ad numerum partium, manuum scilicet & pedum, cęterorumq; membrorum.* Hæc ille. *In annotat. elucid. in Genesin, c. 4.*

7. Addam, ad illustrandam Dei sapientiam, adeò perfecta esse ea, qualiacumque, quæ Deus condidit, nulla vt humana Angelicáve industria aut potentia nouæ alicuius speciei muscam (verbi gratia) vel flosculum, sed nec ex speciebus creatis excellentiorem, admirabiliorem, magisque in suo genere perfectam possit producere. Meritò profectò exclamat Propheta Regius: *Quàm magnificata sunt opera tua, Domine! omnia in sapiētia fecisti. Mirabilia opera tua, & anima mea cognoscit nimis. Magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates eius. Delectasti me, Domine, in factura tua, & in operibus manuum tuarum exultabo.* Admiranda sanè vel in flosculo Dei sapientia: quis artifex assequi poterit? Mirare in adeò exili flore tot varietates, odorem suauissimum, colorem eximium: quot sinus, quot recessus, quot denticuli, quot folliculi ex vna vagina collecti prodeunt! Sapiens nos ad formicam remittit, vt sapientiam discamus: in qua quid magis mirere, an corpusculi partiúmque tenuitatem, an animi magnitudinem? De apibus habet Virgilius: *In tenui labor, at tenuis non gloria.* Earum amorem erga fœtus, fortitudinem animorum, industriam scientiamque rei militaris, belli apparatus, artem ædificij erigendi, disciplinam domesticam, teste Plinio, sedulitatem in melle colligendo, aliaque admiranda, quis non suspiciat atque obstupescat? Quis hominis totam fabricam depingere, quis partes singulas, compagesque corporis, & singulorum membrorum compositionem describere valeat? In hoc vtique microcosmo, si in vlla alia re, Dei incredibilis eminet sapientia. Considerate vel vnicum oculum: quo artificio iudicioque capiti defixus est! & quidem in sinu quodam, velut caua pelui, vniuersus globus reponitur; tegitur verò, ne lædi possit acies, palpebra tactu molliore, velut folliculo, quæ contrahi remittique possit cùm

Sapientia Dei in creatura Perfectione relucet. *Psal. 103.* *Psal. 138.* *Psal. 110.* *Psal. 91.* *Prou. 6.* *Virg. lib. 4. Georg.* *Lib. 11. c. 8.* *Oculi humani descriptio.*

velis; in cuius crepidine, cartilagine durata, cilia prodeunt, tamquam pilorum valli, arcendis ijs quæ intimè aperto oculo possent inuolare, & vt somno conniuentibus, cùm eo ad cernendum non egemus, tamquam inuolutus conquiescat. Ad latus hirquus seu angulus à natura, eijciendis excrementis, relictus est, ac limus vertendis torquendisque oculis opportunus. Naturæ præterea summus artifex oculos membranis tenuissimis vestiuit & sepsit: quas primùm perlucidas fecit, vt per eas cerni posset; firmas autem, vt continerentur. Sed lubricos oculos fecit, & mobiles; vt & declinarent si quid noceret, & aspectum, quò vellent, conuerterent: aciesque ipsa qua cernimus, quæ pupilla vocatur, ita parua est, vt ea, quæ nocere possint, facilè vitet. Colores qui pupillam sepiunt, idonei dati ad species recipiendas conseruandasque: nam in primis albumen iridem cingit; iris circulo pupillam ambit; pupilla denique sublustris, speculi instar, adeò perfectè res obiectas exprimit ac repræsentat, vt eæ in illa vitam habere videantur. Quibus optimè substernuntur tunicæ quatuor: quarum prima cornea, quæ alba est; altera vuea, quæ vuæ acinum externo liuore repræsentat; tertia vitrea, ab humore vitreo; quarta crystallina. Natura ijs conseruandis supercilia velut tegmen quoddã opacum suppeditauit, & ad dignitatem fronti conciliandam intercilium depile medium reliquit. Latent præterea oculi vtiliter, & excelsis vndique partibus sepiuntur: primùm enim superiora supercilijs obducta sudorem à capite & fronte defluentem repellunt; genæ deinde ab inferiore parte tutantur subiectæ, leuiterque eminentes. Nasus ita locatus est, vt quasi murus oculis interiectus esse videatur. *Mirabilia opera tua*, Domine, *& anima mea cognoscit nimis*. Angustiæ capituli huius plura exprimere vetant; longè magis ea, quæ de ceteris corporis partibus dici possent, longiùs persequi.

Psal. 138.

8. Eleganter, vt omnia, Cicero describit ex professo quæcumque rei natura (naturæ verò ascribit, quod Deo erat ascribendum, & quidem ideo quòd Deum ignoraret) attribuit; magnam occasionem præbens assurgendi in admirationem operum diuinorum, ac PERFECTIONIS singulorum. Vbi de cælestibus egit, lapsus ad inferiora, *Principiò*, inquit, *eorum quæ gignuntur è terra stirpes stabilitatem dant ijs quæ sustinent, & è terra succum trahunt, quo alantur ea quæ radicibus continentur; obducuntúrque libro aut cortice trunci, quo sint & à frigoribus & à caloribus tutiores. Iam verò vites sic clauiculis adminicula tamquam manibus apprehendunt; atque ita se erigunt, vt animantes: quin etiam à caulibus brassicisque, si propter sati sint, vt à pestiferis & nocentibus refugere dicuntur, nec eos vlla ex parte contingere. Animantium verò quanta varietas est! quanta ad eam rem vis, vt in suo quæque genere permaneant! quarum aliæ corijs tectæ sunt, aliæ villis vestitæ, aliæ spinis hirsutæ: pluma alias, alias squama videmus obductas; alias esse*

Cicero lib. 2. de natura Deorum, circa finem.
Stirpium descriptio.
Animantium varietas.

cornibus armatas, alias habere effugia pennarum. & post multa similia: *Miluo est quoddam bellum naturale cum coruo; ergo alter alterius, vbicumque nactus est, oua frangit. Illud verò ab Aristotele animaduersum, grues, cùm loca calidiora petentes maria transmittunt, trianguli formam efficere: eius autem summo angulo aër ab ijs aduersus pellitur: deinde sensim ab vtroque latere tamquam remis cursus auium leuatur: basis autem trianguli, quem grues efficiunt, ea tamquam in puppi ventis adiuuatur: hæq; in tergo præuolantium colla & capita reponunt; quod quia ipse dux facere non potest, quia non habet vbi nitatur, reuolat, vt ipse quoque quiescat. In eius locum succedit ex ijs quæ acquieuerunt, eáque vicissitudo in omni cursu conseruatur.* Quæsiuit hic Ethnicus tribus libris Deum, cui hæc posset tribuere: non inuenit: naturæ attribuit, quæ vni, ignoto Deo, eiusque sapientiæ, accepta referre debuisset. *Grues in triangulum digesta auolant.*

9. Nec refert quòd res huiusmodi subsidia atque adminicula requirant, defectusque quamplurimos patiantur. *Perfecta* nihilominus *sunt Dei opera*; nam substantia earum integra est, atque perfecta, totamque speciei essentiam ac naturam participat, quæ potissima PERFECTIO est: alioquin, ne ipsa quidem Sacramenta, à Christo Domino instituta, ornamentis suis carere possunt, ac solemnitatibus. Et sanè de Eucharistiæ Mysterio disserens Apostolus, *Cetera*, inquit, *cùm venero, disponam.* & ipsum Verbum æternum, in vtero Virginis conceptum, non eam statim altitudinem consecutum est, quam anno postmodum trigesimo; ac de eo sic Lucas loquitur: IESVS *proficiebat sapientia, & ætate, & gratia, apud Deum & homines.* Concludam hanc veritatem insigni testimonio doctissimi atque pientissimi viri Dionysij Carthusiani. *Vnumquodque* (ait) *in sua specie, & quantum ad suum substantiale, perfectum est, quia species rerum consistunt in indiuisibili; quia se habent vt numeri, in quibus quæcumque vnitatis additio siue subtractio variat speciem. Itaque vnumquodque habet quod ad suam specificam requiritur rationem, atque essentialem* PERFECTIONEM. *In accidentalibus autem oportet proficere.* Et hactenus quidem de his quæ Deo solo auctore producta sunt. *Perfecta Dei opera ratione substantia ac speciei.* *1. Cor. 11.* *Luc. 2.* *In Deut. c.32.*

CAPVT VII.

Vt omnia imperfecta diuina ordinatione oriantur; ea ipsa tamen ad augmentum PERFECTIONEMq́; *assurgere, hominíque profectum in spiritu suadere.*

Omnia nasci imperfecta.

1. NON erit iam difficile probare, nihil enasci perfectum, quod è causis secundis educitur, omniaque accessione & profectu indigere. Crescunt enim in terræ visceribus mineralia inclusa venis quibusdam subterraneis, aluntur que terra molliori, seu defæcata quadam materia, quæ duobus veluti muris compacta, thesaurum illum abdit & asseruat; crescunt & stirpes, quæ, à paruo ortæ germine, in immensam altitudinem assurgunt: sed leo nullus vmquam annosus euasit, qui priùs catulus non fuerit; & vrsus, informem fœtum ni lambat, vrsi figuram non videbit. Nullus vir natus est, sed infans in pueritiam migrauit, deinde adoleuit, à iuuentute in virum mutatus est. Et licet olim *creauerit Dominus nouum super terram, quando femina circumdedit virum,* hic tamen *paruulus natus est nobis, & filius datus est nobis.*

Ierem. 31. Isaia 9.

2. Verùm ex nullo principio euidentiùs id demonstrari potest, quàm ex genesi ortuque rerum omnium; in quo Deus primùm Adamo, ceterisque animantibus, deinde Noë post diluuium, *Crescite*, ait, *& multiplicamini, & replete terram, & subijcite eam; & dominamini piscibus maris, & volatilibus cæli, & vniuersis animantibus quæ mouentur super terram.*

Gen. 1. & 9.

3. Quæ enim in hoc orbe inferiore à Deo condita sunt, materia constant, cuius natura est, aptam esse ad formas diuersas, quas non illico consequitur. Infans vnius diei non loquitur, non ambulat, non ratiocinatur, cibum non vsurpat. Habet quidem remotam ad illas operationes potentiam; deest tamen forma, actualisque facultas. Eadem ratio est de scientia: nam animus hominis quædam tabula rasa est, apta ad diuersas scientias recipiendas; ijs tamen caret, donec imprimantur & exarentur.

Cur Deus voluerit omnia nasci imperfecta.

1. 2. Voluit Deus omnia nasci imperfecta, vt mortales agnoscerent vnicum esse Deum, in quo sunt omnia, cui nihil deest; se verò faterentur indigos, Deo subiectos, nec se Deos opinarentur. Si enim tot malorum, infirmitatum, calamitatumque segetibus, morti denique obnoxij, se Deos dixere plurimi; si longè plures sese extollunt pauculis naturæ muneribus præditi: quid facerent, si perfecti nascerentur?

Tardè quidem, sed iustè Antiochus pronuntiauit: *Iustum est*, hominem *subditum esse Deo.* 2. Machab. 9.

Deinde diuino consilio imperfecti nascimur, ne Ethnici aut Pagani, imò & ingrati fideles opinarentur, aut æternum esse mundum, aut certè à seipsis habere omnia: quod eleganter expressit Hugo de S. Victore. *Propterea ceteris rebus priùs informis materies facta est, ac deinde formata; vt eo ipso demonstraretur, quòd ab illo priùs non existentia accepissent essentiam; sine quo modo formam & ordinem non poterant habere confusa. Eodem modo ipsa rationalis creatura quodam suo modo priùs informi facta est, postmodum per conuersionem ad Deum creatorem suum formanda. Et idcirco priùs foris demonstranda informis materia, postea formata; vt, quanta foret inter esse & pulchrum esse distantia, discerneret. Ac per hoc admonita est, ne contenta esset, eo quòd per condicionem esse à creatore acceperat, donec pulchrum esse atque beatum esse adipisceretur, quod per amoris conuersionem à creatore acceptura erat.* Diuus etiam Ambrosius tractans illa verba, *Terra autem erat inanis & vacua, Quid est*, ait, ERAT, *nisi ne fortè in infinitum & sine principio extendant opinionem suam, & dicant: Ecce quia materia, id est, hyle, sicut Philosophi dicunt, etiam secundùm Scripturam diuinam non habuit initium? Verùm hoc dicentibus respondebis, quia scriptum est, Erat autem Cain operans terram. Desinant ergo quæstionem mouere, cùm præmiserit Moyses quia fecit Deus terram. Erat ergo, ex quo facta est. Terra ergo erat inuisibilis & incomposita.* Hæc ille. Meritò igitur Deo tribui debet non modò omnis PERFECTIO, sed quidquid in nobis est: quia si inuestigemus auctorem omnium quæ in nobis sunt, enumerando singula, deueniemus ad materiam primam, vltra quam nihil reperies. 2.

Lib. 1. de Sac. p. 1. c. 2.

Lib. 1. Hexameron, cap. 7.

3\. Voluit deinde Deus omnia oriri imperfecta, vt ipsæ creaturæ creatorem suum agnoscerent, & in necessitatibus suis ad eum recurrerent; quod certè insensibiles faciunt: quid enim summis caloribus terra arida fissuris suis aliud anniti videtur, quàm Deum inuocare pluuiæ parentem? Plantulæ enimuero atque arbusta crescunt, cælumque petunt ascensu; ramos & brachia expandunt in amplexum conditoris sui, quasi gratias agere niterentur. Quid de bobus dicam? *Oculi omnium* (ait Propheta) *in te sperant, Domine; & tu das escam illorum in tempore opportuno: aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione. Qui dat iumentis escam ipsorum, & pullis coruorum inuocantibus eum.* Solus homo, qui cuncta quæ in omnibus creaturis sunt participat, ab infimis euectus ad summa, ingratus conditorem suum non agnoscit. Cur ita? *Quia incrassatus est dilectus, &* ideo *recalcitrauit: incrassatus, impinguatus, dilatatus, dereliquit Deum factorem suum, & recessit à Deo salutari suo.* Quid ergo fecisset, si omnia simul, quæ forent ei necessaria, proximo suo ortu accepisset? Vult ergo Deus vt tu ipsum conditorem agnoscas, ad se tamquam 3.

Psal. 144.

Psal. 146.

Deut. 32.

quam ad patrem recurras, eum, beneficijs acceptis, impensiùs diligas; ipse tuo recursu gaudeat, te complectatur, & vt filium obsequentem, præsentem, & aliquid postulantem perpetuò videat, quia *eius deliciæ* sunt *esse cum filijs hominum*.

Prou. 8.

4. 4. Vult denique hominem crescere animo & virtute, exemplo desumpto ex omnibus creaturis: & hoc est vnicum eius desiderium, hæc vnica creationis hominis redemptionisque humani generis causa; hęc ratio è cælo Deum ipsum in stabulum, in omnia pœnarum genera, in crucem ipsam ignominiosam egit: vbi *sicut aquila prouocans ad volandum pullos suos, & super eos volitans, expandit alas suas*, eosque *portauit in humeris suis*. Hoc ergo voluntatis suæ beneplacitum post diem septimum, rebus omnibus conditis, denuntiauit, dicens: [a] *Crescite & multiplicamini.*

Deut. 32.
Profectus seu accretio spiritualis ac multiplicatio à Deo præcipitur.
a Gen. 1.

Idipsum quoque intelligi voluit de augmento & profectu virtutum, vt nonnulli Patres interpretantur, teste D. Augustino. *Quidam* (ait) *volunt hæc verba non secundùm carnalem fœcunditatem intelligi, quia secundùm animam legitur tale aliquid dictum, Multiplicabis in anima mea virtutem.* Hæc ille. Certè Origenes elegantissimè ad animam transfert. *Videamus* (ait) *quomodo ad imaginem Dei homo factus sit masculus & femina. Interior homo noster ex spiritu & anima constat. Masculus spiritus dicitur; femina autem anima potest nuncupari. Hæc si concordiā inter se habeant, & consensum, conuenientia inter se crescunt & multiplicantur, generantq́; filios sensus bonos, & intellectum vel cogitationes vtiles, per quæ repleant terram, & dominentur in ea; hoc est, subiectum sibi sensum carnis ad meliora conuertunt, & dominantur eis, scilicet cùm in nullo caro contra voluntatem spiritus insolescit.* Hæc ille.

Lib. 14. ciuit. Dei, c. 21. 22.
Psal. 137.
Hom. 1. in Genes. sub finem.

5. Nec mirum si animus crescere debeat, cùm omnia corporalia, quæ crescunt & perficiuntur, in eius gratiam condita sint. Paratus enim Deus, vt terris pluuiam, animalibus alimenta aliaque subsidia, ita & nobis gratiam suam ad augmentum præbere. Ita enim scribit Apostolus: *Potens est autem Deus omnem gratiam abundare facere in vobis; vt in omnibus semper omnem sufficientiam habentes, abundetis in omne opus bonum, sicut scriptum est: Dispersit, dedit pauperibus; iustitia eius manet in sæculum sæculi. Qui autem administrat semen seminanti; & panem ad manducandum præstabit, & multiplicabit semen vestrum, & augebit incrementa frugum iustitiæ vestræ: vt in omnibus locupletati, abundetis in omnem simplicitatem, quæ operatur per nos gratiarum actionem Deo.* Quod exemplo demonstrauit idem Apostolus alibi. *Ego* (ait) *plantaui, Apollo rigauit, sed Deus incrementum dedit.* Idem Deus promiserat per Sapientem: *Radix iustorum proficiet.* Nec mirum; illa enim defixa *secus decursus aquarum, fructum dabit in tempore suo; folium eius non defluet, & omnia, quæcumque faciet, prosperabuntur.*

Ad profectum spiritualem auxilia promittuntur.
2. Cor. 9.
1. Cor. 3.
Prou. 12.
Psal. 1.

6. Ad

6. Ad hunc profectum nos hortatur Apostolorum Princeps in fine epistolæ suæ, loco epiphonematis. *Crescite* (ait) *in gratia & in cognitione Domini nostri & Saluatoris* IESV *Christi*. Modum verò crescendi proponens alibi, *Sicut modò*, ait, *geniti infantes lac concupiscite; vt in eo crescatis in salutem*. insinuans nos in profectu spirituali similes esse debere infantibus, qui lacrymis, eiulatu, voce qua possunt fractâ, mamillas exposcunt, summo impetu atque ardore in papillas irruunt. Longè etenim nobilius suauiusque est lac quod è Christi hauritur mamilla, cùm ad nos paruulos alendos, tum vt crescamus in salutem, ætatemque perfectam. Illud prætermittendum non est, B. Petrum velle nos crescere in gratia & cognitione IESV. Idipsum & D. Paulus inculcat. *Ambuletis* (inquit) *dignè Deo per omnia placentes, in omni opere bono fructificantes, & crescentes in scientia Dei*. Sicut enim in beatitudinis statu visio Dei, eiusque beatificus amor, hominis desiderium complent & satiant: ita etiam sitis acquirendæ gratiæ per bona opera, ac illustrior quædam Dei cognitio, hominem incredibiliter promouent, & quodammodo in statu beato atque perfecto constituunt; qui in hac vita est, semper crescere ac currere, si quo modo apprehendere possit.

Profectus spiritualis suadetur.

2. Pet. 3.

1. Pet. 2.

Col. 1.

Mirum autem hîc fortè alicui videbitur, quòd vterque Apostolus scientiam, quæ operationis ac dilectionis causa esse solet, easque præcedit, gratiæ & operibus postponat, velitque nos primùm in gratia & multiplicatione bonorum operum crescere quàm scientia. Ita est sanè: etsi enim ex fidei lumine opera virtutum procedant; scientia tamen experimentalis, lumenque sapientiæ, ex caritatis ardore & operum fulgore oritur, & à Deo, qui liberalitate vinci non vult, in præmium meritorum infunditur.

7. Efficacissimo verò argumento vtitur Apostolus Paulus ad nos impellendos ad hoc studium virtutis, cùm nos esse de corpore Christi declarat, & augmento nostro Christi corpus dilatari, ampliari, ac perfici; deformitatem verò magnam videri, si crescant alia membra, verbi gratia digiti quatuor, quintus verò contrahatur; aut brachium alterum extendatur, alterum æquè curtum maneat, ac primo natiuitatis die. Sic enim Paulus loquitur: *Veritatem autem facientes in caritate, crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus; ex quo totum corpus compactum & connexum per omnem iuncturam subministrationis, secundùm operationem in mensuram vniuscuiusque membri, augmentum corporis facit in ædificationem sui in caritate*. Item in ædificio Ecclesiæ nos lapides desiderari, hiatumque inueniri, quòd nondum expoliti simus, locusque expectet nostram expolitionem. *Iam enim non estis* (ait) *hospites & aduenæ, sed estis ciues sanctorum, & domestici Dei, superædificati supra fundamentum Apostolorum & Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo* IESV: *in quo omnis ædifi-*

Ephes. 4.

Ephes. 2.

catio constructa crescit in templum sanctum in Domino; in quo & vos coædificamini in habitaculum Dei in Spiritu. Ex quibus omnibus patet, in primis, vt quis crescat & proficiat, vitijs omnibus exuatur opus esse, (quod est primum officium iustitiæ Christianæ) maximè ijs quæ Dei amicitiam excludunt. Ne crescat vrtica, sed, vt ait Propheta, *pro vrtica myrtus*; fructus nimirum pretiosus, & boni odoris. Deinde solicitè Dei gratiam quærat, conseruet, & augeat. Denique frequenti operum multiplicatione virtutes acquirat & amplificet, quibus & se perficiat, & Christi corpori ædificioque Ecclesiæ splẽdori sit & honori. Quid? parúmne tibi est, membrum esse corporis Christi, qui Deus est, qui regnat in cælis gloriosus? parúmne, non hospitem esse, sed ciuem sanctorum, & domesticum Dei, supra fundamentum Apostolorum, imò super ipsum lapidem angularem collocari? crescere in habitaculum Dei in Spiritu sancto? Verùm corpus Christi crescere debet. Si membrum vnum non crescat toto corpore crescente, amputari debet, aut deformitatem adferet corpori adeò perfecto. Crescere debet & Dei templum. Si ædificationi te subtrahis, caue; & *tene quod habes, vt nemo accipiat coronam tuam.*

Condiciones accretionis. I. *Isaiæ 55.* 2. 3. *Apoc. 3.*

CAPVT VIII.

Profectus spiritualis suadetur exemplo Iosephi Patriarchæ.

8. EXEMPLO nobis erit Ioseph Patriarcha, cuius nomen incrementum, accretionem, seu accessionem significat; cui parens moriturus in hæc verba benedixit: *Filius accrescens Ioseph; filius accrescens, & decorus aspectu*. Carus enim in adolescentia parenti, & ipsi præ ceteris in delicijs fuit: toga donatus est polymita, singularis beneuolentiæ indice; quæ fratribus magnum inuidiæ odijque fomitem ministrauit. In Ægyptum venditus, vxoris Putipharis salacioris incontinentia in carcerem compactus est. Profuit ipsi depressio hæc, & ad statum sublimiorem prouexit. Exposito namque Pharaonis somnio, pater patriæ, regni œconomus, & seruator mundi, prẹconio publico appellatus est. *Filius* ergo *accrescens Ioseph*. Creuit quoque in filiis suis Ephraim & Manasse, qui inter filios Iacob, seu duodecim Patriarchas, annumerati sunt; sicut Simeon & Ruben. His ergo & *condiciones profectus spiritualis, & modus proficiendi, & consummatio seu apex ac gloria accretionis colliguntur atque exprimuntur.*

Gen. 49. *Gen. 39.* *Gen. 41.* *Gen. 48.* *Tria accretionis capita.*

9. Con-

9. Condiciones porrò profectus tres sunt: quarum prima est, vt, qui crescere ac proficere vult, carus sit parenti, &, si fieri potest, vulgaribus longè superior: id est, præter gratiam, quæ Deo hominem amabilem reddit, desiderium habeat incensum Deo placendi, ac proficiendi. Vt enim nemo crescere augerique possit destitutus vita; sic qui in peccato est, spiritu vitaque cælesti destitutus, vitales actiones exercere, ali, augeri, ac proficere nullo modo potest; sed nec is, qui adeò languidus, vt labi se identidem in mortem animæ patiatur. Is non fallatur: nemo proficere, nemo crescere potest, qui constans non steterit. *Iustus* enim *vt palma florebit*, sed *plantatus in domo Domini, in atrijs domus Dei nostri*. Hinc versio Hebraica ita sonat, *Filius frugifer Ioseph, filius frugifer iuxta fontem:* quasi velit parens eum crescere ac proficere ad similitudinem fontis, aut instar arboris iuxta fontem aquarum plantatæ. Debet igitur esse arbor, & viua quidem; alioquin etiam iuxta decursum aquarum immensum putresceret. Plantata sit necesse est, ac fixa; alioquin alimentum non suget, sed arescet, fietque idonea flammæ materia. *Quid existis*, ait Christus, *in desertum videre? arundinem vento agitatam?* an verò robur altissimè defossum? etsi enim non obsit ramis agitari, radix tamen concuti non debet, sed defigi, vt ne moueri quidem possit. Constantiam hoc indicat in eo qui crescere vult. Verùm quid si humorem non habeat, etiam plantata, fixa, altè lateque in terram protensa? vbertim non crescet, non profusè, non fructuosè; quia sine gratiæ Dei præsentia, ac cælesti rore, accedente tentatione, rami radixque morientur: sed si fons limpidus ac copiosus transcurrat, & subinde idem fontis riuus accrescat, infletur, augeaturque, vires radici accedent maiores, succus per corpus & brachia arboris diffundetur, vnde fructus vberrimus oborietur. Ita D. Paulus, qui aruerat huius aquæ defectu. *Gratia Dei* (ait) *sum id quod sum, & gratia eius in me vacua non fuit, sed abundantiùs illis omnibus laboraui: non ego autem, sed gratia Dei mecum*.

Caput 1. Condiciones tres.
1. Condicio. Vita spiritualis, eáq; constans.
Psal. 91.
Matth. 11.
1. Cor. 15.

10. Altera condicio desumitur ex toga polymita, diuersique coloris. Qui enim crescere vult, necesse est habeat omnes virtutes Theologicas, Cardinales, Morales animæ inhærentes, designatas per illam coloris varietatem: quæ varietas adeò connexa est gratiæ habituali, vt hæc sine illa numquam infundatur, sicut indicat Regius Propheta. *Astitit* (inquit) *Regina à dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate*. Vestitus iste est vestis nuptialis caritatis, qua induimur in baptismo. *Quicumque enim in Christo baptizati estis, Christum induistis*. Certè per Ioseph Christus designatus est, qui, si quis alius, filius accrescens & frugifer fuit, habuitque togam hanc polymitam ab initio conceptionis suæ; quam & in baptismo nobis communicat, cùm, exuentes primum hominem cum actibus suis, Christũ induimus cum omnium virtutum

2. Condicio. Virtutum omnium radices seu habitus.
Psal. 44.
Gal. 3.

elegantissima varietate. Dico hanc virtutum complexionem præsupponi: nam omnis industria ac studium profectus desudat in augendis virtutum habitibus; qui sanè augeri non possunt, nisi existant, & à studioso virtutis possideantur.

3. Condicio. Proficienti multa toleranda.

11. Verùm hæc inuidię & odij sæculi huius amatoribus non exiguum fomitem subministrant. Acris enim reprehensio vitiorum est vita immaculata: in ea, vt in fonte limpido, facies maculosas praui intuentur; quarum etsi maculas probent & diligant, eas tamen ferre non possunt, nec videre, & ab alijs videri nullo modo volunt: ideo virtutis odere studiosos, ac persequuntur; &, cùm possunt, eos in exilium mittunt. Hoc Christus sapienter, vt omnia, expressit. *Trademini* (ait) *à parentibus, & fratribus, & cognatis, & amicis, & morte afficient ex vobis, & eritis odio omnibus hominibus, propter nomen meum.* Cuius alibi reddit rationem: *Si mundus vos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit. Si de mundo fuissetis, mundus quod suum erat diligeret: quia verò de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus.* Non reputet ergo, quicũque ad PERFECTIONEM aspirat, se præter virtutis suauitatẽ ac delicias aduersi nihil inuenturum. Aliter res se habet. *Omnes qui piè volunt viuere in Christo* IESV, *persecutionem patientur. Non est seruus maior Domino suo.* Si verò sponte non occurrant aduersa, omnino quærendæ sunt occasiones subijciendæ carnis, & Putipharis salacem vxorem domandi fugãdíq;, etsi in carceres religiosos compingi, aut pœnas graues quisque sibi infligere debeat: *non enim inuenitur sapientia in terra suauiter viuentium.*

Luc. 21. Ioan. 15. 2. Tim. 3. Ioan. 15. Iob 28.

Caput 2. Proficiendi modus varijs metaphoris ac similibus expressus.

12. Modus verò proficiendi exprimitur pulcherrimis hisce metaphoris, fontis intumescentis, arboris iuxta riuum plantatæ, eiusdemq́ue frugiferæ: *filius* enim *frugifer Ioseph, filius frugifer.* Vult enim Deus frugiferas arbores, non infructuosas; non homines quibus satis est corpus alere, & instar ligni ampliari ac dilatari; sed qui in sese crescant, & seipsis in dies maiores euadant, atque veluti alter Ioseph crescant in mille millia, Christo filios parientes, in se bonorum operum, & in alijs veros Dei cultores, qui Christum patrem cognoscant, colant, eumq́ue obseruent. Reprobantur enim infrugiferi à D. Iuda. *Hi sunt* (ait) *in epulis suis maculæ, conuiuantes sine timore, semetipsos pascentes, nubes sine aqua, quæ à ventis circumferuntur, arbores autumnales, infructuosæ, bis mortuæ, eradicatæ, fluctus feri maris, sidera errantia.*

1. Epist. Iudæ.

2. Quod ad fontis incrementum attinet, etiam in potestate nostra est fontis illius seu gratiæ venas augere. Certè D. Iob se hoc fecisse testatur. *Ab infantia* (inquit) *mea creuit mecum miseratio, & de vtero matris meæ egressa est mecum.* Quomodo creuit? Hac ratione, multa nempe opera misericordiæ exercendo. *Si negaui,* (inquit) *quod volebant, pauperibus,*

Iob 31. Ibidem.

peribus, & oculos viduæ expectare feci: si comedi buccellam meam solus, & non comedit pupillus ex ea. Docet enim D. Thomas, quòd, quotiescumque opus aliquod meritorium iustus operatur, augeatur gratia habitualis, & simul habitus illius virtutis, quam exercemus; quod Sapiens disertè significat, dicens: *Iustorum semita, quasi lux splendens, procedit & crescit vsque ad perfectum diem.* ducta metaphora à sole oriente & procedente, qui quo magis ad meridiem accedit, eo maiorẽ mundo adfert splendorem: sic & iustorum virtus, procedens operum iustitię multiplicatione, vsu, atque exercitio, & gratiam reddit auctiorem, & habitum intensiorem; vnde lumen quoddã animi & agendi facilitas amplior acquiritur.

D. Thom. 2. 2. q. 114. art. 8.

Prou. 4.

3. Alia crescendi ratio ab arboris, quam riuus alluit, augmento, atque progressu, ascensuque desumitur. Cùm enim plantula è germine prodit, exigua est, atque humillima; accretione fit altior, & in arboris celsitudinem assurgit; diciturque creuisse, quando summitas seu vertex remotior fit à terra, cæloque propinquior. Sic & puer grandior factus dicitur, cùm à terra recessit, & vertice cælis vicinior est. Ita etiam hominem profecisse tum demum arbitrare, si à terrenis affectibus cupiditatibusque abscesserit, eas oderit, graue illi fuerit gustare, tangere, delectari, ne dicam repenti ventre serpere, in ijs volutari & acquiescere; animo verò sit cælo vicinior, & dicat cum Apostolo: *Nostra conuersatio in cælis est. Quæ retro sunt obliuiscens, ad priora meipsum extendo: quæ sursum sunt quæro, vbi Christus est in dextera Dei sedens; quæ sursum sunt sapio, non quæ super terram.*

Phil. 3.
Ibidem.
Colos. 3.

13. Ioseph fuisse accrescentem, dum in oculis suis paruus nullam habebat superbiendi occasionem, non admodum magnum videri; sed omni tempore nominis sui significationi respondisse, summum reputari debet. Creuit dignitate, hominum opinione, honore & gloria, prolisque propagatione; creuit & sapientia & virtute, qua & Ægyptum sapientissimè rexit, & patri sanctissimo admirationi fuit. Testatur id benedictio quam ei & filijs impertiuit. Ex quo discimus, eos demum ad dignitatum honorumque apices euehendos, qui impensè PERFECTIONIS studio & crescendi in virtute desiderio singulari tenentur. Cùm enim alios regere atque incendere debeant; id numquam facient, si languidi frigidique sese ipsi nequeant accẽdere ac promouere. Quomodo enim à vitijs auocare subditos poterunt, quibus ipsi illigantur? quomodo ad virtutem incitare, quam nec habent ipsi, nec habere conantur? quomodo ad ardua capessenda inflammare, si flamma careant? si igne? si calore? imò si intus gelidi sint? si nihil exteriùs, præter zeli simulacrum, affectatæque sanctitatis similitudinem appareat? Illis Iacob non benedixit, vt filio Ioseph, sed maledictionem impertiuit, dicens: *Ruben primogenitus meus, non crescas, quia ascendisti cubile patris tui.*

Caput 3. Gradus accretionis seu profectus eximius in ijs qui præsunt: de quo cap. seq.

Proficientes demum idonees esse ad gubernandum.

Gen. 49.

Fœda-

Fœdauerat Ruben cubile patris: ij fœdant Dei cubile, qui animum, vbi Deus requiescit, vitijs inquinant; exteriùs ornamenta virtutis ostentant, interiùs excludunt. Ascendunt vitiorum cubilia, à virtutum verò culmine ruunt præcipites.

CAPVT IX.

Idem profectus & accretio suadetur testimoniis sanctorum Patrum.

Eum qui non proficit, deficere.

Past. parte 3. c. 35.

14. ILLVD namque cum sanctis Patribus statuendum videtur, *Eum qui non proficit, deficere; & qui non graditur, retrocedere.* Quod D. Gregorius fusè prosequitur. *Admonendi sunt* (ait) *qui inchoata bona minimè consummant, vt cauta circumspectione considerent, quia, dum proposita non perficiunt, etiam quæ fuerant cœpta conuellunt. Si enim quod videtur gerendum, solicita intentione non crescit, etiam quod fuerat bene gestum decrescit.* Addit appositam similitudinem. *In hoc quippe mundo humana anima, quasi more nauis contra ictum fluminis condescendentis, vno in loco nequaquam stare permittitur; quia ad ima relabitur, nisi ad summa conetur.* Origenes verò in illa verba, *Crescite & multiplicamini*, longè grauiùs eos, qui non proficiunt, incusat. *Iam verò* (ait) *si anima coniuncta spiritui, atque eius (vt ita dicam) coniugio copulata, declinet aliquando ad corporeas voluptates, sensumq́ suum in delectationibus carnis inclinet, & aliquando verò videatur obtemperare salutaribus monitis spiritus, aliquando vitijs carnalibus cedat, talis anima, velut adulterio corporis maculata, neque crescere neque multiplicari legitimè dicitur; quoniam filios quidem adulterorum imperfectos scriptura designat. Talis enim anima, quæ spiritus coniunctione discreta, sensui se carnis & desiderijs corporalibus totam prosternit, velut auersa à Deo imprudenter audiet: Quia facies meretricis facta est tibi, sine pudore affecta es ad omnes.* Vis argumenti Origenis est, eos proficere non posse, qui perpetua inconstantia agitantur; nunc spirituales, nunc animales; nunc calidi, nunc frigidi; & à spiritu incipientes, in carnem degenerant; de quibus ita Deus queritur: *Vtinam frigidus esses aut calidus! sed quia tepidus es, incipiam te euomere ex ore meo.* Verùm D. Bernardum audiamus magistra doctum experientia disserentem. *Quòd si* (ait) *studere* PERFECTIONI, *est esse perfectum; profectò, nolle proficere, deficere est. Vbi ergo sunt qui dicere solent, Sufficit nobis, quia nolumus esse perfectiores quàm patres nostri? O Monache, non vis proficere? Non. Vis ergo deficere? Nequaquam. Quid ergo? Sic mihi (inquis) viuere volo, & manere in quo perueni: nec peior fieri patior, nec melior. Hoc* ergo

Hom. 1. in Genesim.

Apoc. 3.

Epist. 253. ad Abbatem Guarinum Alpensem.

ergo vis, quod esse non potest: quid enim stat in hoc sæculo? & rectè de homine specialiter dictum est, Fugit velut vmbra. Et paulo pòst: *Quid prodest Christum sequi, si non contingat consequi? Ideo Paulus aiebat: Sic currite, vt comprehendatis. Ibi tu, Christiane, fige tui cursus profectusq́; metam, vbi Christus posuit suam. Factus est obediens vsque ad mortem. Quantumlibet ergo cucurreris, si vsque ad mortem non perueneris, brauium non apprehendis. Brauium Christus est. Quod si illo currente tu gradum sistis, non Christo appropias, sed magis elongas; timendumq́; est tibi quod ait Dauid: Ecce, qui elongant se à te, Domine, peribunt. Itaque si proficere, currere est: vbi proficere, ibi currere desinis; vbi verò non currere, ibi & deficere incipis. Hinc planè colligitur, quia nolle proficere, non nisi deficere est. Vidit scalam Iacob, & in scala Angelos, vbi nullus residens, nullus subsistens apparuit, sed vel ascendere vel descendere videbantur vniuersi: quatenus palàm daretur intelligi, inter profectum & defectum, in hoc statu mortalis vitæ, nihil medium inueniri; sed quomodo ipsum corpus nostrum continuò crescere constat, aut decrescere, sic necesse est spiritu aut proficere semper, aut deficere.* Eadem pæne repetit de scala, scribens ad Abbates Suessione congregatos, & addit: *Non habemus hîc manentem ciuitatem, nec futuram possidemus, sed inquirimus. Aut ascendas necesse est, aut descendas: si attentas stare, ruas necesse est. Minimè, pro certo, est bonus, qui melior esse non vult; & vbi incipis nolle fieri melior, ibi tum desinis esse bonus.* Hæc Diuus Bernardus.

Iob 14.
Phil. 2.
Psal. 72.
Epist. 91.

15. Redeamus ergo ad præceptum illud generale, quod viuentibus omnibus initio mundi denuntiatum est: *Crescite & multiplicamini.* Crescite in vobis, multiplicamini in semine: vos ipsos primùm promouete, virtutum deinde vestrarum semina in alijs multiplicate. Et quidem de profectu nostro in primis cogitandum nobis est, vbi cuncta Dei mandato augeri aduertimus. Frumenti namque semen terræ mandatur, mortuum deinde in culmum assurgit; nec quiescit, donec spicam semenque profuderit. Ad quod imitandum Gregorius nos hortatur, dicens, quòd cùm bona desideria concipimus, semen in terram mittimus; cùm verò operari rectè incipimus, herba sumus; cùm autem ad profectum boni operis crescimus, ad spicam peruenimus; cumque in eiusdem operationis PERFECTIONE solidamur, iam plenum frumentum in spica proferimus. Dicit eodem loco, virtutum gradus gradibus portæ Orientalis adumbrari. *Quid gradus sunt huius portæ,* (ait) *nisi merita virtutum? Nemo enim repentè fit summus, sed in bona conuersatione à minimis quisque inchoat, vt ad maiora perueniat.* Denique Bernardus: *Numquam iustus existimat se comprehendisse; numquam dicit, Satis est; sed semper esurit sititq́; iustitiam: ita vt, si semper viueret, semper, quantum in se esset, iustior esse contenderet, semper de bono in melius proficere totis viribus conaretur. Non enim ad annum, aut ad tempus, instar mercenarij, sed in æternum diuino se*

Gen. 1.
Accretio & multiplicatio duplex.
1. In se.
Greg. lib. 2. in Ezech. hom. 15.
Epist. dicta ad Guarinum.

mancipat famulatui. Hæc Diuus Bernardus.

16. Vehementer incitari deberemus ad profectum ex hoc capite: quòd ſicut agricolæ nihil gratius eſt, quàm laborum ſuorum meſſem fructumque percipere; ita nihil gtatius Deo præſtari poteſt, quàm vt immenſis eius laboribus, quos in promerenda nobis gratia ſuſtinuit,
1. Theſſal. 4. cooperemur, eiúſque ſtudia in nobis promoueamus. *Hæc eſt enim voluntas Dei, ſanctificatio noſtra.* Quin etiam ſanctificationem noſtram ci-
Ioan. 4. bum ſuum, quo reficitur, eſſe reputat. *Meus cibus eſt,* (inquit) *vt faciam voluntatem eius qui miſit me, vt perficiam opus eius.* Quod Bernardus, tra-
Serm. 71. in Cant. ctans hæc verba, *Qui paſcitur inter lilia*, eleganter proſequitur. *At paſcens* (ait) *ita puto nihilominus paſcitur & ipſe, & quidem eſcis quibus libenter reficitur, profectibus noſtris. Cibus eius pœnitentia mea, & cibus eius ſalus mea,*
Pſal. 101. *cibus eius ego ipſe. An non cinerem tamquam panem manducat?*

17. Vult Dominus nos creſcere, ſed non tantùm; vult etiam & mul-
Multiplicatio duplex. tiplicari. Non enim eſt ſatis, nos eſſe Chriſtianos, fidem in nobis eſſe, ſpem, ſi velis, & caritatem; vult, inquam, in omni virtutum genere au-
1. In ſe. *Pſal. 83.* geri ac multiplicari. Quomodo augeri? *Beatus vir* (ait Propheta) *cuius eſt auxilium abs te: aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit, in valle lacrymarum, in loco quem poſuit. Etenim benedictionem dabit legiſlator, ibunt de virtute in virtutem; videbitur Deus deorum in Sion.* Quomodo multiplicari? D. Au-
En Pſal. 137. guſtinus non minùs copioſè quàm piè proſequitur hanc multiplicationem, explicans hæc verba Pſalmiſtę: *In quacũque die inuocauero te, exaudi me; multiplicabis in anima mea virtutẽ:* vel (vt ipſe legit) *citò exaudi me; mul-*
Multiplicatio varia. *tiplicabis me in anima mea virtute.* Sic ergo ait: *Multis modis multiplicatio in-*
telligi poteſt. Eſt multiplicatio terrenæ generationis, ſecũdùm primã generationis
1. Corporea. *naturæ benedictionem, quam audiuimus: Creſcite & multiplicamini, & implete terram, & dominamini ei. Sícne ille volebat multiplicari, qui dicebat, Citò exaudi me? & iſta multiplicatio fructuoſa eſt, & non venit niſi de benedictione Do-*
2. Temporalis. *mini. Iam quid dicã de alijs multiplicationibus? Multiplicatus eſt ille auro, ille argento, ille pecoribus, ille familia, ille poſſeſſionibus, ille his omnibus: cùm ergo ſint multæ multiplicationes, quam multiplicationẽ quærit, qui dicit, Citò exaudi me? ait enim, Multiplicabis me. Expectamus audire in quibus. Audi ergo: In anima mea. Non in carne mea, ſed in anima mea. Eſtne adhuc quod addatur, ne fortè*
3. Vitioſæ ſeu terrena. *& multiplicatio in anima non continuò felicitatem ſignificet? Etenim curis & furijs homines in anima multiplicantur: multiplicatus videtur in anima, in quo etiam multiplicata ſunt vitia. Ille tantummodo auarus eſt, ille tantummodo ſuperbus, ille tantummodo luxurioſus; iſte & auarus, & ſuperbus, & luxurioſus: multiplicatus eſt in anima ſua, ſed malo ſuo. Multiplicatio iſta egeſtatis eſt, non vbertatis. Ergo quid tu, qui dixiſti, Citò exaudi me, & te abſtuliſti ab omni corpore, & omni terrena re, vt diceres Deo, Multiplicabis in anima mea? adhuc explana quid deſideres. Multiplicabis me* (inquit) *in anima mea virtute. Ex-*

pressum votum, expressum desiderium. Si diceret, Multiplicabis me; terrena nescio quæ cogitares: addidit, In anima mea. Rursus, ne in anima vitia cogitares, addidit, Virtute. Hæc Augustinus.

18. Dixit postremò Deus hominibus: *Replete terram, & subijcite eam, & dominamini piscibus maris, & volatilibus cæli, & vniuersis animantibus quæ mouentur super terram.* Subijciendam in primis mandat terram corporis nostri rationis imperio. Significant deinde animantium genera diuersa & ferocia passiones efferas & vitia indomita in nobis, quibus homines dominari præcipit; quod disertè Chrysostomus explicat. *Quemadmodum* (inquit) *in terra hac spatiosa & lata animantium alia mansuetiora, alia ferociora; ita in latitudine animæ nostræ cogitationes aliæ sunt magis pecuinæ & irrationales, aliæ ferociores & agrestiores: domandæ igitur illæ sunt, & rationis imperio magistrandæ. Et quomodo quis cogitationem ferociorem compescet? Quid dicis, homo? leonibus imperamus, & eorum animos mansuetos reddimus; & dubitas num mentis ferociam in mansuetudinem mutare possis? Quamuis natura bestiæ feroces sint, & præter naturam mansuetæ; contrà tu præter naturam ferox, natura autem mitis. Et qui bestijs id quod natura eis inest auferre, & quod eorum naturæ aduersum inferre potes, id quod natura tibi præstitit conseruare non potes? Iam, quod his admirabilius est, leonum naturæ & alia difficultas inest. Rationis participes non sunt, & nihilominus sæpe videmus eos duci mansuetos per forum, multiq; ex officinis nummos vt mercedem artis & industriæ mansuetario numerant. Animæ verò tuæ ratio concessa est, & Dei timor, & alia vndequaque adminicula. Ne igitur prætextus & causationes adfer: potes enim, si vis, mansuetus esse, & placidus, & æquus;* & ceteris virtutum generibus pollere, vt deinceps docet Chrysostomus.

Gen. 1.

Homilia in Genes. ibidem.

19. Refert Isidorus dominium istud ad ordinem hierarchicum, quo alij alijs subijciuntur. Et sanè in republica Christiana diuersi generis homines sunt: quidam vt pisces maris peccata sua deflent, & pœnitentiam agunt; quidam instar pecorum & iumentorum colla perpetuò in terram demittunt, corpori alendo quęrendísque diuitijs occupatissimi. Hi cornua habent, & nonnumquam in suos familiares sæuiunt, & indomitis passionibus indulgent; arma denique comparant, quibus alijs interitum adferant. Sunt & volucres cæli homines spirituales, qui ab huius corporis colluuie segregati, altiùs auolant, res omnes caducas sub se intuentur, & in cælum, cælorumque æternitatem, quam animo præcipiunt, infatigabiliter aspirant. Vult ergo Dominus hominem huiusmodi præesse, dominari, regere imperio, solari mœstos, excitare tardiores, pecorumque more viuentes. Vult enim & hos à terrenis fæcibus auocari, erigi, ac diuinis legibus conformari, auctore Psalmista: *Homines & iumenta saluabis, Domine; quemadmodum multiplicasti misericordiam tuam, Deus.* Sed & aues cæli tegi debent, præsertim pulli clamantes,

In Genes. c. 3.

Accretio & multiplicatio secunda erga alios.

Psal. 35.

Psal. 16. mantes, *Sub umbra alarum tuarum protege nos*, ne à miluo rapiamur: addit enim Propheta, *Filij autem hominum in tegmine alarum tuarum sperabunt*.

Psal. 35.

Proficere oportere, qui alijs præsunt.

Psal. 132.

20. Illud tamen exploratum est, eum qui hisce præesse volet, & multiplicare semen, crescere & ipsum omnium primum oportere: nam prima benedictio cadit in parentem. *Sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron, & in oram vestimenti eius*. Qui enim alios regunt, Deo debent esse ceteris cariores ac familiariores; vt facilè ab eo obtineant, quod suis volunt impertiri. Ii verò sunt studiosi PERFECTIONIS, qui ea quæ retro sunt obliuiscentes, ad anteriora se conuertunt, & insigniter proficiunt. Iidem quoque alijs magno sunt incitamento: cumque maxima sit vis exemplorum; sola insitæ virtutis opinione plus persuadent, quàm alij longo verborum circuitu. Irati deinde numinis plagas eorum qui præsunt est à subditis auertere, Deique conciliare beneuolentiam. Quod ceteris efficaciùs faciunt, qui PERFECTIONI dant operã, vtpote Deo gratiores. Denique, quidquid sit de alijs, cùm prima salutis suæ cura ac ratio habenda sit, *Quid prodest homini, si mundum vniuersum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur? aut quam dabit homo commutationem pro anima sua?* verùm *quis est hic? & laudabimus eum. Quæsiui*, ait Ezechiel, *de eis virum qui interponeret sepem, & staret oppositus contra me pro terra, ne dissiparem eam; & non inueni: & effudi super eos indignationem meam, in igne iræ meæ consumpsi eos*.

Phil. 3.

Matth. 16.

Eccli. 31.

Ezech. 22.

Gen. 26.

21. Certè de Isaac scripsit Moyses quòd *benedixit ei Dominus, & locupletatus est; & ibat proficiens atque succrescens, donec magnus vehementer effectus est: habuit quoque possessiones ouium & armentorum, & familiæ plurimum*. Egregia hæc figura est, adumbrans ordinem quem in Ecclesia Deus seruari voluit: vt qui ad regendas oues & armenta assumuntur, ad regendam nimirum Christi familiam amplissimam, hi primùm omnium benedicti sint à Deo, gratiaque eius excellenti donati, atque Deo sint quàm amantissimi. Tum eant proficientes & succrescentes de virtute in virtutem; efficiantur in gratiæ amplitudine & virtutum gloria magni vehementer: & censebuntur idonei qui ouium & armentorum habeant & familiæ plurimum. Nihilominus, quantumcumque profecerint, adhuc hîc sistere non debent, necesse est cum Paulo dicant: *Non quod iam acceperim, aut iam perfectus sim; sequor autem, si quo modo comprehendam in quo & comprehensus sum à Christo* IESV. *Ad destinatum persequor, ad brauium supernæ vocationis Dei. Ego igitur sic curro, non quasi in incertum; sic pugno, non quasi aërem verberans: sed castigo corpus meum, & in seruitutem redigo; ne fortè, cùm alijs prædicauerim, ipse reprobus efficiar*. O vita beata, quæ ea alacritate currit ad pugnam, à pugna ad victoriam, vt pugnam denique ac victoriam cum æterno triumpho commutet!

Phil. 3.

1. Cor. 9.

Beati

Beati serui illi, quos, cùm venerit Dominus, inuenerit ita facientes: amen dico vobis, quòd suprema illa Maiestas *præcinget se, & faciet illos discumbere, & transiens ministrabit illis. Et si in secunda & in tertia vigilia venerit, & ita inuenerit,* iterum *beati sunt serui illi, quoniã super omnia bona sua constituet eos.* *Luc. 12.* *Matth. 24.*

CAPVT X.

Plurimùm adiumento esse acquirendæ PERFECTIONI, *Temperamenti & Complexionis bonitatem.*

INTER afflictiones, quæ vrgent & premunt anhelantes ad Dei conspectum & complexum, ea non est minima, quòd nec animus per se Deo obsequi pro voto valeat, nec corporis status atque condicio animi votis respondeat; cogaturque pius animus, mixto lacrymis gemitu, sæpe suspiria imo corde promere, ac dicere: *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est; quando veniam & apparebo ante faciem Dei* mei? *Corpus enim, quod corrumpitur, aggrauat animam; & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem.* Hæc suspiria & animorum & corporum lamentantium graphicè expressit D. Paulus sub nomine creaturæ gementis, & ad supremam suam PERFECTIONEM aspirantis. *Exspectatio,* inquit, *creaturæ reuelationem filiorum Dei expectat;* quæ reuelatio manifestabitur in die resurrectionis vniuersalis. Quare expectando exspectat? Quia *vanitati creatura subiecta est non volens:* & tamen patitur se esse subiectam, *propter eum qui subiecit eam in spe:* & meritò sperat, *quia & ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei. Scimus enim quòd omnis creatura ingemiscit & parturit vsque adhuc. Non solùm autem illa,* & homines vulgares; imò & Christiani quidem, *sed & nos ipsi primitias Spiritus habentes; & ipsi intra nos gemimus, adoptionem filiorum Dei expectantes, redemptionem corporis nostri.* Multa ergo impedimenta à corporis mortalis condicione nascuntur, quibus animi acies ac feruor retunditur, ne ad superiora transuolet, & pro desiderio studium PERFECTIONIS arripiat atque exerceat.

Difficultas seruiendi Deo ex parte mortalis corporis. *Psal. 119.* *Psal. 41.* *Sap. 9.* *Rom. 8.*

2. Quapropter, etsi solius gratię sit, meritorias operationes, aut etiam quæ nos ad iustitiam & salutem deducunt, moliri; nec ipsa natura vim vllam ad ea præstanda in se habeat, vti latè superiùs ostendimus; [a] *inter singularia tamen Dei beneficia id quoque referri debet, si cui naturam ad virtutem idoneam, si Temperamentum conueniens, si Complexionem temperatam, si passiones moderatas in ipsius formatione tribuat.* Fit enim plerumque, vt in

a Tẽperamentum & Complexionem à Deo cõuenientem nancisci, singulare beneficium esse.

ijs edomandis vires omnes tota vita insumi debeant: quæ si in virtutum acquisitione, passionibus iam compositis atque ordinatis, conferrentur, breui ad apicem magnæ PERFECTIONIS posset perueniri.

1. Similitudo accommoda.

Vt enim, qui in silua ædificare vult, debet in primis excelsas arbores euertere, aquas vel temerarias, vel stagnantes, aut etiam fontes errantes diuertere, impedimenta amoliri, fundum stabilem quærere; quod magnæ impensæ atque operæ est, fitque subinde vt structura stans fulciri debeat, nouaque semper indigeat reparatione, quòd fundamentum minimè sano loco ac constanti pro ædificij dignitate iactum sit: ita planè nobis accidit, si quando Complexionem incommodam, Temperamentum sanitati aduersum, passiones incompositas habeamus; quas vel domare toto vitæ decursu oporteat, vel certè omni tempore cum rebelli natura luctari, & quidem ea non rarò victrice, & nullo aut paruo in virtutis decursu incremento ac progressu.

2. Figura. 2. Esdra 4.

Longo tempore durauit restauratio murorum ciuitatis Ierusalem post captiuitatem: quia, dum Iudæi ædificarent, continuum eis negotium erat cum aduersarijs, qui impedire omni ratione nitebantur; vnde manu altera trulla opus promouebant, altera vibrabant gladium. Molestum id quidem, & diuturni temporis opus: nec omnibus tanta constantia est, ménsque fatigata importunis aut precibus aut obstaculis languescit aut frangitur. Idem nobis euenit, ruinas ædificij nostri spiritualis restaurantibus: si obstent morbi continui, aduersa valetudo, propensio ingens in alteram partem trahentis naturæ, vis propellentium passionum, idque annis quinque, decem, viginti, quinquaginta; quis animus adeò adamantinus, qui vel sustineat impetus, vel etiam in aduersum nitatur, omnesque illas difficultates perrumpat?

3. Quapropter inter eximia ea dona, quæ Deus mortalibus largitur, illud reputari haberique in primis debet, in ortu suo nancisci Temperamentum consentiens; Complexionem item temperatam, vnde passionum moderatio exurgit, à Deo accepisse. Et verò *subinde Deum, rerum omnium architectum, singulari prouidentia concurrere ad naturæ ad virtutem idoneæ ac temperatæ fabricam, præsertim si quando quempiam ad singularis sanctitatis fastigium aut officij præclari dignitatem destinare voluerit*, mihi omnino persuadeo.

Deum singulari prouidentia subinde ad formationem corporis concurrere.

1. Adami & Eua.

Adamum primum parentem, eiusque sociam Euam, optimè temperatos, ac principum humorum coalitione atque harmonia cōpositos, nemo in dubium vocabit, qui meminerit eos manu supremi artificis esse compactos; illum quidem ex nihilo, hanc verò summo miraculo ac mysterio è costa sui coniugis eductam: illum tamquā protoplastum, seu primum omnium, qui futuri erant, hominum genitorem, quique in eos naturam, quam acceperat, transfunderet; hanc verò, quæ & mater

ter viuentium appellari, & verò debebat esse. Et sanè primus homo, mortalis vitæ parens, secundum hominem, qui cælestem quandam animis vitam cælitus inuexit, repræsentabat. Huic autem secundo parenti vitæ transfundendę in filios, PERFECTIONES omnes absque dubio inerant excellentissimæ. Erant ergo in Adamo PERFECTIONES omnes, quæ in natura perfecta ad huiusmodi officij dignitatem sustinendam desiderari poterant. Hanc veritatem suo calculo prima veritas comprobauit. *Vidit Deus*, ait Moyses, *cuncta quæ fecerat, & erant valde bona*. *Gen. 1.*

Eadem gratia ac priuilegium Abrahamo negari non debuit; quem Deus ad eam dignitatem prouexit, vt figura esset Saluatoris, pater fidei, parens multarum gentium, caput nominatissimum gentis Iudaicæ. *2. Abrahami.*

Quid ni idem dixerimus de Isaac, Iacob, & Moyse? & sanè si de officij dignitate quæstio sit, cessabit omnis difficultas; si de sanctitate, multo magis. Quid, quòd in duobus filijs Isaac, nempe Iacob & Esau, quos mater vno partu fudit, totius orbis nationum in fideles & infideles, Iudæos & Gentiles, partitio; bonorum complexio ac benedictio, malorum reprobatio ac maledictio designatur? Quid, quòd Moyses, Deo familiarissimus, loqueretur *facie ad faciem*, tamquam amicus ad amicum; vir mansuetissimus, ac in omnes beneuolentissimus? Et sanè, si horum omnium mores ex sacris litteris explorare voluerimus, summè compositos & ad virtutem natos reperiemus. *3. Isaac, Iacob, Moysis.* *Num. 12.*

4. De moribus Iobi Prophetæ Deus summum tulit testimonium. *Numquid* (ait) *considerasti seruum meum Iob, quòd non sit ei similis in terra, vir simplex & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo, & adhuc retinens innocentiam?* Verùm etsi hæc commendatio ante omnes eius dolores, afflictiones, summasque calamitates pronuntiata sit; tempore nihilominus toto suæ calamitatis *non peccauit Iob labijs suis, neque stultum quid contra Deum locutus est*. Amicis eius, qui ei multa improperauerant, pœnam Deus irrogauit, cum acri stultitiæ exprobratione. *Quoniam non estis* (ait) *locuti coram me rectum, sicut seruus meus Iob*. Illud etiam prouidentiæ specialis in formatione naturæ Iob argumento esse potest, quod de se Domino dixit: *Manus tuæ fecerunt me, & plasmauerunt me totum in circuitu; & sic repentè præcipitas me?* Non esset quid profectò mirandum, si communi naturæ opera formatus in vtero, post ætatis annos plurimos (nam proles multas susceperat) præcipitaretur in tot calamitates; nec dicere deberet, *& sic repentè præcipitas me?* Quid dicis, *repentè?* Moriuntur aliqui in vtero matris: alij non citiùs fusi quàm mortui: denique illi diu vixisse putantur, qui annum quadragesimũ attingere potuerunt. At ad ea perficienda, quibus formatus Dei manu ac deputatus fuerat, parum tẽporis fluxisse videbatur; ideoque dicit, *& sic repẽtè præcipitas me?* *4. Iobi.* *Iob 1. & 2.* *Iob 1.* *Iob 42.* *Iob 10.*

5. Dauidis. De Dauide vix relinquitur etiam dubitandi locus: is enim fuit vir secundùm cor Dei, caput regni stabiliendi; cuius mores ij fuerunt, vt nihil mansuetius, benignius, patientiæ laude illustrius inueniri potuerit. Sed & illud non contemnendum, quod cecinit: *Spes mea à iuuentute mea, in te confirmatus sum ex vtero; de ventre matris meæ tu es protector meus.* & alibi: *Possedisti renes meos, suscepisti me de vtero matris meæ.* denique: *Quoniam tu es qui extraxisti me de ventre; spes mea ab vberibus matris meæ: in te proiectus sum ex vtero; de ventre matris meæ Deus meus es tu* Cœpit enim Deus tunc temporis peculiarem in eum prouidentiam exercere, quoniam ipsi Complexionem ac Temperamentum conflauit, quod virtuti capessendæ, in eo officio ac dignitate ad quam deputabatur, opportunissimum esset. Denique non tantùm id verum esse de se ipse affirmauit, sed & de alijs. *Scitote* (inquit) *quoniam Dominus ipse est Deus; ipse fecit nos, & non ipsi nos.* & alibi: *Finxit sigillatim corda eorum, qui intelligit omnia opera eorum.*

Psal. 70. *Psal. 138.* *Psal. 21.* *Psal. 99.* *Psal. 32.*

6. Salomonis. Salomonis Complexio ac naturalis ingenij vis, animi magnitudo, cor instar marini litoris amplissimũ, ingens rerum naturalium scientia, aliquid in natura præter consuetum fuisse demonstrant. Illud quoque quòd præ ceteris in matris vtero diutius hæserit. *Sum quidem* (ait) *& ego mortalis homo, similis omnibus, & ex genere terreni illius qui prior factus est, & in ventre matris figuratus sum caro, decem mensium tempore coagulatus sum in sanguine.* Vnde Origenes asserit hominem ad partum moueri, cùm decimus mensis cum triduo excesserit.

Sap. 7. *Homil. 4. in lib. Num.*

7. Ioannis Baptistæ. Omitto Ioannem Baptistam, qui ex matre sterili & annosa susceptus est: nec sanctitas vitæ, & quæ de eo suprà attulimus, aliud possunt arguere. Quod de omnibus qui miraculosè formati ex sterili, vel supra naturæ vires, aut sanctificati in huius lucis vsuram venerunt, statuendum puto. Omitto ergo Deiparam Virginem, quam ipsemet eius filius suis manibus adaptauit, eamque naturæ ac Complexionis PERFECTIONEM attribuit, ex qua sibi corpus postmodum formare constituerat. Superuacaneum est de Christo disputare, cuius corpus Spiritus sanctus, imò tota sanctissima Trinitas coagmentauit, compegit, ac formauit, *speciosum forma præ filijs hominum.*

Psal. 44.

8\. *Ostenditur ratione, cur Deus peculiari prouidentia concurrat ad naturæ formationem.* *1. Ratio.*

5\. Ex his confici posse videtur, conditorem rerum speciali concursu adesse solere formationi corporis eorum, quos ad insignis alicuius sanctitatis aut dignitatis gradum destinauit. Si enim successu temporis excellenti gratia, cùm vocando, tum iustificando, tum deinde plurimis sanctitatis indicijs, illustrationibus, visitationibus, consolationibus eximijs perfundere Deus cõstituit eum quem adsciscit ad suum obsequiũ, & perseuerantiæ cumulo ac singulari protectione toto vitæ decursu dignatur; si denique ei in cælo suæ immensæ Maiestatis complexum ac

beatam poſſeſſionem decreuit, perfectamque fruitionem bonorum omnium; quæ omnia & ſumma & incomparabilia ſunt præ bonis corporalibus: quid mirum ſi ei corpus adaptet conueniens, quo ea, ad quæ deſtinatur, conuenienter quoque exercere valeat? vt enim ſpiritualia illa eo largitur, quo animam capacem reddat, idoneam, ac promptam ad exequendam ſuam diuinam voluntatem, cum facilitate, alacritate, & gaudio: quid mirum ſi corporis partes omnes ac Complexionem ita diſponit, vt promptæ ac paratæ nunc voluntati obſecundent & pareant? alioquin fruſtra gratia tanta opus eſſet, ſi per vires corporis ea vti non liceret. Accedit quòd beatis corporibus largiturus eſt qualitates ac condiciones conuenientes ſtatui beatorum: nempe impaſſibilitatem, vt iugiter atque indefeſsè in cælo beati Deo ſeruiant; gloriam & ſplendorem quem loci & perſonarum ſtatus requirit; agilitatem & ſubtilitatem, vt tantæ Maieſtatis voluntatem ad nutum exequantur: quid ni opus erit, vt eidem Maieſtati ſeruituri in hac vita, corporis ac Temperamenti eas condiciones accipiant, quas ſtatus atque officium cuiuſque deſiderat, ad Domini ſui voluntatem exequendam; ſi non adeò perfectè, ſaltem quantum officij ratio & viatorum condicio poſtulat? Qui tam ingentia in patria largiturus eſt, quid ni in via gradientibus; cùm eadem corpora ad gloriam illam deſtinentur; & ideo ea Deus efformet, vt ſuo tempore ad immortalitatem æternitatemque capeſſendam transformentur?

2. Ratio.

3. Ratio.

Tres enim ſtatus ſunt, in quibus hominum corpora Dei auxilio ſupernaturali indigent, ad promptam expeditamque voluntatis diuinæ executionem. [a] Primus eſt innocentiæ; in quo corpus hominis adeò conuenienter temperatum erat, vt nulla intemperies, nullus morbus oriri poſſet; accedente nimirum Dei aſſidua protectione, ex qua homo impaſſibilis omnino reddebatur.

Temperamentum hominis iuxta tres ſtatus conſideratur: nempe, innocentiæ, beatorum, & natura reparatæ.

[b] Alter ſtatus, extremus, beatorum eſt; quorum corpora nullus qualitatum primarum exceſſus defectuſque mutare, nec vlla humorum exuberantia compagem vinculumque illud animæ & corporis ſoluere alterareque poterit; vnde optimè [c] D. Ioannes: *Abſterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum; & mors vltrà non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit vltrà, quia prima abierunt*. Erunt enim beatorum corpora impaſſibilia: non tantùm ratione diuinæ protectionis, vti fiebat in ſtatu innocentiæ; ſed quia omnia, quæ eis nocere poterunt, inuadent ac penetrabunt. Nec patiétur ab intemperie qualitatum; quia nulla intemperies vel qualitatum vel humorum illic erit: quidquid enim terrenum aut mutabile in illis eſt, abſorbebitur noua quadam informatione animæ beatæ, ac vnione cum corpore. Nam vinculum illud, quo nunc omnes corporis qualitates, & Temperamentum, animaque ipſa cum

a 1. *Status innocentiæ.*

b 2. *Status beatorum.*

c *Apoc. 21.*

corpore colligata sunt, (quod quidem dissolubile est) in aliud longè sublimius mutabitur; accipient enim corpora gloriosa cum anima vinculum & vnionem quandam supernaturalem, ratione cuius immutabiliter & inseparabiliter cohæreāt: hoc enim postulat status illius æternitas. Neque ad hæc necessaria est qualitas quædam realiter ab anima distincta, vt * quidam voluerunt; sed sufficit nouus quidam modus vnionis, seu nouus modus informandi ex parte animæ & Temperamenti, & noua ratio recipiendi ex parte corporis. Nec obest, quòd anima nunc tota seipsa informet corpus quantum potest, nec possit perfectiùs informare vel viuificare; absurdumque videri, hominem essentialiter perfectiorem esse post resurrectionem quàm modò sit: nam etsi anima seipsa tota, & quantum potest naturali virtute, corpus suum informet; non tamen quantum diuina virtus sese extendit: potest enim etiam alio modo se tota illud informare, ita vt duplici vinculo cum corpore sit colligata, naturali nempe & supernaturali. Non est quoque absurdum, hominem esse quodammodo perfectiorem post resurrectionem: non quòd anima vel corpus essentialiter perfectiora futura sint; sed vnio erit perfectior, vnde & ipsum corpus perfectiùs viuificabitur.

** Capreolus, Paludanus, Richardus à S. Victore.*

3. *Status naturæ reparatæ.*

6. Tertius status est medius; eoque pluribus indiget, quo maiora impedimenta in ipsis corporibus morti adiudicatis inueniuntur; ipsique animæ tantum negotij facessunt, vt multis passionibus irretita, non iam libertate sua omnino donata sit, sed velut ergastulo inclusa, vel densis veprium dumetis immersa, sine cruentis pungentium spinarum aculeis sese mouere vix, ac ne vix quidem, possit. His curandis opportunè veniunt virtutum habitus, frequens diuinæ visitationis, illustrationum, excitationum, auxiliorumque cælestium influxus, & maximè Omnipotentis manus protectio, ne concupiscentiæ flamma, virtutum seueritate veluti quibusdam cineribus conclusa, fomitem sæpius exerat; quo animus totus conflagret, & de eius salute conclametur. Sed hæc non nisi longo labore obtineri possunt. Iuuat verò quamplurimùm naturæ compositæ moderatio, ipsumque Temperamentum; quod vel ferocientis naturæ impetus excludit; vel molliores affectionum motus constantia sua frenat & cohibet.

CAPVT XI.

Valetudinem corporis, animiq́ sanitatem, magno præsidio esse studioso PERFECTIONIS. *Quid Temperamentum, & eius partes.*

7. COMPONITVR namque corpus humanum ex quatuor elementis, vti eleganter Augustinus libro de spiritu & anima describit. *Humanum* (inquit) *corpus ex quatuor elementis compositum est; sed in carne & ossibus maximè terra apparet, propter terrenam soliditatem. Aqua in humoribus, aër continetur in pulmone; idcirco semper in motu est, quia ventilabrum cordis est, ne nimio calore consumatur cor, & dissoluatur. Sedes ignis est in corde; & ideo inferiùs est latum, & superiùs acutum, quam formam ignis retinet. Quædam vis ignea aëre temperata à corde ad cerebrum ascendit, tamquam in cælum corporis nostri; ibique purificata & colata, per oculos, aures, nares, ceteraq́ instrumenta sensuum foras progreditur, & contactu exteriorum formata quinque sensus corporis facit, visum videlicet, auditum, gustum, odoratum, & tactum: qui tangendi sensus ab anteriori parte cerebri ad posteriorem transiens, & inde per ceruicem ac medullam spinæ descendens, per totum corpus diffunditur.* Hæc & plura Augustinus, quibus docere nititur, humanum corpus ex quatuor elementis conflari, & singulas partes prædominantis alicuius elementi vim naturamque continere. Et quamuis elementorum formæ in eo reipsa non conspiciantur, virtute tamen continentur; & maximè per principes qualitates, quibus elementa singula operationes suas exercent. Ignis est calidus & siccus: aër eidem vicinior, aliquid de eodem participans, calidus est, & humidus: aqua vicissim humida & frigida: terra denique frigida & sicca. En ergo in vniuersum quatuor principes qualitates, calor, siccitas, humiditas, & frigus. Hæ perrarò qualitates vsquequaque, sæpius autem quodammodo pares confluunt; nempe mediocritate quadam, quæ non vtique indiuidua, verùm latitudine definita limitibus coërcetur, in quorum ambitu mixtio continetur. Hos autem vltra citraque interitus est, atque dissipatio. Quæ itaque intra mediocritatis huius limites inciderit principum qualitatum concursio, vt mixtionem, sic & continuò Temperamentum gignit. Est autem Temperamentum, non ipsa mixtio, sed mixtionis ratio; poteritque id *earum quæ in mixtis elementis sunt principum qualitatum harmonia & concentus definiri.* Quocirca Temperamentum concentus quidam est quatuor principum qualitatum ex omnium elementorum permixtione. Harum quatuor naturarum cùm æquales

Aug. lib. de spiritu & anima, cap. 33.

Corpus humanum componi ex quatuor elementis.

Qualitates primæ quatuor.

Temperamentum quid.

æquales vires in vnum coierint, & calidi, frigidi, humidi, ſiccique pares ſint portiones; temperies illa conficietur, quam Temperatum iuſtumque Temperamentum dixere, ceterorum normam & regulam: quodcumque autem ab hoc deſciſcit, & diſparibus inter ſe elementorum viribus continetur, intemperatum immoderatumque appellatur, & intemperies. In ea diſpari copulatione fit, vt vnum reliquis tribus excellat, aut ad ſummū duo præ alijs, numquam autem tria dominentur.

8. Quia verò de varietate Temperamentorum agimus, quæ Deus in ſingulis molitur; totque Temperamentorum differentiæ ſunt, quot hominum facies: attexam quæ hac de re Ioannes Farnelius, doctiſſimus medicus, ſcribit. Cùm quatuor (ait) ſint ex quibus Temperamentum abſolutè conficitur, ſingulorum exuperatione *ſimplices quatuor creantur Temperaturæ. Calida* quidem, in qua calor frigori antecellit, humoris autem & ſiccitatis æqualitas eſt: *frigida*, in qua frigus vincit & dominatur: *humida*, cuius humor primas obtinet: *ſicca*, vbi humore ſiccitas potentior eſt, paribus ijs, quæ in altera oppoſitione ſunt, contrarijs. *Quatuor ſunt & coniugatæ Temperaturæ*, quæ duorum ſimplícium exuperantia proceſſerunt, ſeque extulerunt. Hæ duæ cùm ſint

Lib. 3 de Temperam. c. 3.
Simplicia quatuor Temperamenta: Calidum, Frigidum, Humidum, Siccum.
Coniugata Temperamenta quatuor.

» oppoſitiones limitibus quatuor concluſæ, neque vnius vtraque extre-
» mitas poſſit principatum obtinere, fit neceſſariò, vt non plures duabus
» excellant. Eodem rationis momento fit, *vt quamuis ſex percenſeantur*
» *coniugationes, illarum tamen quatuor dumtaxat poſſit natura conſiſtere. Hæ*
» *ſunt calida & humida, frigida & ſicca; calida & ſicca, frigida & humida:* quas
coniugatas aut compoſitas Temperaturas appellant. *Nouem igitur ſunt*
Temperamentorum genera, quæ permixtionis differentias & proprietates
conſequuntur. *Vnum temperatiſſimum*, quod paribus omnium confla-
» tum portionibus, medium poſſidet. *Intemperata octo. Eorum ſimplicia*
» *quatuor, totidem compoſita. Temperatiſſimum, quod eſt indiuiduum, & omnis*
» *expers latitudinis, quaſi punctum intelligitur*. Cetera quæ ab hoc receſſe-
» runt, longè lateque fuſa ſunt: neque enim, quæ calida dicimus, omnia
» pari à mediocritate interuallo diſtant, neque aut frigida, aut humida,
» aut ſicca vno eodemque omnia ſunt ordine. *In compoſitis porrò euincen-*
» *tium qualitatum aut par eſt receſſus, aut alias alia antecellit*. Etenim calidum
» ſiccumque appellamus, ſiue illa pari ſuo ordine, ſiue calidum ſicco præ-
» ſtat, ſiue contrà ſiccum calido. *Vnde intelligitur, octo cùm ſint imparia*
» *Temperamenta, vniuſcuiuſque tamen ex maiore minoreq́; receſſu innumera-*
» *bilia fieri diſcrimina*, ex quorum proprietatibus, tum ſimilium partium,
» tum infinitæ corporum naturæ & proprietates conſurgunt atque con-
» ſtant. Hæc ille. Ex quibus omnibus, quid Temperamentum, quotque eius ſint genera ac partes, ſat euidenter declaratur.

Innumeras eſſe Temperamentorum differentias.

9. Quod eò maximè ſpectat, vt intelligamus, pro cuiuſque Temperamenti

ramenti præstantia cuique naturæ condicionem meliorem ac præstantiorem emicare: quod non tantùm de vniuersa corporis harmonia, sed & de singulis, vt cerebro, corde, hepate, ceterisque compositi partibus intelligendum venit. Hinc ille memoria, iste iudicio præstat; hic ingenio celeri, leuiori iudicio; generosus vnus, alius timidus, aridus, tardus, tenax, hebes, & obtusus: qui morbi animi sunt, & defectus grauissimi.

Boni Temperamenti Vtilitates in ordine ad Perfectionis studium. 1.

Accedit quòd qualitatis alicuius primariæ excessus aut defectus sufficiat ad soluendam harmoniam; quorum altero qui laborat, aduersam valetudinem subinde tota vita sua patietur, morbosque ex vno fonte innumerabiles, qui sæpe ante ætatem cum morte commutantur. Quod ita declarat Augustinus: *Corpus constat ex officialibus membris, officialia ex consimilibus, consimilia ex humoribus, humores ex cibis, cibi ex elementis; & nihil horum est anima, sed in istis tamquam in organo agit, & per hoc corpori consulit, & huic vitæ in qua factus est homo in animam viuentem. Quæ cùm temperata & ordinata fuerint, & congruunt viuificationi, numquam recedit anima: si verò distemperata & confusa fuerint, inuita recedit anima, secum trahens omnia, sensum, imaginationem, rationem, intellectum, intelligentiam, concupiscibilitatem, & irascibilitatem.* Hanc harmoniæ inæqualitatem aut solutionem, vnde morborum omnium genera orta sunt, attribuunt Poëtæ Pandoræ; cui cùm à Ioue pyxis cum omnibus morbis inclusis commissa fuisset, ea aperta, infinitæ illæ morborum quos experimur, & aliorum species in orbem inuectæ sparsæque sunt. Nos Pandoram Euam vel Adamum arbitramur, cui Deus naturam integram largitus fuerat: & si ea clausa cum gratia originali à transgressione illæsa mansisset, non eæ pestes, morbi innumerabiles, mors denique in orbem inducta fuissent. Hinc Temperamentum magnam cladem passum, totaque corporis fabrica succussionem ingentem accepit: pauci sunt qui non illico intereant; plurimi qui diutissime laborant; qui optimè habeant, perpaucos reperies.

2. Morborum origo.

Lib. de spiritu & anima, c. 15.

Poëtarum opinio de origine morborum. Natalis Comes Mythologiæ lib. 4. cap. 6.

10. Ceterùm nemo prosperæ valetudinis ponderat pretium, nisi qui morbis exercetur: & inter summa naturæ beneficia hoc vnum tanti esse debet, vt ex hoc tota vitæ degendæ recteque agendi ratio dependeat. Quid aget, qui vel capite, vel pectore, aut stomachi intemperie, vel hepatis, laborat? Omitto morborum genera contagiosa, anginam item, ardentes febres, lethargum, paralysim, catalepsim, apoplexiam, pleuritidem, stranguriam, & si quæ aliæ sint vel letales vel intolerabiles corporis humani affectiones: vnius solius dentis dolor, aut extremi digiti affecti sensus, sic mentem animumque totum hominis rapit, vt nec legere, nec cogitare, nec vlli rei intendere lubeat: omnes hominis vires & sensus in hoc coëunt, vt dolor pellatur; sin minùs, illic hæret cogitatio, mens, oculi, manus, & quidquid in homine est. Magnus thesaurus est

3. Vtilitas boni Temperamenti sanitas. Eius commendatio.

 sanitatis.

Eccli. 30. ſanitatis. Ideo Sapiens, *Melior eſt*, ait, *pauper ſanus, & fortis viribus; quàm diues imbecillis, & flagellatus malitia.* Ecquid enim proderunt ei diuitiæ, ſi eis nec ad ſplendorem, nec ad luxum, nec ad ciborum delectationem vti, per valetudinem, poſſit? Pauper verò fruſto panis ac frigida ſatiatus in lætitiam proſilit, vtiliter laborat, & virium ſuarum fructum percipit. *Prou. 16.* Hinc Salomon, *Dulcedo*, inquit, *animæ, ſanitas oſſium:* ſicut etiam acerbitas animæ, infirmitas oſſium. Non eſt dolor ſuper oſſium dolores; quibus afflictis, nec ſtare, nec iacere cuiquam fas eſt. Dicam *Eccli. 30.* amplius cum Eccleſiaſtico: *Melior eſt mors, quàm vita amara; & requies æterna, quàm languor perſeuerans.*

11. In pœnam peccatorum veniunt illa quidem, & nobis repugnantibus; ſed obnoxia corpora noſtra infinitis ægrotationibus, varia ex illis tormenta ſuſtinere coguntur: licet, ſi poſſint, iubeantur ea propellere. *Eccli. 38.* *Da locum medico*, ait Eccleſiaſticus; *etenim illum Dominus creauit: & non diſcedat à te, quia opera eius ſunt neceſſaria.* *Ibidem.* Item: *Honora medicum propter neceſſitatem; etenim illum creauit Altiſſimus. A Deo eſt enim omnis medela.* *Ibidem.* Et: *Altiſsimus creauit de terra medicamenta, & vir prudens non abhorrebit illa. Nónne à ligno indulcata eſt aqua amara? Vnguentarius faciet pigmenta ſuauitatis, & vnctiones conficiet ſanitatis.* His conficitur, malum eſſe quoddam & pœnam, animi corporiſque ægritudines, Deóque auctore eſſe propulſandas: quòd ingentia bona impediant, quæ quiſque vel Deo deferret, vel ſibi vel bono communi impenderet ſanus & valens. Hinc Chriſtus (auctore D. Thoma) etſi admiſerit omnes defectus naturales corporis toti naturæ humanæ cõmunes, vt ſunt fames, ſitis, dolores, mors, quos Damaſcenus vocat naturales & indetrectabiles paſſiones; nullum tamen morbum aſſumpſit, nec aliquem defectum omni homini non communem: quia hi non conducebant ad redemptionem generis humani, imò impediuiſſent plurimùm. Indecens enim fuiſſet, Redemptorem hominum eſſe claudum, cæcum, obſtipum, aut lepra, morbóve comitiali, aut tabe ſeu pulmonum exulceratione deformari; ſicut & defectibus alijs, qui repugnant ſcientiæ & gratiæ, vt ſunt ignorantia, pronitas ad malum, difficultas ad bonum. Accedit quòd ægros ſanaturus venerat; illique illico fuiſſet exprobratum, Medice, cura teipſum. Quo ſuo exemplo oſtendit, ſanitatem bonum eſſe peroptandum, ſtudioſeque procurandum ac conſeruandum, ad functiones, quas ipſe, Apoſtoli, alijque qui de alijs bene mereri poſſunt, ac ſtudio PERFECTIONIS incumbere, ex inſtituto ſuſceperunt, exequendas.

Chriſtum morbos non aſſumpſiſſe cum humana natura. D. Thom 3 p. q. 14. a. 3. & 4.

Morborum incommoda.

Hinc omnibus Religionum Patriarchis ſumma ac prima cura fuit, in Regula ſtatuere, vt infirmorum habeatur ratio maxima, quia Ordinis officia ſine ſanitate exerceri nequeunt; &, dum morbo laborant, alios ſubſtitui, qui eorum munia obeant; imò verò, cùm communi-

tati

tati ſeruire ipſi debeant, aliquot alios, qui eiſdem ſeruiant, non ſine ordinis domeſtici incommodo conſtitui neceſſe eſt: quod etſi graue non ſit ad breue tempus, graue tamen eſſe, ſi plures, & quidem diutius, detineantur ægritudine, nemo eſt qui non videat. Quid Eccleſiæ vtilitatis acceſſiſſet, ſi Apoſtoli, Apoſtoliciq; viri, podagra detenti domi, totos Apoſtolici muneris annos conſumpſiſſent? Quid ſi Eccleſiaſtici Politicive Superiores lectis affigantur, quæ negotiorum executio? quod regimen publicæ rei? quis ius dicet? quis nefarios ſcelere prohibebit? quis innocentes tuebitur? quis de diuinis rebus verba faciet? quis ignorantes docebit? quis Sacramentorum adminiſtrationi vacabit? & ſi infirmi ſint vulgares, qua occaſione docebuntur? quis eos malè agentes corripiet? quî ad PERFECTIONEM promouebuntur?

12. Ne fallamini inſipientes corde, pœnitentiæ tempus in extrema vitę reiicientes; quaſi tunc in manu veſtra futurum ſit, vt miſericordiam Dei fugientẽ aſſequamini, & prætermiſſas bene gerendi occaſiones reſarciatis feruoris abundantia. Ne fallamini: Deum hoc eſt tentare. Quæritis miraculum vbi neceſſe non eſt: vt enim gratiam tibi apud Deum concilies, promendæ lacrymæ ſunt, intimo & extremo dolore, inconcuſſo bene viuendi propoſito; opus eſt igne, flammis, incendio, ad tot turpitudines vitæ præteritæ conſumendas; opus lacrymarum flumine, contritione inſtar ingentis Oceani, ad tot maculas eluendas; opus oratione, ac deuotionis ſenſu, ad Dei gratiam conciliandam. Vbi hæc omnia reperies? venient è cælo? non venient; nam & tu meritus id non es: & ex te ea prouocare non poteris; quia ad hoc natura eo rerum ſtatu non eſt idonea; & tibi tunc cogitandum de bonorum diſpoſitione, de prole, de ſanitate. Quid? ſi minima in oculo ſtipula ſic te cruciat, vt nec dormire, nec de tuis rebus cogitare, nec quidquam agere valeas; quid ſperandum tibi eſt, cùm dolorum ſegetes, anguſtiarum torrentes, afflictionum gurgites, & flumina tentationum animum tuum occupabunt? Solent ſimpliciores, cùm audiunt Prælatum aliquem magni nominis, aut Concionatorem excellentem, aliúmve opinione ſanctitatis florentem infirmari, de illo ita ſtatuere: O beatum virum! à Deo amici Dei viſitantur; & huius quanta patientia! quàm ardenter Dei conſpectum deſiderat! quàm immenſa orationum in cælos tela detorquet! quas flammas emittit! haud dubiè eius in cęlo tota conuerſatio eſt: ſpe ac deſiderio Deum videt, Deum complectitur. Quid cogitatis, inſani homines? & hi mortales ſunt: ſanctitas præceſſiſſe debuit: ſani orare potuerunt; non ſani, nihil aliud præſtare, quàm dolores ferre patienter: & quis adhuc ad hæc idoneus? Non omnes Iobi, non omnes Tobiæ, non omnes Dauides. Loquatur de ſanctis hiſce aliquis, & quid ſentiat vobis renuntiet. Fallimini opinione, viri boni: & nos mortales

Vulgi falſa opinio de infirmis ſanctis.

mortales sumus, & multis miserijs obnoxij. Fateor ingenuè quod est: orare mihi quidem adiacet, perficere autem non valeo: omnia dura, omnia sicca, *sicut terra sine aqua*; *caput meum doleo, caput meum doleo:* meditari non possum; obruor sopore & grauedine: quid agam? premor vndique doloribus, nihil præterea in mentem venit; & si quid asciscam, illud illico velut clauus clauis innumeris pellitur. *Dum tempus habetis, operamini bonum. Memento*, homo, *Creatoris tui in diebus iuuentutis tuæ, antequam veniat tempus afflictionis, & appropinquent anni de quibus dicas, Non mihi placent: antequam tenebrescat sol, & lumen, & luna, & stellæ, & reuertantur nubes post pluuiam; quando commouebuntur custodes domus, & nutabunt viri fortissimi, & otiosæ erunt molentes in minuto numero, & tenebrescent videntes per foramina, & claudent ostia in platea, in humilitate vocis molentis, & consurgent ad vocem volucris, & obsurdescent omnes filiæ carminis; excelsa quoque timebunt & formidabunt in via, florebit amygdalus, impinguabitur locusta, & dissipabitur capparis; quoniam ibit homo in domum æternitatis suæ, & circuibunt in platea plangentes: antequam rumpatur funiculus argenteus, & recurrat vitta aurea, & conteratur hydria super fontem, & confringatur rota super cisternam, & reuertatur puluis in terram suam, vnde erat, & spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum.* Hæc Ecclesiastes. Pluit hactenus ros de cęlo salutaris, nubes copiosam gratię pluuiam demiserunt. In extremis reuertuntur nubes; protectionis auxilijque tempus expirat; quia vti noluisti, dum vltro tibi occasiones offerebantur: nunc ad auctorem suum hæ nubes redeunt. Sol & illustrationes mentis, exempla Sanctorum, lucere desinunt; Ecclesiæ cessant exhortationes; venit tempus afflictionis: quid facies? quid orabis? *nam quid oremus, sicut oportet, nescimus; spiritus* autem *postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Sed *flauit spiritus, & fluxerunt aquæ*. Et hæc quidem hactenus. Fugit Auster, surrexit Aquilo: *ante faciem frigoris eius quis sustinebit?* appropinquauerunt *anni de quibus dicas, Non mihi placent:* tristes illi sunt, & incipiunt à senectute, & sensim peiores appropinquant, cùm in fine vitę, tum in decessu ex hoc corpore; idcirco Sapiens, *Quodcumque*, ait, *facere potest manus tua, instanter operare; quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quò tu properas*. Illi sanè dies sunt qui non placent. Quòd si viri eximiæ sanctitatis vix idonei sunt extremis illis temporibus vt sese ad Deum conuertant, de morte, de iudicio particulari, de sententia irreuocabili, de vita præterita, de æterna futura cogitent; quid faciet is, qui imparatus ad Dei tribunal vocatur? *Si iustus vix saluabitur, impius & peccator vbi parebunt?* Ex his manifestè colligitur, improuidè ac stultè etiam eos agere, qui salutis ac PERFECTIONIS procurandæ studium in decliuem ætatem reijciunt: illa enim quæ in corpore malè sano incommoda atque impedimenta PERFECTIONIS, eadem & fortè

Psal. 142. *3. Reg. 4.* *Gal. 6.* *Sententia Ecclesiastæ de senectute minus apta Perfectioni.* *Ecclæ. 12.* *Rom. 8.* *Psal. 147.* *Ibidem.* *Ecclæ. 9.* *1. Petri 4.*

fortè maiora in ſenili reperiuntur: eſt enim ſenectus morbus conti-
nuus, & malorum omnium congeries, in qua homines ſolent de ſani-
tate ſeruanda corporis, non animi, cogitare. Ideo Spiritus ſanctus
hortatur nos, *memores ſimus Creatoris noſtri in diebus iuuentutis noſtræ.*
Quæ ætas non ea ſola accipienda eſt, quæ adoleſcentiam ſequitur vſ-
que ad virilem, aut (vt medici quidam dicunt) vſque ad trigeſimum-
quintum annum, ſed ad conſiſtentiam ipſam, (vt vocant) id eſt, ad an-
num quadrageſimum-quintum, qui eſt ſenectutis initium: nam ad hoc
vſque tempus durant pleriſque vires haudquaquam labefactatæ, neque
hebeſcunt ſenſus, neque cani abunde proueniunt. Rationes verò, cur *Senectutem minus eſſe idoneam ad Perfectionem quærendam & aſſequendam. Ratio 1.*
ineptè in id temporis ſalutis ac PERFECTIONIS negotium reij-
ciamus, Eccleſiaſtes multas commemorat: quarum prima eſt, quam
hactenus pertractauimus; nempe ad PERFECTIONEM acquiren-
dam opus eſſe viribus, ſanitate, atque alacritate; quibus deſideratis, (vt
perſæpe in ſenibus) aliò animus facilè abripitur, & in occurrentium ca-
lamitatum expulſionem totus immergitur: idcirco dicit Eccleſiaſtes,
Antequam veniat tempus afflictionis, & appropinquent anni de quibus dicas,
Non mihi placent. De his ſenibus Eccleſiaſtes loquitur potiſſimùm, qui
virtutis ſtadium numquam ingreſſi, ſeſe vincere, cupiditates domare,
virtutum ſubſidia conſequi neglexerunt. Hi ætate ingraueſcente diſ- *Cic. lib. de ſenectute.*
plicent ſibi, diſplicent & alijs, quòd moroſi, quòd auari, quòd iracundi,
quòd morbis varijs oppreſſi perſæpe querantur, ſibi graues, alijs mo-
leſti. Senectutis ergo anni, afflictionis anni ſunt, qui parum placent, &
eo maximè diſplicere debent, quòd minùs idonei homines ordinariè
ſint ad ea munia peragenda, quæ florente ętate leui labore conſequi po-
tuerunt. Altera ratio eſt, quòd in ſenectute ſenſus hominis ſenſim de- 2.
bilitentur, planeque deficiant: ideo ait, *Antequam tenebreſcat ſol, & lu-*
men, & luna, & ſtellæ; tum etenim viſus debilitari incipit, ſic vt effugiat
lucem, neque lumen ſuſtinere poſſit, eique ſolis, lunæ, ac ſiderum
ſplendor obtenebreſcere videatur. Deinde, quòd ea ætate homines de- 3.
ſtillationibus obruantur: ideo ſubiungit, *Antequam reuertantur nubes*
poſt pluuiam; ſignificant enim hæc verba perpetuas & admodum inco-
ctiles ſenum coryzas, quæ ex vaporibus crudis ob defectum caloris ena-
tis, à ventre aut corpore toto aſcendentibus, primùm quidem vt nubes
coaleſcunt, & caput, velut partem microcoſmi ſupremam, occupant;
deinde denſatæ abeunt in deſtillationes, & vt quædam pluuiæ diffun-
duntur. Cùm ergo aſſiduis quis conflictatur catarrhis, ſucceſſiuis vici-
bus nunc citra intermiſſionem deſtillantibus, nunc recrudeſcentibus;
perinde eſt ac cùm mox à pluuia aliæ nubes reuertuntur. Quarta ratio 4.
eſt, quòd alij quoque ſenſus & mouendi inſtrumenta fatiſcant: quod
verbis ſequentibus indicat, quando ait, *Commouebuntur cuſtodes domus, &*

nutabunt viri fortißimi. Sensus corporis custodes dicuntur, quòd ad custodiam dati sint, vt accedentibus noxijs, ijsque perceptis, animal sibi cauere possit. *Viri fortißimi* pulchra metaphora dicuntur vis motiua cum suis instrumentis, quibus ad actiones corporales ac translationem vtimur. Commouentur ergo custodes domus, & nutant viri fortissimi, cùm sensus debilitantur, & crura & tibiæ præ corporis pondere vacillant: nimirum exhaustis spiritibus animalibus, cerebroque refrigerato atque exsiccato secundùm substantiam, multis verò excrementis obruto, necesse est exiguum facultatis influere in neruos & sensuum organa, atque ea per sese fieri inepta, & ad facultatem excipiendam, & ad exequenda sua munia. Hinc senes facilè vacillant, & scipione vti coguntur. Quinta accedit ratio, totius corporis debilitas ex defectu alimenti,

5. quòd commodè ingeri non possit; aut, si ingeratur, id certè vel molestè & sæpe nauseabundè fiat, vel satis comminutum ac mansum non erit: ait enim, *Et otiosæ erunt molentes in minuto numero*. Nascimur sine dentibus, & propè sine ijs morimur: excidunt enim, & quidem magno hominis damno, ob radicis siccitatem, & alueorum, quibus clauorum more infixi sunt, amplitudinem, quam defectus nutritionis maxillæ & dentium adfert. Molentes, ijque in paruo numero, ergo otiantur, quòd senes edendi cupiditate imminuta tenuiùs edunt; idque ipsis molestum

6. est, quòd dentibus careant, quibus cibum masticent. Addit sextam rationem, de sensibus particularibus visus & auditus, & faciei immutatione. *Tenebrescunt* enim *videntes per foramina*; hoc est, facultas videndi per oculos: *& obsurdescunt filiæ carminis*; hoc est, facultates illæ, quæ carmen & voces excipiunt. His facultatibus deficientibus, vita pæne morte

Tobiæ 5. acerbior est; hinc Tobias: *Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo, & lumen cæli non video?* De facie verò, *Claudent*, inquit, *ostia in platea, in humilitate vocis molentis*. Facies platea dicitur humani corporis, quòd in ea sensus omnes, vt ostia ad plateam, statuantur, resideant, & omnis ad sentientem animam negotiatio pertinens ad eam confluat, omnes denique cordis affectus declaret, prodat lætitiam & dolores, spem ac ti-

Eccli. 13. morem. Hinc Sapiens: *Cor hominis immutat faciem illius, siue in bona, siue in mala*. Senibus verò vox est humilis, ob debilitatem facultatis quæ mouet thoracem, quia ad edendam vocem vehementi exspiratione opus est. *Claudunt* ergo senes *ostia in platea, in humilitate vocis molentis*; hoc est, ob humilitatem vocis, quam exspirationis defectus parit: & faciunt *rari molentes*; inopia namque dentium, articulatam pronuntiationem, (quæ magna quoque calamitas est) vehementer impedit. Ad-

7. damus septimam rationem ex defectu somni, qui, facultatibus fatigatis, æquè pæne necessarius est ac cibus. Hoc est quod sequitur, *Et consurgent ad vocem volucris*. De galli cantu intelligit, qui ternis horis cantare solet,

ſolet, quaſi motus cæli rationem habeat, & vigilantibus pro horologio ſit. Senes ergo peruigilium patiuntur, ob cerebri ſiccitatem, & non rarò ob dolores aſſiduos, cùm aliarum partium, tum vel maximè viarum vrinæ, & ob deſtillationes & exſcreatum; adeò vt illis nulla requies ſit, & ad res deinde agendas vires & animus deficiat. Sed quis tãdem finis? finis hominis interitus, atque vitæ huius mortalis occaſus; cuius ſigna hæc ſequuntur: *Excelſa quoque timebunt in via*; hoc eſt, mens terrebitur, vbi ſe homo in mortem præcipitem ire ſentiet. Alterum ſignum: *Florebit amygdalus*. Hæc enim arbor omnium citiſſimè caneſcit. Caneſcent ergo caput ac barba, vt floreſcens amygdalus, redundantia pituitæ in alimento proprio partium circa cutem, propter debilitatem natiui caloris. Tertium ſignum: *Impinguabitur locuſta*. Hoc de marina intellige, quæ teſtacea cruſta tegitur. Creſcet ergo calloſa durities in cute, quaſi locuſtæ teſta fiat. *Diſſipabitur capparis*, quod quartum ſignum eſt. Capparis (medicis auctoribus) Venerem inſtigat. Diſſipatur, morte appetente, potentia appetitúſque generandi. Emoriente verò virtute illa, ſequitur homini denuntiari quod addit, *Ibit homo in domum æternitatis ſuæ*, ſiue domus illa felicitatem ſiue extremam miſeriam contineat: vnuſquiſque enim à morte recipiet *prout geſſit in corpore, ſiue bonum, ſiue malum*. Extincto homine, prodit ſepulturæ pompa. *Et circuibunt* (inquit) in *platea plangentes*. Sextum mortis indicium eſt membrorum diſſolutio, deſignata per verba ſequentia: *Antequam rumpatur funiculus argenteus, & recurrat vitta aurea. Funiculus argenteus*, ſpinalis medulla, ob neruorum, qui ex ea oriuntur, diſtributionem, funiculus; ob colorem verò, quo imbuitur, argenteus nominatur. *Vitta aurea* alio nomine meninx dicitur; eſtque tenue cerebri inuolucrum, quod totum cerebrum inſtar vittæ ambit, conſtringit, & continet. Aurea dicitur non à colore, ſed ab vtilitate & pretio. Adhæret indiſſolubiliter cerebro: quo exſiccato & imminuto, (vt in ſenibus) contrahitur & corrugatur. Hinc fit vt & cerebrum & meninx à cranio recurrat & ſeiungatur: areſcitque cerebrum, & præ eius ariditate excidunt pili, vt herbæ arefacta terra, fitque caluitium. Porrò ad neruos pertinet ſenſus volũtarius, qui peruadit obitque muſculos. Cùm laxantur quaſi funes diſrupti, euenit, membra, in quæ ſubeunt, reſolui, ac paralyſim pati, ſiue linguam, ſiue brachium, ſiue crus. Dicit ergo, *Antequam rumpatur funiculus argenteus*; hoc eſt, antequam fias paralyticus: *& recurrat vitta aurea*; & contrahatur meninx cum cerebro, & fiat caluitium. Vnum ſupereſt: *Antequam* (inquit) *conteratur hydria ſuper fontem, & confringatur rota ſuper ciſternam*. Hæc ad vrinam pertinent: quæ primùm quidem exit guttatim, quaſi ex rupta hydria, cùm ſenes laborant ſtranguria; deinde ſupprimitur omnino, quaſi *rota confracta ſuper ciſternam*,

Signa mortis in ſenibus. 1. 2. 3. 4. *Auicenna libro 2. cap. 102.* *2. Cor. 5.* 5. 6. 7.

nam, fitque iſchuria. Tum nihil ſupereſt, niſi *vt reuertatur puluis in terram ſuam, & redeat ſpiritus ad Deum, qui dedit illum*. Hæc Eccleſiaſtæ inſignis concio, quæ appoſitiſſimis metaphoris nos hortatur ne ſtudium ſalutis noſtræ ac PERFECTIONIS amorem in ſenectutis tempus differamus, ineptum omnino, nulloque modo idoneum. Sed *memento*, ait, *Creatoris tui:* vt ea facias, propter quæ te creauit; & ea complectaris, quibus ad finem, ad quem te deſtinauit, peruenias: alioqui, ſi in iuuentute tua Creatoris tui immemor fueris, contingere poterit, vt nec in ſenectute, nec in morte, vel illius vel etiam tui memor ſis. *Percutitur* enim (vt verè Auguſtinus) *hac animaduerſione peccator, vt moriens obliuiſcatur ſui, qui, dum viueret, oblitus eſt Dei*.

Serm. 3. de Innocent. qui eſt 72. in append. de diuerſis.

Morbos animi obeſſe ſtudio Perfectionis.

13. Venio ad ægritudines animi; qui defectus longè ineptiores reddunt homines virtuti capeſſendæ, quàm corporales. Peruerſum hominem ac deuiũ conuertes ac reduces; ſed quid ages cum eo qui phreneſi laborat, continuaque inſania, ſtultitia mentiſque ignauia memoriam oblitterante. Ab inſano, furioſo, torpido, ac hebete quid obtinebis? Sunt & alij, qui adeò rudes & ignaui ſunt, vt iudicium nullum habeant, nihil capiant, nihil recordentur; ſtupidi vt truncus, fungis inſipidiores. Multum eſt, ſi hi cognoſcant eſſe vnum Deum, de PERFECTIONE nihil prorſus concipiunt; de quibus tamen manſuetiſſimus Dauid: *Homines & iumenta ſaluabis, Domine.* Et [a] D. Auguſtinus, deplorans hanc miſeriã, ita ſcribit D. Hieronymo: *Tam tardi nonnulli ſunt, & obliuioſi, vt ne prima quidem diſcere litterarum elementa potuerint; quidam verò tantæ ſunt fatuitatis, vt non multum à pecoribus differant, quos moriones vulgò vocant*. Magna ergo ad res gerendas, & ad profectum virtutum, temperati ſanique corporis acceſſio eſt: theſaurus incomparabilis ſanitatis, quo tamquam ſubiecto fundamento magna Deus in ijs, quos illo beneficio dignatur, operatur. Sed hactenus de Temperamentis morbiſque; nunc de Complexione ac animi vitijs aliquid dicendum; quod ab inſtituto noſtro alienum non eſſe, & probat argumentũ quod tractamus, & officij mei ratio, cui, Superiorum præſcripto, cùm rerum ſpiritualium præfectura, tum infirmorum curandorum prouincia demandata eſt.

Pſal. 35.
a Epiſt. 28. ad Hieronymum, poſt medium.

CAPVT XII.

Mores animi ſequi Temperamentum corporis.

Complexionem bonam virtutis functionibus ſuffragari.

14. ALTERVM quod vehementer virtutis functionibus ſuffragatur, eſt Complexio corporis, ſeu humorum coalitio, cum Temperie ac proportione debita. Aliud enim Temperamentum ſeu ratio mixtionis principum qualitatum, aliud Complexio cuiuſque naturæ. Nam ab elementorum viribus primò ſimilium partium, ex his deinde corporis vniuerſi compoſitionem ductam eſſe conſtat ex dictis: vt proinde palàm eſſe debeat, omnem Temperamenti rationem elemētis primùm deberi, his acceptam referri, in ijs ſitam eſſe, vt quæ totius ſubſtantiam compleuerint; humores verò, ipſaque ſuperuacanea, corporis partes non eſſe, ſed ab eo dumtaxat cōtineri, ideoque ab Hippocrate contenta nuncupari; quare nullum Temperamentum dici debere bilioſum, ſanguineum, pituitoſum, melancholicum, ſed hęc nomina ab humoribus in corpore contentis deriuari.

Complexionis & Temperamenti differentia.

Et Propheta quidem Iob, declarans ſuam ac generis humani plaſmationem, ait: *Memento, quaſo, quòd ſicut lutum feceris me. Nónne ſicut lac mulſiſti me, & ſicut caſeum me coagulaſti? pelle & carnibus veſtiſti me, oſſibus & neruis compegiſti me.* In luto duo ſunt, puluis & aqua: lac quoque ex ſanguine fit, ſicut & caro ex ſanguine generatur. Mixto coagulo denſatur lac, &, dum comprimitur, ſerum erumpit. Comparatur ergo formatio hominis primùm mixtioni aquæ cum puluere, ex quo lutum conficitur; vnde Scriptura dicit: *Formauit hominem de limo terræ.* Deinde comparatur profuſioni ſeu aſperſioni lactis ſuper materia aridiori; & hæc formatio reſpondet priori pulueris & aquæ mixtioni, ne dicamus ad propagationem ſeu generationem hanc mulſionem pertinere, propter deciſionem ſeminis paterni ex omnibus corporis partibus; & coagulari, propter conſtipationem & congelationem materiæ quam mater ſubminiſtrat: etſi non pauci de propagatione ac generatione litteram hanc interpretentur. Caſeus formatus repræſentat hominis corpus, cum omnibus ſuis partibus: quare humores adiuncti & expreſſi deſignant humani corporis humores, ab ipſo corpore ſeparabiles; per aquam pituitam, per lac ſanguinem, per ſerum flauam & atram bilem, ob coaguli mixti acerbitatem & acrimoniam. Et quia corpus humanum ex elementorum mixtione conflatum eſt, humores ab ijs expreſſi naturam & condicionem elementorum ſortiuntur. Melancholia terræ comparatur, vtpote frigida & ſicca: phlegma, ſeu pituita, aquæ quàm ſimillima eſt, quia humida & frigida: ſanguis eſt calidus & humidus;

Iob 10.

Formationis hominis deſcriptio.

Gen. 2.

In humoribus elementorum qualitates expreſſa.

 idcirco

idcirco aërei sunt sanguinei, & sæpe per aërem volare videntur, aut à terra sublimes discurrere, vix extremo pede solum attingentes; quod de Camilla refert Virgilius:

Virg. 7. Æneid. in fine.

Hos super aduenit Volsca de gente Camilla,
Agmen agens equitum, & florentes ære cateruas,
Bellatrix. non illa colo calathisve Mineruæ
Femineas assueta manus, sed prœlia virgo
Dura pati, cursuq; pedum præuertere ventos.
Illa vel intactæ segetis per summa volaret
Gramina, nec teneras cursu læsisset aristas;
Vel mare per medium, fluctu suspensa tumenti,
Ferret iter, celeres nec tingeret æquore plantas.

Ea natura est sanguineorum.

Condiciones variarũ Complexionum.

Sanguis inter humores corporis primas obtinet.

Auicen. 1. 1. doct. 4. c. 1.

Phlegmatici somniant non rarò, se in puteos fluuiósve prolabi; melancholici, mortuos cernere, eosdem sepeliri ac terræ mandari; biliosi seu cholerici, se carnificinam, cædes, incendia moliri. *Sanguis* inter humores principem locum obtinet: est enim spirituum, in quibus vita consistit, omnisque operatio vegetatiua, vitalis, & animalis, subiecta materia: deinde, quia sanguis temperatè calidus & humidus conformior est vitæ principijs: denique ampliùs nutrit & restaurat id quod exhaustum ac deperditum est, quàm ceteri humores. Summa, thesaurus est naturæ; quo perdito, de vita quoque actum est. Secundum probitatis locum sibi *Phlegma* vendicat, vel quia tempore necessitatis concoctione mutatur in sanguinem, ideoque nullum proprium habet receptaculum, sed cum sanguine mixtum incedit; vel quia vicinius est humido radicali, quod est veluti basis ac vitæ fundamentum. Sequitur tertia, *Cholera*, quæ naturali calori, quàm diu mensuram seruat, socia est. Vltima ac deterrima, *Melancholia*, substernitur ceteris, velut fæx & sedimentum sanguinis, elongata à principijs vitæ, inimica lætitiæ & liberalitatis, cognata senio & morti.

Secundas Pituita.

Tertias Cholera.

Quartas Melancholia.

Animi mores sequi Temperiẽ ac Complexionem corporis.

Clas. 1. titulo Quòd animi mores corporis Temperaturas sequantur.

15. En materia ac lutum, quo supremus figulus vasa præstantissima fingere voluit in honorem: quamquam & ex eadem multa contumeliæ ministerio seruiant. Hæc enim si temperata fuerint, generant ætatem floridam, venustatem morum, vrbanam conuersationem, ac vitæ socialis conformationem. Hoc ipsum Galenus, medicorum parens, multis confirmat, dicens *animam perspicaciorem reddi Temperaturæ commoderatione*. Agit verò vniuersim, tam de Temperamenti quàm de humorum Temperie, & addit: *Videmus pueros complures, ijsdem parentibus ortos, ab ijsdem præceptoribus educatos, ijsdem alimentis vsos, natura tamen quàm longissimè inter se differre*. Vnde, quæso, nisi quòd diuersæ Complexiones diuersimodè afficiant, non tantùm diuersis parentibus ortos, sed etiam

vterinos?

vterinos? quid dico? etiam geminos. Quantum diſcrimen inter Eſau & Iacob fratres, qui ex eodem patre, eadem matre, eodem pæne fuſi momento! ille piloſus, hic lenis; ille ſeuerus, hic blandus; ille ſilueſtris, hic vrbanus, & ad omnem moderationem compoſitus. Quare idem Galenus ſtatuit, *animi mores ſequi Complexionem corporis*: &, qua quiſque condicione ſit, abunde moribus & propenſione teſtari. Diſputans ergo cur aliqui vitioſi ſint, alij non item, adfert Poſſidonij ſententiam: *in nobis* ait *inteſtina quadam vitiorum ſemina & tamquam igniculos delitteſcere; nec tam nobis à vitioſis cauere, quàm vitiorum incrementum reſtinguere & coërcere eſſe opus. Non enim, vt refert Stoicorum opinio, totum extrinſecus ingruit in noſtros animos vitium, ſed plurimum in ſeipſis homines vitioſi cauſæ habent; quod extrinſecus aduenit, longè minus eſt: proinde ſanè, conſuetudine praua accedente, ſecundùm partem animæ ratione carentem praui reddimur; falſis autem opinionibus ſecundùm intellectualem partem imbuimur: ſicut dum à bonis ſincerisq; viris inſtruimur, opiniones quidem veræ ſunt, mores autem humani. At in cogitatrice animæ parte intellectio ſtultitiaq; ratione maioris minorisq; euariantes corporis Temperaturas ſequuntur: ipſæ autem Temperaturæ primam in vtero generationem, & cibum probos ſuccos parantem habent auctorem. Atque hæ mutuò ſeſe & adaugent, & fouent. Calida namque (exempli cauſa) Temperies iracundos facit; inde rurſus iracundia ingenitum calorem accendit, & igneum reddit: contrà, qui mediocri Temperatura conſtant, mediocriter quoque commoti animo, ad probos ſuccos gignendos proficiunt.* Non omittam perpulchrum diſcurſum, ad veritatis huius comprobationem, quem alibi idem auctor attexuit, adferens varias Philoſophorum opiniones, quibus probat, non modò corporum Temperiem, ſed etiam ſuccum hauſtum in materno corpore, prauamque educationem, imò climatum diuerſorum condiciones, moribus ingenerandis plurimum adferre momenti. *Porrò ex vitioſo* (ait) *corporis habitu languere animam, ac neminem ſponte eſſe malum, ſed ob prauam habitudinem corporis, & rudem educationem, ac proinde nec debere turpia vituperari, profeſſus quidem eſt Plato in Timæo: Ariſtoteles autem ſecundo de partibus animalium ipſius animæ vires materni ſanguinis ſequi Temperiem exiſtimat: qui rurſus libro de hiſtoria animalium innuit, inſtrumentariarum partium figurationem animæ moribus accommodari, ac proinde ex illa reconditos hos agnoſci. Hippocrates etiam in libro de aquis, aëre, ac regionibus ait, eos qui plagam Septemtrionalem incolunt, aut etiam montana loca, agreſtiſſimis moribus eſſe præditos: Aſiam autem regionibus ceteris longè clementiorem exiſtere; in eaq; omnia multo grandiora ac meliora naſci; mores hominum tum mitiores, tum ad agendum promptiores eſſe, ob Aſiatici cæli optimam Temperiem; haberi tamen illic magis imbelles homines, quàm in Europa. In ſumma verò, ſpecies & mores hominum ait plerumque naturam regionis ſequi.* Hæc ibi. Denique initio libelli quem de hac re ſcripſit

Lib ſup. ci.

Plato.

Ariſtoteles.

Hippocrates.

Mores plerumque ſequi naturam regionis.

Lib. cit.

ex

ex professo, ita incipit: *Quemadmodum ex cibo & potu, nec non ex quotidianis exercitationibus, bonam corpori conciliamus Temperiem; sic etiam ex hac, ad virtutem animæ comparandam, nonnihil emolumenti attulerimus.* Verùm diceret aliquis neminem ergo vituperandum, laudandum neminem; quia non à praua voluntate, vel bona, mali boníve reputari debemus, sed à prauo Temperamento. Non ita est; sed bonos facit animus integer, alios deprauat sua praua voluntas. Vehementer tamen iuuat propensam ad malum voluntatem deprauatæ naturæ condicio: temperata item multa impedimenta remouet à virtutis complexu. Profitemur tamen, in deprauatis hominum moribus decretum illud diuinum vigere semper oportere, *Sub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius:* & in compositis naturis, *Sine me nihil potestis facere.* Sed audiamus quid Ethnicus ille dicat, huic obiectioni respondens. *Ceterùm qui cunctos homines virtuti comparandæ idoneos, & qui nullum iustitiæ amantem esse arbitrantur, (quod est nullum finem naturalem statuere) vtrique hominum naturam ex dimidio tantùm cognoscunt. Neque enim omnes iustitiæ hostes, neque omnes amatores nascuntur; ob corporis Temperaturam vtrique tales geniti. Ac sanè, qui talia astruunt, subinde petunt, quo videlicet iure quispiam debeat laudari, vituperari, odio haberi, aut amari, cùm probus aut improbus non suopte ingenio, sed à Temperatura sit factus, quam ab alijs causis quisque accepisse deprehenditur. Quia, scilicet respondebimus nos, omnibus hoc nobis inest, vt amplectamur bona, ambiamus, amemus; malum abominemur, atque procul arceamus.* Ex quo patet, etiam Ethnicum hunc liberam electionem boni & mali in homine agnouisse; & virtutis bonitatem, vitijque turpitudinem, eligenti ac facienti ascribendam esse.

Genes. 4.
Ioan. 15.

CAPVT XIII.

Deteriorem Complexionem eiusq; vitia PERFECTIONI *acquirendæ remoram ac impedimenta plurima obijcere.*

16. SED ad particularia descendamus; ac de vitijs, quæ ex singulorum humorum copia prædominante proueniunt, explicemus. Et in primis de sanguineorum Cõplexione id medici statuunt: sanguinem spiritus alacres ac perfectos gignere; quo fit vt sanguinei & lætitia exiliant, & in risum & cachinnos soluti fundantur, spiritum minimè teneant, alios ad idem facilè prouocent, fabulis delectentur, & nugis, ne dicam insulsis, scurrilibus, & inuerecundis sermonibus. Beni-

Sanguineorum Complexio, eorundemq; vitia.

Benigniores etiam sunt, & affectibus indulgent suis, & alienis. Si vini potus accesserit, multa effutiunt, quæ secreta esse oporteret: & quia proniores in beneuolentia insinuanda ac colligenda, arcana produnt, & sua consilia detegunt. Solemne illis est, *de se suisq; multa prædicare, & subinde falsa, imò & cum irrisione audientium militem gloriosum imitari*; rebus serijs tractandis pondus omne detrahere, & in iocum omnia vertere. Cantu capiuntur, &, si artem calleant, alijs recreationem nituntur adferre: quia & canunt libenter ipsi, & non illibenter volunt audiri. Proni sunt ad libidinem, ob ingenitum calorem humido permixtum. Potationibus capiuntur, & cibis lautioribus libenter vescuntur; quia similia similibus conseruantur: his enim sanguis conficitur, & calor conseruatur. Omnia pæne concurrunt libidinum incitamenta: animi lætitia; ingenij vis & aptitudo artibus discendis; benignitas in vultu ac moribus, ob sanguinei humoris clementiam; oris decus; verborum eloquentia, ac dicendi facilitas; color venustus, cum serena semperque subridenti facie. Vnde Hippocrates, *Quibus*, inquit, *concessum est puriore sanguine frui, frequenter ij rident, & florida facie apparent, colore venusto*; rubro nimirum, & cum splendore; non rubeo fusco, quo tinguntur vinorum generosiorum potatores. Accedit audacia, quam prouocat calor sanguinis; & corpulentia, egregiaque forma, qua præditi esse solent. *Multitudo enim carnis rubræ* (vt ait quidam Philosophus) *cum decenti firmitate & non laxitate eius, significat Complexionem calidam & humidam, qualis est sanguinea: quia multitudo carnis rubeæ attestatur super fortitudine virtutis asimilatiuæ & multitudine sanguinis, quæ vigent & inualescunt humido & calido*. Idem scribit Galenus. His ergo omnibus etsi, vbi adest gratia cælestis cum Temperie, magna præstantur, & sanguinea excellentissima Complexionum est, quali putatur fuisse præditus D. Ioannes Euangelista, qui aptissimè à Christo dilectus fuit, & appellatus discipulus quem diligebat IESVS; (erat enim reuera amabilis, &, quidquid scripsit aut dixit, nihil aliud quàm amorem & dilectionem sapere ac sonare videtur) si tamen naturæ relinquimur, & humor ille præ ceteris exuberet, domi iuratum fouemus hostem, & in visceribus nostris alitur, qui quærendæ PERFECTIONI grauissima impedimenta obijciat.

Cic. lib. 1. Offic.

Lib. de præparatione hominis.

Auicenna 2. 1. doctrina 3. c. 3.

Lib. 2. Temperam.

17. Cholera, seu flaua bilis, suos animo morbos etiam ingenerat: est enim calida & sicca, sicque ignem facilè concipit; qui inclusus, aut retentus, impetum facit, dum exilit, & euertit omnia. Sunt ergo cholerici impetuosi. Sat etiam constat, cholericos ambitiosos esse, & honoris cupidos; primas expetere sedes; conari præferre sese omnibus, nullius ferre posse imperia: superfluus enim calor animum ad arrogantiam & temeritatem excitat. Sunt ijdem admodum edaces ac multi-

Complexio cholerica.

uori: intentior enim calor, qui ipsis inest, magis digerit, & maiorem solutionem facit. Dicuntur esse magnanimi, elati, superbi, iniurias tolerare non posse. Sunt præter modum iracundi, ob ebullitionem sanguinis circa cor, facilemque choleræ commotionem: quæ enim sicca sunt, flammam facilè concipiunt. Dicuntur astuti esse, fallaces, ac deceptores: quòd tenuitas & caliditas humoris cholerici deceptionis modos eis prolixè suppeditet. Prodigi sunt in muneribus largiendis, vbi præsertim honoris consequendi aut dignitatis spes affulget. Audent denique quæcumque, & maximè ardua aggrediuntur, ad quæ cupiditate impelluntur, ob nimium calorem, & maximè cordis. Et hi quidem morbi ab hoc fonte nascuntur; qui quantopere obsint moderationi ad PERFECTIONEM requisitæ, nemo non videt.

Complexio phlegmatica.

18. Non desunt & sui morbi phlegmaticis, qui maximè proueniunt ob debilitatem caloris natiui: soluuntur enim instar aquæ, quæ & humida ac frigida est, & sic ex parte calori repugnat, qui tamen vires fulcit, erigit, & roborat; hinc pituitosi, torpidi, pigri, somnolenti, & tardi, longiori somno capiuntur, & ad otia magis quàm ad studia propendent, torpentibus nimirum ob frigiditatem instrumentis, auctore Galeno. Sunt etiam obtusi hebetisque ingenij: vt enim intelligendi facultas & ingenij vigor ex innato calore nascitur; ita tarditas & hebetudo à contrario, nimirum frigido, exordium capiunt. Sensus quoque tam interni quàm externi obtusiores sunt; nihilque in eis est pulchrius mole corporis, quæ excessu humidi & frigidi consurgit: & quod in sanguine pingue, leue, & tenue residet, vtriusque est materia; cumque id venæ extra se transmiserint, vbi in frigidas particulas incidit, in ijs concrescit, & in adipem conuertitur.

Lib. 3. de simp. causis.

Complexio melancholica.

19. Deterrima est melancholia; quæ, si temperata non fuerit, mores hominum deprauat, & eò quidem vsque, vt subinde prostratos mœrore adigat ad laqueum. *Felix*, ait Sapiens, *qui non habuit animi sui tristitiam.* & Salomon: *Tristitia viri nocet cordi.* &: *Spiritus tristis exsiccat ossa.* Hac absorptus Antiochus somnum omnem ac lætitiam amisit. Nec voluit Apostolus incestuosum Corinthium grauiùs affligi, *ne fortè tristitia abundantiore absorberetur.* Sunt enim melancholici tristes, propter spiritus melancholicos, turbidos, & tenebrosos; sicut ex opposito homines læti sunt ob spiritus alacritatem. Sunt etiam taciturni, paucorumque verborum, ob frigiditatem; sicut nimia garrulitas prouenit ex caliditate. Sunt suæ sententiæ tenaciores, ob siccitatem; à qua non facilè se diuelli ac dimoueri patiuntur. Nec placari possunt, si offendantur. Voluunt, reuoluunt animo suspiciosè ac temere aliorum dicta factáve. Nihil sibi fore tutum arbitrantur, facileque percelluntur: omnia tuta timent; quòd nimirum atra bilis, rationalis animæ arcem occupans,

Eccli. 14.
Prou. 25.
Prou. 17.
1. Mach. 6.
2. Cor. 7.

pans, timorem inducit. Neque id mirandum eſt, *cùm videamus in rebus externis*, inquit Galenus, *nihil magis quàm tenebras hos perterrefacere. Si igitur ſimile quippiam rationali parti animæ circumfundatur, hominem ſemper timere neceſſe eſt, vtpote qui ſemper timoris cauſam in corpore circumferat. Quod enim nobis extrinſecus accidit, cùm ambiens nos aër vaſtiſſimis tenebris fuerit obſcuratus; id melancholicis ab intimo corpore erumpere videtur, occupante cerebrum ipſamet atra bile, vel vapore quopiam melancholico.* Hæc ille. *De ſimp. cauſis.*

Eadem cauſa eſt multorum ſcruporum animi: qui morbus, ſi quis alius, hominis mentem adeò præcipitat, vt ne ſapientes quidem ſibi conſtent, & inſtar puerorum à iudicio excidiſſe videantur. Nonnulli, quidquid agant, peccare timentes, in nulla re peccati materiam diſcernunt; longiſque diſcurſibus occupati, poſtea referunt hiſtorias in quibus ne vmbra quidem culpæ alicuius appareat. Alij arbitrantur, quidquid in imaginationem venit, in mentem veniſſe: & quia phantaſiam habent non minùs capacem quàm tenacem, fit vt appetitus ſenſitiuus, qui neceſſariò ſequitur apprehenſionem imaginationis, moueatur, ſenſumque natura exprimat: illum rati conſenſum, cogitationes omnes quas putant mente pertractaſſe, & voluntate rationali probaſſe, ad peccati conſenſum referunt; cumque infinitæ occurrant, omni die, hora, momento perplexi ſic viuunt, vt non viuant, ſed vitam miſeram trahant. Nonnulli grauiſſimis fœdioris voluptatis agitationibus vexantur aſſiduè, quaſi res ipſas videant, quaſi voluptas inhæreat. Occurrunt & tetriores cogitationes, blaſphemæ, hæreticæ, odij ſacrilegi, in Deum, in Sanctos, tremendam Euchariſtiam; de morte ſibi conſciſcenda, adferenda parentibus; & ſimiles animi affectiones, quæ adeò internum hominem mordent, pungunt, & afficiunt, vt vel ſubinde cruentent, vel graui triſtitia animum ſuffundant, vel à ſuaui internæ vnctionis dulcedine ad carnificinam deducant: & licet abactæ auolare videantur, muſcarum importunarum inſtar indeſinenter recurrunt. Sunt & non pauci, qui libenter in omnia flagitiorum genera proſiliunt, nullo ſcrupulo, nulla conſcientiæ religione; ſed quando ea Sacerdoti exponenda ſunt, adeò cruciantur explicatione circumſtantiarum, vt modus non ſit conſcientiæ placandæ. Quod & pijs animis accidit non rarò, in exponendis reculis quæ vix ſpeciem vmbramque peccati admittunt. Horrent Dei iudicium; inferni fauces ſibi inhiare putant; ſe damnandos illico pronuntiant; conſilia ſolatiaque omnia habent ſuſpecta; diuerſorum aures conſulunt, & neſciunt acquieſcere: quia in cognitione morbi laborant, qui non eſt in legis æternæ violatione, ſed in vlcere quod animam exulceratam depaſcitur. Arbitrantur etiam, mali remedium eſſe confeſſionum reiterationem frequentem, cùm nihil pernicioſius ſit: eſt enim ægritudo hæc ſimilis ſcabiei prurientis ac mordicantis,

Scrupuloſi varij.

Remedia contra ſcrupulos.

cantis, cuius affricatio voluptatem parit eximiam; sed id remedij morbum non sanat, imò recrudescere facit, non sine magno periculo inflammationis admodum perniciosæ, & dolorem pœnitudinemque improbæ voluptatis relinquit. Confessio hæc repetita affricatio est prurientis scabiosæque conscientiæ; meritoque de ea dici potest, *Curauimus Babylonem, & non est sanata.* Imò certè tales exponunt se periculo grauioris morbi, affectam partem intempestiuo remedio proritantes: neque enim repetitiones illæ, atque exaggerationes inculpatæ conscientiæ, remedia sunt, sed ruinæ ac interitus; quin etiam maniæ ac dementiæ viam sternunt, ni probis medicis fidem habeant? Verùm corporum medici subinde proficiunt bono consilio, salutari medicamento; erga scrupulosos spiritualibus medicis plus patientiæ opus est, quàm medicamenti: nam & illi non credunt dicenti, & medicinam non applicant; &, si reprehendas, patientissimi sunt, minusque apprehendunt consilia, quàm muscæ ventilabra; nam quidquid excutias, semper redeunt. Quem ex hoc ligno facies Mercurium, quomodo hunc idoneum putas PERFECTIONI capessendæ, cùm omnes eius conatus, cogitationes, vires, consilia in id incumbant vno, decem, viginti, & triginta annis, vt vel vnicam molestiam amoliantur, nec possint? quò ergo vltrà progredi dabitur?

Ierem. 51.

Complexionum mixtiones.

Nihil hîc dico de Complexionum varietate, humorum coniugatione ac mixtione: vt enim de Temperamento diximus, sic de humorum cognatione dici potest; & varias esse nempe hominum condiciones, & quasdam ceteris deteriores, quæ, quidquid impurum atque improbum in alijs est, in vnum coaceruasse videantur. Et hos minùs idoneos ad virtutem esse, nemo in dubium vocabit.

Complexionem malam obstaculo esse studioso virtutis, ratione probatur.

20. Est ergo beneficium ingens, sana & integra frui valetudine, eoque Temperamento ac Complexione, vt studio virtutis nulla aut certè pauciora impedimenta obsistant. Quî fiet enim, vt, qui lætitia perpetuò gestiat, vel mœrore tabescat, vel torpeat ingenio, aut denique desiderijs exæstuet, modum virtutis normamque teneat, extrema vitet, compositus maneat, & regulam in actionibus obseruet? Verum est, ratio & mentis dominium multa possunt; & psittacum doces suum χαῖρε, & lupum cicurabis, & cani canistrum impones: sed bestię sunt, ne fidas; & psittacus facilè idioma suum recantabit, & lupus semper sibi similis est, & canis, si, quod deuehit, voretur ab alijs, sui non erit immemor; denique

Naturam expellas furca, tamen vsque recurret.

At recursus ille, preces importunæ, solicitatio, propensio molesta est, amor est & pondus: & nos molles sumus, tam diu molestas importunasque preces, à nobis præsertim promanantes, constanter ferre non possumus,

ſumus, acquieſcimus, victaſque damus manus. Et verò fateri debemus, *mores animi, Complexionem ſequi corporis,* niſi viribus altioribus fulciamur: & hæc quidem D. Paulus ſuo calculo comprobat. *Scio enim* (inquit) *quia non habitat in me, hoc eſt, in carne mea, bonum: nam velle, adiacet mihi; perficere autem bonum, non inuenio. Non enim quod volo bonum, hoc facio; ſed quod nolo malum, hoc ago. Video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? gratia Dei per* IESVM *Chriſtum, Dominum noſtrum.*

Rom. 7.

21. Non intendimus hac prolixa diſputatione de Temperamento & Complexione corporis inſtituta, ad PERFECTIONEM acquirendam neceſſaria, illorum fouere curas ac ſolicitudines, qui toti in valetudinem curandam incumbunt, medicinis ſtomachi vires conuellunt, omnibus malis laborant, quibus alios detineri audiunt; quibus minimus dolor, maximi morbi vel prænuntius, vel præſentis indicium eſt; quorum palato nullus cibus arridet, niſi is qui eſt in optatis; quorum ventri numquam poteſt ſatisfieri; quos exilis doloris ſenſus ab omni officio auocat illico; quorum nullus alius ſermo, quàm de aduerſa valetudine, eaque varia. Indecorum ſanè eſt, athletam ſpiritualem ſeruire palato, indulgere ventris deſiderijs, & loco ſtudij PERFECTIONIS medicinæ aut curando corpori operam dare. Hoc medicis relinquendum eſt, & ijs qui præſunt. Si adhibita ſint opportuna remedia, nihilque ſuperſit explorandum, ad patientiæ aſylum recurrendum eſt, & aliquid diuinæ prouidentiæ relinquendum. Hinc D. Bernardus prudenter monet: *Hic fouea eſt, quæ nolo vos lateat. Inſidiatur enim voluptas ſanitati, & tam ſubtili malignitate proſequitur, vt vix ea quis poſſit cauere, vel noluerit. Quòd ſi voluptati ſeruitur, hoc iam de natura non eſt, ſed ſub natura, quæ morti manus dat, cùm magiſtram conſtituit voluptatem. Inde etiam eſt, quòd multi ad tam beſtiales & rebelles impetus deſcenderunt, vel (vt dicam veriùs) ceciderunt; vt voluptatem præferant ſanitati, & illis ipſis ſæpiſsime volutentur, quæ ſciunt difficiles & acutiſsimas ſubſequi paſsiones.* Hæc Bernardus. Certè ſancti Patres, qui de varijs varia ſcripſerunt, de nulla re parciùs, quàm de curanda valetudine; (etſi moderata cura ſua laude non careat) ſed in eo elaborant, vt nobis perſuadeant, mortificationem corporis, animæque ſanitatem, præferendam eſſe valetudini; quæ ſola parum iuuat acquirendæ pietati, teſte B. Paulo, qui dicit: *Cùm infirmor, tunc potens ſum.* &: *Infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia.* &: *Corporalis exercitatio ad modicum vtilis eſt, pietas autem ad omnia vtilis eſt.* Plurimi quoque ſancti viri in graui corporis languore & infirmitate præſtantiſſima quæque geſſerunt: qualis D. Gregorius in Pontificatu, quamuis cum aſſiduis ſtomachi doloribus conflictaretur; & S. Lydvvina incredibiles

Reprehenditur inanis ſolicitudo valetudinis, & cura nimia.

Serm. de triplici genere bonorum, & vigilantia ſuper cogitationibus; qui eſt inter Serm. de diuerſis.

2. Cor. 12.
1. Cor. 1.
1. Tim. 4.

morbos tota ferè vita perpessa, egregia patientiæ & sanctitatis monumenta reliquit. Quid ni & nos à nobis ipsis aliquid patiamur, cùm & mortales esse nos deceat esse memores; & *per multas tribulationes oporteat nos intrare in regnum Dei, nec sit seruus maior Domino suo?* denique *omnes sancti quanta paßi sunt tormenta, vt securi peruenirent ad palmam martyrij!*

Act. 14. *Ioan. 15.*

CAPVT XIV.

Paßiones animi à Complexione praua factas immoderatiores, PERFECTIONI *quærendæ esse impedimento.*

22. VENIO tandem ad id quod in hoc tractatu postremum non est; & quod inter multa, quæ virtuti aduersantur, propemodum primas obtinet: nempe, *animi paßiones ex dicta intemperie oriri, excitari, viresq́; omnes assumere.* Vt enim venæ, si vacuæ sint, aut certè solius frigidæ potione refocillentur, non admodum turgescent; incredibiliter verò inflabuntur, si generosioris vini liberali potu satientur: sic & animi affectiones, si solo phlegmate aut melancholico humore nutriantur, languescunt, & quasi frigidæ, & suo qualicumque calore seruando contentæ, non erumpunt; sin verò humoris sanguinei aut cholerici viribus vehantur, alanturq́ue vberiùs, ferociunt, &, instar ignis conclusi exiguo fomite admoto, impetum faciunt, non sine strepitu & incommodo, cùm illius à quo flamma exeritur, tum eorum in quos exilit ac intorquetur. Sed de his paulo altiùs repetendum est: *in homine nempe duplicem esse appetitum*; quorũ alter *intellectiuus* appellatur, alio nomine *voluntas*, soli animæ rationali inhærens; vnde ponitur in parte superiori; alter, à sensu cui inhæret, (inest enim toti composito, ex anima & corpore, vnde constituitur in parte animæ inferiori) *sensitiuus* dicitur; & *habet potentias duas, alteram concupiscibilem, alteram irascibilem.* Harum motus, seu operationes, passiones dicuntur; quòd per illas potentia corporali quadam immutatione alteretur, & quasi patiatur: quia verò subinde rectam rationem turbare tenebrasque offundere soleant, perturbationes appellantur. Censentur à [a] D. Augustino & D. Thoma numero vndecim: quarum sex resident in potentia concupiscibili, nempe *amor, desiderium seu concupiscentia, odium, fuga seu abominatio mali, delectatio, quæ & gaudium nuncupatur, dolor vel tristitia*; quinque reliquæ sunt in irascibili, videlicet *spes & desperatio, audacia & timor,*

Paßiones animi oriri ex intemperie corporis. *Similitudo apta.* *Appetitus duplex.* *Intellectiuus.* *Sensitiuus.* *Paßiones vnde dicantur.* *a Lib. 9. ciuit. cap. 4. & lib. 14. cap. 7. 8. 9. D. Thom. 1. 2. q. 23. a. 4. & q. 25. a. 4.* *Paßiones 11. D. Thom. sup.*

ira

ira denique, quæ & indignatio zelusq́; dicitur. Oriuntur hæ perturbationes cùm ex obiecto aliquo bono, tum ex malo per imaginationem animæ præſentato. Res enim bona obiecta, tamquam principium actiuum, primùm omnium proritat animum, attrahit, & inclinat ad ſe: hæc propenſio *amor* dicitur. Quòd ſi illico non obtineatur, incitat appetitum ad illam procurandam: hoc eſt *deſiderium*. Quam ſi obtineat, efficiet in anima quietem & pacem; & dicitur *delectatio ſeu gaudium*, quę eſt animi lætitia ob præſentiam boni poſſeſſi. Eundem ex oppoſito effectum gignit res mala appetitui expoſita per imaginationē: & primò quidem auerſionem, qua conatur eam à ſe remouere; & dicitur *odium*. Sequitur deinde ſtudium rem illam propellendi; & dicitur *fuga ſeu abominatio mali*. Quòd ſi malum adhæreſcat, nec poſſit repellere, naſcitur *dolor ſeu triſtitia*. Quòd ſi bonum appetitui obiectum arduum ſit, ſed ita conceptum, vt obtineri queat; efficiet in potentia iraſcibili *ſpem* illud conſequendi: contrà verò *deſperationem*, ſi concipiatur quaſi obtineri nequeat. Rurſum ſi appetitui malum obijciatur, quod ægre depelli poſſit, & tamen homo confidat ſe depulſurum; naſcitur *audacia* in appetitu: ſin minùs, *timor*. Si verò malum ſit reipſa vel imaginariè præſens; ſurrigit ſe *ira* contra malum, maliq́ue auctores, & tum illud, tum hos tollere nititur è medio.

Amor. *Deſiderium.* *Gaudium.* *Odium.* *Abominatio mali.* *Triſtitia.* *Spes.* *Deſperatio.* *Audacia.* *Timor.* *Ira.*

23. Quantum hæ perturbationes noceant animæ quieti & tranquillitati, quæ ad virtutem capeſſendam apprimè neceſſaria eſt; quantum & ſanitati corporis; adeò omnibus notum eſt, vt hæc veritas probatione non egeat. Toti enim compoſito, animæ nimirum & corpori, ac eius organis inſunt; & cùm ſæuiunt, vires tam corporis quàm animi exhauriunt ac fatigant incredibiliter, vno eodemq́ue telo ſimul corpus & animam conficientes. Ponamus hîc aliquot paſſionum exempla, & vim efficacitatemq́ue perſpiciamus.

[a]Ab *amore* incipiamus. Apeme Bezacis ſiue (vt [b] Ioſephus) Rhapſacis Themaſini filia, concubina Darij Perſarum Regis, à Rege præ ceteris amata, ita vt dextera aſſideret, & de capite diadema auferret, ſibiq́ue imponeret, Regis malam ſiniſtra manu feriret, cùm interea Rex eam hianti ore intueretur, arridenti arrideret, & ſuccenſenti blandiretur, quo ſibi eam reconciliaret. Quo argumento vſus Zorobabel, apud [c] Eſdram, mulieres maiores Rege vires habere pronuntiauit: non mulieres, inquam, ſed paſſionem vel amoris vnicam Regibus imperare. Quis hoc crederet, niſi Eſdras teſtaretur? *Deſiderij* impotentia non minùs afficit animum, nec quidquam turpe aut difficile agnoſci permittit. Eſau famelicus à venatione rediens, lentis edulio ius ſuæ primogenituræ fratri Iacobo vendidit. Iacob deſiderio Rachelis æſtuans, laborem obſequij quatuordecim annorū ſine ſenſu labentis temporis ſuſti-

Paßiones virtutis ſtudio eſſe impedimento, probatur exemplis.
a 1. *Amoris vis.*
b *Lib. 11. Antiq. Iudaic. c. 4.*
c *3. Eſd. 4.*
2. *Deſiderij.*
Gen. 25.
Gen. 29.

Matth. 27. Actor. 1. *2. Reg. 13.*

ſuſtinuit. Quid? ô impudentia! auri cupiditate Iudas diſcipulus Meſſiam & Redemptorem orbis argenteis triginta vendidit: ſed quæ merces finisque inſani deſiderij? abiens laqueo ſe ſuſpendit. Amnon tanto deſiderio ſororis Thamar captus eſt, vt ei ſtuprum inferret, & inceſtus ſui pœnam ferret; necem nimirum, quam ei frater eius Abſalom attulit. Profectò cupiditate incenſis nulla religio, nihil ſacrum, nihil inauſum relinquitur, quod ſuo ſcelere ſacrilego non temerent.

3. *Gaudij. Titus Liuius lib. 22. initio. Valer. Max. lib. 9. cap. 12. Plutarch. in vita Hannib.*

Quid de *gaudij ac lætitiæ* efficacia dicam? Victis ad Thraſimenum Romanis, eaque clade indicata, ſolicita & anxia multitudo ſeſe ad portas effudit, viri promiſcuè & feminæ, quæ ſuorum fortuna eſſet exploraturi. Varij hîc ſciſcitantium affectus, vt quiſque de ſuorum morte aut vita certior factus eſſet. Mulierum multo maiores planctus & gaudia extitere: quarum vna ſoſpiti filio ad ipſam portam facta obuia, complexu eius expirauit; altera, cùm falſo mortis filij nuntio mœſta domi ſederet, ad primum conſpectum redeuntis exanimata eſt.

4. *Triſtitia. 1. Reg. 4.* *1. Mach. 6. D. Greg. Naz. in oratione 3. qua eſt 1. inuect. in Iulian. ibiq; Pamel. & Nonnus.* *a Lib. 29. c. 8. Antiq. lect.*

Sæua beſtia *triſtitia* quid non facit? Heli Sacerdos, cladis teterrimæ Philiſthæo bello acceptę, captæque Domini arcę, nuntio conſternatus, audita triginta millium Iudæorum, & duorum, qui in ea acie ſteterant, filiorum cæde, ſolio præceps datus mortem obijt. Antiochus Epiphanes è Perſide fugatus, cùm Lyſiā quoque Ducem à Iudæis victum cognouiſſet, mœrore animi in varios morbos incidens, miſerè perijt. Refert [a] Cęlius Rhodiginus, Ariſtotelem in Chalcide Euripi ſepties die ac nocte reciprocantis naturam admiratum, cauſas altiùs ſecum librantem, cùm minùs voti compos euaderet, animi ægritudine contraxiſſe morbum, ex quo non conualuit ampliùs. Sunt qui prodant in fretum dediſſe præcipitem ſe, hincque natum elogium: *Quoniam Ariſtoteles non cepit Euripum, Euripus cepit Ariſtotelem.*

5. *Timoris. 1. Reg. 25.* *In Pompeio.*

Non minorem vim habet *timoris* affectus, præſertim inopinatus. Nabal timore concepto irati Dauidis, quem ingratus contempſerat, illico mortuus concidit. Illud etiam dignum memoria, quod de Iuliæ Cnæi Pompeij vxoris triſti caſu Plutarchus narrat. Cùm enim in comitijs ædilitijs nonnulli ad manus veniſſent, & circa Pompeium non pauci occiſi eſſent, cruore reſperſus mutauit veſtes; quas domum referri vt fortè Iulia vterum geſtans conſpexit, extimuit, &, ſuſpicans mortem mariti, animo defecit, & ex illa turbatione abortijt.

6. *Ira. 1. Reg. 25.* *4. Reg. 6.*

Dicam poſtremò de *ira*, ceteris prætermiſſis, ne in re clara prolixior ſim. Dauid Rex alioquin benigniſſimus, qui velut ex profeſſo hoſtes ſuos diligere videbatur, Nabalis tamen ſuperbiam & ingratitudinem cùm ferre non poſſet, ira incenſus, eum cum tota familia ad internecionem deleuiſſet, niſi Abigail, Nabalis vxor, ipſum placaſſet. Idem Ioram Iſraelitano Regi accidit; qui Samariæ obſeſſus à Benadad Rege

Syriæ, cùm fames maxima ciuitatem inuasisset, contra Eliseum Prophetam tanta ira exarsit, eo quòd Deum pro liberanda vrbe non exoraret, vt miserit satellites, qui ei caput præciderent; sed pœnitentia ductus, satellites reuocauit. Multa irati facimus, quæ sani mente ne cogitare quidem auderemus: quid enim iratus non audet, etiam si vitam prodigere debeat? denique Valentinianus Imperator (inquit S. Hieronymus) cùm aduersus Sarmatas Quadosque propter Illyrij vastationem in consistorio sæuus infremeret, & totius gentis excidium rigidus minaretur, sanguine erumpente discrepuit. *Epist. 29. ad Præsidium Diac. tomo 9.*

24. Hæc ergo monstra omnia domanda erunt à tirone: si namque natura ferox, si immanis, si libidinosa, si effrenata laboret audacia, si vmbram suam horreat, si odij ac vindictæ tenax, si effusa in lætitiam dissolutam sese non contineat, si denique perturbationibus dictis obnoxia sit in gradu aliquo intensiori; vbi *requiem* ac *tranquillitatem* necessariam ad virtutes recipiendas, augendas, atque exercendas inueniet? *Declaratur rationibus, passiones impedire Perfectionem. 1. Ratio.*

Si B. Paulus vitiorum incitamenta peccatum nominat, eisque ascribit omnem suam infelicitatem, dicens, *Si autem, quod nolo, illud facio; iam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatũ: infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* & tamen perturbationes moderatiores in ipso erant, quàm in nobis; & minus loci in eius animo, ob maxima diuinæ gratiæ munera, & protectionem singularem, inueniebant: quid de nobis statuemus, quos & grauissimæ oppugnant passiones, & plurimæ perturbant infirmitates; vulgari tantùm gratia & protectione donatos? D. Augustinus lamentatur cum Paulino in quadam epistola eandem calamitatem, in qua ita ad eum scribit: *Quid vberius, & veracissima confessione plenius, quàm illud est in quadam epistola tua, vbi naturam nostram non mansisse vt condita est, sed vitiatam esse per illum generis humani patrem, humiliter deplorasti, dicens: Pauper ego, & dolens, qui adhuc terrenæ imaginis squalore concretus sum, & plus de primo quàm de secundo Adam & carnis sensibus, & terrenis actibus refero. Quomodo tibi audebo me pingere? Erubesco pingere quod sum, non audeo pingere quod non sum: odi quod sum, & non sum quod amo. Sed quid misero mihi proderit odisse iniquitatem, & amare virtutem; cùm id potiùs agam quod odi, nec elaborem piger id potiùs agere quod amo? Ipse discors & intestino bello distrahor, dum spiritus aduersus carnem, caro aduersus spiritum dimicat, & lex corporis lege peccati legem mentis impugnat.* Hæc & plura Paulinus lamentatur, & Paulum imitatus exprimit ad viuum passiones animi omnis generis, quibus vel à virtute abducimur, vel etiam ad peccandum inuitamur. *2. Ratio. Passiones peccatum appellata. Rom. 7. Epist. 106. ad Paulinum contra Pelag. in fine.*

Quæ quidem non lædunt, si non admittantur: sed quia importunæ, molestæ, assiduæ, & vrgentes sunt, & sæpe potentissimæ, quis non lædatur aliquando? quis non frangatur? & quis ijs pellendis atque exclu- *3. Ratio. Passiones quando sint peccatum.*

dendis occupatus ſtrenuam virtutibus acquirendis operam nauare, exercendis ſeſe impendere, perficiendis dedere ſe poterit? Magno ergo beneficij loco quiſque reputet, ſi naturam Complexionemq́ue temperatam accipiat, quæ acquirendæ PERFECTIONI ſit idonea; & toto vitæ decurſu occupari non debeat in amoliendis teterrimis paſſionum monſtris ac portentis, quæ miſeros mortales vel trahunt ad interitum, vel immaniter torquent & affligunt, omniq́ue corporali & ſpirituali ſolatio deſtitutos relinquunt.

Concluſio.

CAPVT XV.

Deum ab hominum Temperie aut Complexione, vt aliquem perficiat, non dependere; ſed eius gratia peßimum quemque optimum poſſe euadere.

25. ID poſtremò, non obſtantibus ijs quæ de naturarum intemperie dicta ſunt, magnitudini diuinæ potentiæ tribui debet, quòd, quantumcumque quiſpiam inconditis deprauatiſque moribus ſit, ſumma laboret intemperie, Complexione deterrima, ac paſſionibus immoderatis, Deo hominibusq́ue ſit inuiſus; ſi diuina gratia deinde mentem occupet, voluntatem emolliat atque informet, mira in homine fiat mutatio; & talis quidem, vt non rebellem naturam, ſed maximè temperatam ex matris vtero hauſiſſe atque attuliſſe videatur. Id cùm experientia notiſſimum ſit, tum ex ſacris Scripturis facilè declarabitur. Cùm enim D. Ioannes venturum Meſſiam annuntiaret, & ingratis Iudæis denuntiaret gratiam in Gentiles transfuſum iri, teſte Diuo Gregorio; [a] *Potens eſt*, ait, *Deus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ. Lapides hi* (inquit [b] Origenes) *nos ſignificant, quia ad ſimilitudinem lapidum obdurantes corda noſtra renuimus veritatem.* Et [c] D. Gregorius: *In Scriptura ſacra aliquando lapides in malo, aliquando in bono, accipi ſolent: nam cùm lapis pro inſenſibilitate ponitur, dura per lapides corda ſignantur; vnde & per Ioannem dicitur,* [d] *Potens eſt Deus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ: qui videlicet nomine lapidum corda Gentilium deſignat, dura tunc atque inſenſibilia per infidelitatem. Et per Prophetam Dominus pollicetur, dicens: Auferam cor lapideum de carne veſtra, & dabo vobis cor carneum.* At Gentilium quàm multi barbari! quàm efferæ, quàm immanes, quàm truculentæ beſtiæ! Hinc à Scriptura pardi, ſerpentes, dracones, lupi nominantur. Et tamen quàm

Sanari gratia intemperiem, prauámque Complexionē, declaratur Scripturis.
Lib 29. Moral. cap. 21.
a *Luc. 3.*
b *Hom. 14. in Ierem.*
c *Lib. 18. Moral. cap. 20.*
d *Luc. 3.*
Ezech. 36.

quàm præclara & ſpecioſa de ijs prædicantur à Prophetis! *Lætabitur,* ait Iſaias, *deſerta, & exultabit ſolitudo; germinans germinabit lætabunda.* *Iſaia 35.*
&: *Lætare ſterilis, quæ non paris; erumpe & clama, quæ non parturis; quia* *Iſaia 54.*
multi filij deſertæ, magis quàm eius quæ habet virum. item: *Habitabit lupus* *Gal. 4.*
cum agno, & pardus cum hædo accubabit. &: *Dabo in ſolitudinem cedrum, &* *Iſaia 11.* *Iſaia 41.*
ſpinam, & myrthum, & lignum oliuæ. &: *Ponet Dominus deſertum Sion quaſi* *Iſaia 51.*
delicias, & ſolitudinem quaſi hortum Domini; gaudium & lætitia inuenietur in eo, gratiarum actio, & vox laudis. Quibus verbis Spiritus ſanctus admirandam in hominibus mutationem ſignificat, vt qui duri & crudeles inſtar leonum, vrſorum, & luporum, fœdi tamquam hædi, maculoſi vt pardi, inſenſati vt bos aut vitulus ante gratiæ ſuſceptionem, triſtes vt in ſolitudinem relegati, ſuperbi vt cedri, infructuoſi vt arbores ſilueſtres, horum iam mutato animo, omnes corporis ſimul qualitates mutatæ videantur, vſque adeò, vt *habitare poſsit agnus cum lupo, & hædus cum pardo accubare.* Addit Propheta: *Vitulus, & leo, & ouis ſimul morabuntur, &* *Iſaia 11.*
puer paruulus minabit eos: vitulus & vrſus paſcentur, ſimul requieſcent catuli eorum; & leo quaſi bos comedet paleas; & delectabitur infans ab vbere ſuper foramine aſpidis, & in cauerna reguli, qui ablactatus fuerit, manum ſuam mittet. Vis admiranda gratiæ Dei, quæ adeò hominem mutet, vt is qui fuit, non ille ipſe eſſe cenſeatur. Magnus artifex Dominus, & medicus incomparabilis; hinc Iſaias: *Reuertentur Ægyptij ad Dominum, & placabitur* *Iſaia 19.*
eis, & ſanabit eos. Denique *impietas impij non nocebit ei, in quacumque* *Ezech. 33.*
die conuerſus fuerit ab impietate ſua. Hæc mutatio cùm appareat in vniuerſa Eccleſia, tum maximè in ſancto aliquo religioſo Ordine: vbi licet ex omni natione, mira morum varietate, officiorum ac negotiorum geſtorum differentia, nullo diſcrimine collecti ſint, tamen viuunt communiter, & nulli ampliùs leones, pardi, vrſi, lupi, aut ferociores boues ibi ſunt, ſed omnes euaſerunt agni, aut innocentes vituli; nec vnus comedit carnes, alius fænum, alius paleas, *ſed leo quaſi bos comedit paleas,* *Iſaia 11.*
omnes eadem menſa fruuntur, nec ſuperior inferiorem in ciborum quantitate aut qualitate antecellit: *multitudinis denique credentium eſt cor* *Act. 4.*
vnum, & anima vna; nec quiſquam aliquid ſuum eſſe dicit, ſed omnia ſunt communia. Inter miracula mundo edita non eſt hoc maius, nec in quo ſe Deus magis oſtendit abſolutum hominum dominum, qui de ijs pro nutu & beneplacito ſuo poſſit diſponere, & ab extrema animi corporiſque indiſpoſitione ad extremum ſplendorem vtriuſque hominis ſtatum nullo negotio reuocare. Verè dixit Propheta: *In manu eius ſunt* *Pſal. 94.*
omnes fines terræ. Impij enim & iuſti diſtantia cum extremis mundi partibus meritò conferuntur: at quia in manu Dei ſunt, facile ei eſt vtramque manum diſtentam coniungere, & extrema in ſuis manibus componere. Quid mirum? figulus eſt, & de eadem maſſa facere poteſt

vas in honorem & in contumeliam; non tantùm ex terra virgine, sed etiam postquam decocta sunt vasa, & in contumeliæ vsu pæne consumpta, rursus emollire, & in vasa gratiæ transformare. Quid ni? nam & fictores crystallorum in fornace ex frustis noua vasa restituunt. Et

Psal. 147. ipse est fictor egregius: *mittit crystallum suam sicut buccellas*; & in camino caritatis effractas vires animi corporisque de integro restituit, ac in vasa electionis transmutat.

Idem rationibus probatur. Ratio 1. 26. Etsi enim quispiam pessimæ Complexionis sit, & vitæ profligatæ, deploratis moribus, longo vsu ac consuetudine roboratis; remanent tamen in homine virtutum semina, rationis radius, igniculi iustitiæ, rectæ conscientiæ scintillæ, quibus nonnumquam illustratus atque excitatus ad se redeat, & condicionẽ suam deploret: & vellet ille quidem se aliter habere, sed id consequi non potest, ob virium imbecillitatem, difficultatem, multitudinemque ingruentium tentationum, ac Complexionis deprauatę pondus pertrahens in aduersum. Deinde ipsum rationis lumen, quod est initium ac basis bonę actionis, ne quidem in grauissimis peccatoribus extinguitur: offunditur quidẽ vitiorum nebulis; tollantur vitia, lampas illa perillustris irradiat solito more, & maximè si cæleste lumen affulgeat. Accedit quòd Deus gratia sua vires augere possit, ac corroborare, tentationum impetum auertere, animo ea solatia immittere, quibus incitatus etiam cum voluptate luctetur, ad victoriam consequendam, & virtutes acquirendas, Deo placendum, & gloriam æternam demerendam. Quòd si vires sufficiant, prauitas Complexionis remanebit quidem aliqua, sed ad virtutis exercitium, meritorum incrementum, & PERFECTIONIS trophæum reportandum.

Ratio 2. Adde quòd, qui peccat, magna ex parte ex ignorantia delinquit: & inter perditissimos quosque reperies, qui aliorum auctoritate, aut suasionibus speciosis, aut cupiditate inflammati potiùs, quàm prudentes & scientes sese pręcipitent; & vbi eos erudiri contingit, ac instrui, improbis actibus modum ponunt. Ita fuit D. Paulus blasphemus Ecclesiæ

Gal 1. persecutor, æmulator ardentior paternarum traditionum. Certè ei animus erat optimus; & si sciuisset Christum esse Messiam, (vti nouit postea) numquam eum fuisset persecutus, vt euentus ipse docuit. Iudæorum quoque plurimi ignorantia laborantes in Christi mortem conspirarunt, principum ac doctiorum auctoritate atque iudicio nixi

1. Cor. 2. ac permoti. *Si enim cognouissent, numquam Dominum gloriæ crucifixissent.*

Act. 3. & Petrus ait: *Nunc, fratres, scio quia per ignorantiam fecistis, sicut & principes vestri*. Principes quidem inuidiæ ac vindictæ cupiditate excæcati, turba promiscua principum exemplo ac rationibus inducta.

Ratio 3. Denique constat passiones ideo malas esse, quòd cæcę in libidines & flagitia

flagitia æquè ac in virtutum opera prorumpant, voluntatis imperio, aut dissimulatione: quæ si rationis regula & prudentiæ norma regerentur, vitio carerent; nam & amare, & desiderare, & frui re honesta & sine laudabili, honestum & laudabile est. Odisse etiam licet quod rationi & æquitati repugnat; illud ipsum fugere, irasci, ac vim repellere, si inferatur; & audenter aggredi ardua, constantiæ & fortitudinis impulsu. *Paßiones ex se non esse vitiosas.*

27. Itaque duo hîc requiruntur: sanctitas finis, seu intentionis purgatio; & sanatio voluntatis. Si enim passiones ad eum finem dirigantur, qui opus cohonestet; illud eo nobilius erit, quo intensius atque ardentius: & hoc ipsum efficiet ac promouebit affectio adiuncta potentiæ naturali; licet enim Deum intensissimè amare, ardentissimè desiderare, in ipso quiescere ac lætari. Hoc fecit Dauid, cùm dixit: *Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus. Sitiuit anima mea ad Deum fortem viuum: quando veniam & apparebo ante faciem Dei?* & alibi: *Si oblitus fuero tui Ierusalem, obliuioni detur dextera mea. Adhæreat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui.* Quia verò peccata amorque proprius, concupiscentia item carnis & oculorum, ac superbia vitæ impediunt; ijs vehementer irasci, cùm nos impugnant, ac vim vi repellere, honestum est, atque laudabile. Ad id hortatur nos idem Propheta; *Irascimini, & nolite peccare:* licetque Christum imitari, & flagellum nodosum intorquere in eam partem, quæ tales aduersarios foueat. Et sanè si res indecora ac deformis tantum valeat, vt animum amore sui rapiat, occupet, ac teneat; quanto magis virtutis honestas, Dei pulchritudo ac bonitas, in qua natura suis principijs aliquid conforme reperit, & in quam quadam propensione tendit, beatitudinem suam inuentura! *Ad mutationē morum duo requiri.* *I. Intentionis purgatio.* *Psal. 41.* *Psal. 136.* *Psal. 4.* *Matth. 21.*

Vt enim exercitus prædonum, cuius dux nihil præter cædes, incendia, vastitates, furta, & latrocinia comminiscitur, nihil vtilitatis, sed damni plurimum adferre potest, quàm diu in hoc ipsum incumbit; si verò dux ipse, mercede potentissimi Regis conductus, animum mutet, & scopum aliò conuertat, Regis præscripto in omnibus pareat, impium latrocinium in iustum bellum commutet, non iam patriæ pacem populationibus perturbabit, non cædem ac vastitatem inferet, non prædas aget, sed tranquillitati Reipublicæ consulet, damna auertet, quin etiam aduersarios fugabit, regiones tuebitur, summamque pacem & securitatem inducet; & quo ducis illius potentiores ac generosiores erunt prædones, eo fortiores vicissim in Regis erunt obsequio: ita cùm passiones velut latrunculi ac prædones quidam à deprauata voluntate reguntur, cùm membra illi omnia parent, omnes animi corporisque vires, incredibilem bonorum omnium, virtutum nempe, meritorum, *Apta similitudo.*

cæleſtiumque donorum adferunt vaſtitatem, & malorum innumerabilium ſegetem inuehunt; at ſi voluntas hominis mutata merere Deo velit, illius præceptis obſequi, & in eum ſcopum omnes animi neruos ac conatus affectionesque conuertere, paſsiones, quæ aliàs animæ interitum adferebant, præſidio erunt, pacem ac ſecuritatem inducent, aduerſarios expellent, ac virtutes propugnabunt. Hoc eſt quod Apo-
Rom. 6. ſtolus ait: *Sicut exhibuiſtis membra veſtra ſeruire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem; ita nunc exhibete membra veſtra ſeruire iuſtitiæ in ſanctificationem.* Seruiunt enim peccatores iniquitati, dum rem in ſe deformem amplectuntur: verùm eis ſatis non eſt turpe aliquid eligere & operari, niſi illud etiam in alium finem dirigant; in quo duplex apparet turpitudo. Id etiam ſpectant, vt ſtabiliant propoſitum in quo verſantur, ne turpitudinem quam delegerunt, quamque vehementer depereunt, breui cogantur deſerere; & hoc quoque ſeruire eſt immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem. Vult ergo Apoſtolus omnia membra noſtra ſeruire iuſtitiæ in ſanctificationem, vt bona ſit res quam aggredimur, & melior fiat deſiderio & conatu perſeuerantiæ, maiorisque & amplioris in dies ſanctificationis.

2. *Voluntatis ſanatio.*

28. Alterum quod requiritur, eſt voluntatis mutatio, ſine qua nihil omnino fiet: eſt enim dux huius exercitus; quo obtento, exercitum tibi concilias & poſsides. Illa imperat potentijs, facultatibus, affectibus, membris, ac toti corpori; &, quod imperat, fit, ſi id in illius ſit poteſtate. Sola libera eſt, & agit quod vult: reliqua carent libertate, & pro ſtipendio vtrique, vitio ac virtuti, merent; nihil perdunt de viribus, vbicumque ſeruiunt. Hoc accedit, quòd, qui Deo ſeruiunt, acceſsione noui ſpiritus ardentiores euadant, maiorisque ac certioris laborum præmij expectatione feruorem augeant: tantùm mutatur dux rectorque exercitus, qui dirigit acies in fines alios, & milites ei totis viribus dicto ſunt audientes. *Quare admodum iuuat Complexio, quæ antè oberat.*

Complexio praua per gratiam reſtaurata. Virtutis partes quomodo iuuet.

Quæ enim inflectebat ad impuros Veneris amores, adiuta ſpiritu nouo, & imperio voluntatis, tota in rerum ęternarum amores, in diuinæ bonitatis complexus transfunditur. Conuerſatio & amica & læta incredibiliter ad Dei caritatem eos allicit, quos cupit demereri: funiculi enim

1. *Sanguinei.*

infracti ſunt amor & lætitia, ac vehementer colligant ac vinciunt animos haud diſsimiles. Qui verò Complexione ſunt frigidiori, ſi non

2. *Phlegmatici.*

adeò valeant ingenio, modeſtia tamen, caſtitate, humilitate, parato obſequio plurimùm proſunt: excitant enim ardentis ſpiritus incitamenta, ac torporem excutiunt. Qui autem generoſi erant, non mutat

3. *Cholerici.*

eorum naturam gratia, ſed perficit: ijque ſtrenuè in ſeipſos ſæuiunt; aggrediuntur ardua, conſtanter agunt ac perficiunt. Vtitur denique

Melancholici gratia reſtaurantur.

Deus ſuis inſtrumentis, quantumcumque retuſis; nec difficile illi eſt, hominem

hominem doloribus oppressum erigere, imò & morbis plurimis affectum lætitia perfundere, iudicium illustrare, mentemque sanctis cogitationibus imbuere, & voluntatem dulcedine spiritualis vnctionis implere.

CAPVT XVI.

Abundanti gratia Complexionem deteriorem restaurari, exemplis declaratur; hominem tamen non omnino passionum oppugnatione liberari.

29. NIHIL ago, si hæc exemplis non illustrem. Non fuit difficile Spiritui sancto, rudes & agrestes Apostolorum mores expolire, & Petri choleram ad constantiam ardentemque erga Magistrum amorem reuocare. Taceo Paulum, cuius ira non intra Ierosolymorum muros se continebat, sed domos, ciuitates, prouincias furibunda peruadebat; rapiebat innocuos ad necem, cui ipse insaniæ crudeliter consilio, opera, animo & voluntate concurrebat. Deus lupum in agnum conuertit, & ira in animi fortitudinem iam ordinata commigrauit.

1. *Apostoli gratia Spiritus sancti in corpore & animo adiuti.*

2. *D. Paulus. Act. 8. 9. 22. Gal. 1.*

Vnum è vetustioribus adferam. Manasses, optimi parentis Ezechiæ filius, cùm ei successisset in regnum, patris virtutes suis vitijs exæquauit: coluit idola, somnia obseruauit, artes maleficas exercuit, Domini per os Prophetarum loquentis minas denuntiationesque contempsit. Ob hoc ab Assyrijs captus, & catenis atque compedibus vinctus, abductus est in Babylonem. At postquam eum suorum factorum pœnituit, in alium virum planè mutatus est: simulacra, quæ posuerat, euertit, aras destruxit, & restaurato altari victimas & pacifica immolauit, suisque præcepit vt Dominum Deum Israël colerent. Quis non eius naturam permutatam diceret? In bonum ex pessimo conuersus, in liberum ex seruo, in Regem ex captiuo, euasit in virum virtutibus multis prçditum, ex homine qui ex multis sceleribus conflatus esse videbatur.

3. *Manasses. 4. Reg. 25.*

Præclarum illud Bonifacij mutati monumentum, qui cæcis amoribus Aglaes Romanæ matronæ captus, diutius ei sese miscuerat. Deus vtrumque hac peste liberauit: mox finem perniciosæ voluptati statuentes, sub Diocletiani persecutione Roma Tarsum commigrarunt pœnitentiæ causa; illicque distractis ijs quæ secum attulerant in pios vsus,

4. *Bonifacius. Breuiar. Rom. 14. Maij. Sur. tomo 3. 5. Iunij.*

vſus, illa Monaſterium intrauit, cæleſtem profeſſura vitam; hic ad conquirenda & ſepelienda Martyrum corpora animum adiecit, eorumque vincula exoſculatus, eos vehementer hortabatur vt conſtanter ſupplicia perferrent, quòd breuem laborem ſempiterna requies conſecutura eſſet. Grauiſſimis & ipſe tortus ſupplicijs, tandem ſecuri percuſſus eſt. Eum ſequenti die quærentes ſocij, cùm martyrio affectum cognouiſſent, corpus vnguento condîtum Romam portandũ curarunt. Aglae, certior facta ab Angelo, obuiam ei prodijt, mixtis gaudio lacrymis; Eccleſiamque deinde eius nomine ædificauit. Ipſius denique continentiam & ſanctitatem miraculis benigniſſimus Deus comprobauit.

30. Sed hi metas humanitatis non exceſſerunt. Leones & lupos cicuratos fortè cupitis: faciam quod optatis; & leonem primò, deinde lupum diuinitus manſuefactos, poſtmodum homines leonibus & lupis immaniores ad lenitatem cælitus reuocatos comprobabo.

5. *Leo S. Geraſimi virtute cicuratur. In Prato ſpirit. cap. 107.*

Abbati Geraſimo ſaucius leo obuius factus cùm eſſet in ſilua, gemebundus pedem, cui ſpina infixa erat, tumidũ, pæneque putridũ, medendum porrexit. Extracta ſpina Geraſimus linteo pedem inuoluit: quod quia feciſſet, poſita ferocitate leo ſanctum virum ſecutus eſt, nec ab eo vmquam recedere voluit. Contentus interea pane & inſulſis leguminibus, (carnibus abſtinens, contra leonis condicionem) curam aſini, dum ad paſcua aquamque deportandam è Iordanis flumine mitteretur, velut prudens agaſo, mandato Geraſimi ſuſcepit. Contigit in paſcuis aſinum paulo longiùs abſcedere, & ab Arabe quodam mercatore abduci mercibus onuſtum. Redeundum erat ad Monaſterium, nec aſinum leo inueniebat. Verecundiam perditi aſini cùm ferre non poſſet, quaſi pœnitens & lacrymabundus redit ad Monaſterium, culpamque fateri videbatur; cui Geraſimus: Benedictus Deus; aſinum comediſti, officium ergo eius laboremque ſubibis in aqua vehenda. Subijt ſanè ſtrenuè, nec illibenter. Miſertus quidam leonis, ſancto viro nummos emendo aſino nouo numerauit. Contigit deinde priorem aſinum tritico onuſtum iuxta Iordanem tranſeuntem deduci ad ſanctam ciuitatem: qui, viſo leone, ſtatim accurrit: occurrit & leo geſtiens; mercatores verò cum tribus camelis in Monaſterium abegit: leonis itaque innocentia & ipſo euentu cognita eſt, & ipſe gratulabundus eam teſtari nitebatur. Ex eo tempore nomen Iordanis conſecutus eſt, & annis ampliùs quinque egit in Monaſterio inſtar canis officioſi. Mortuo Geraſimo, (aberat fortè leo à Monaſterio, dum moreretur) cùm eum per domum quæreret, rugiebat, & dolorẽ præſeferebat incredibilẽ. Sabbatius, Geraſimi ſucceſſor, cùm animal mulcere niteretur, & aliter placare non poſſet, duxit ad ſepulcrum Geraſimi. Ibi leo ingenti dolore affectus, terram rictu quatiens, recedere noluit; nec quieuit, donec in

magiſtri

magiſtri ſepulcro vitam quoque ſuam depoſuit.

31. Admirandum illud eſt, quod in ciuitate Eugubina fecit D. Franciſcus. Cùm enim lupus quidam immanis ciuitatem ipſam quodammodo obſediſſet, vixque homines vel turmatim gradientes impunè præterirent; ſuperuenit S. Franciſcus: ſtatuit lupum aggredi: egreſſus oppido, cùm truculenta beſtia accurriſſet, (ciuibus è turrium & ædium feneſtris proſpicientibus, velut funeſtum quoddam prœlium) lupum vocauit, ferocemque belluam ſigno crucis compeſcuit. Ille exinde caput demittens, inſtar agniculi ad ſancti viri pedes ſeſe proſtrauit. Cumque voracitatis & illatæ vaſtitatis eum redarguiſſet, & querelas ciuium ei expoſuiſſet; indicauit ei ſe veniſſe vt pacem inter ciues & ipſum componeret. Pacis condiciones poſuit, vt nemo ciuium ei noceret in poſterum, omnes illatas iniurias remitterent. Lupus capitis inclinatione, aurium, caudæ, & totius corporis geſticulationibus annuebat. Adiunxit vir beatus: Ex parte tua cauebis cuiquam damnum inferre; quod ſi præſtiteris, præter condiciones iam poſitas inſuper tibi polliceor alimoniam numquam defuturam, cuius defectus ac fames hanc in te rabiem ſolet excitare. Lupus, ac ſi intelligeret, ſignis omnia probare videbatur. Petenti dexteram in ſignum fœderis, ſancto viro dextrum pedem porrexit. Inuitantem in oppidum, vt coràm pactas condiciones firmaret, velut agniculus ſecutus eſt. Fit concurſus totius ciuitatis. Ibi D. Franciſcus grauiter denuntiauit populo, huiuſmodi plagas à Deo immitti puniendis mortalium criminibus: alios eſſe in inferno lupos; rabiem inferni barathri ardentiſque fornacis voraciorem rictu infauſto huius belluæ, quæ præter vitam mortalem auferre nihil poſſit. Tunc expoſuit quas cum lupo extra portas inijſſet condiciones vtrimque pactas. Eaſdem probarunt ciues. Iiſdem quoque indicijs, quæ ediderat, aſſenſus eſt lupus, pedemque ruſus poſcenti B. Franciſco eleuauit, & in eius manu repoſuit. Omnes lætitia exilientes, benedixerunt Dominum. Lupus verò inſtar blandientis canis dietim ad ianuas ſingulorum portionem emendicans, quocumque iret, gratiſſimus adueniebat, & excipiebatur in ædibus cum applauſu. Nullus vmquã eum canis allatrauit, nulli & ipſe vmquam ferox viſus eſt. Poſt duos annos, annis grauior, mortuus eſt, magno populi dolore, & eo maximè, quòd D. Franciſci modeſtiam in ſe quodãmodo exprimeret, ac eius ſanctitatem in memoriam reuocaret. Verè *non erit impoſſibile apud Deum omne verbum*. Si ergo crudeles beſtiæ ad voces ſanctorum virorum manſueſcunt, cur barbari homines barbariem non ponerent mandante Numine?

6. Lupus rabidus mandato ſancti Franciſci manſueſcit.

In Chronico Minorum Gallicè edito Pariſ. anno 1608. lib. 2. c. 39. in Latino lib. 10. cap. 29.

Luc. 1.

[a] En ergo aliquot propono, in quibus maxima Dei elucet gratia, & [b] *vbi abundauit delictum, ſuperabundauit gratia*. [c] Latro quidam Dauid nomine

a 7. *Dauid latronum princeps.*

b *Rom. 5.*

c *In Prato ſpir. cap 143.*

» nomine apud Hermopolim plurimos expoliabat, plures etiam inter-
» ficiebat, ita vt nullus ei in his crudelitatis operibus conferri posset. Die
» quadam, dum exerceret latrocinia cum socijs plusquam triginta, ad
» mentem rediens, compunctus est corde, relictoque consortio abijt ad
» Monasterium: quærit de Abbate: interrogatus quid vellet, Monachus,
» ait, fieri volo. Recusante Abbate ingressum, eo quòd senex esset, & de-
» licatæ vitæ assuetus minùs par esset laboribus & abstinentiæ religiosæ,
» feruens animo in hæc verba erumpit: Ego sum Dauid princeps ille la-
» tronum; idcirco huc veni, vt defleam peccata mea: si me suscipere re-
» nueris, Deum testor, ad priorem redibo vitam; assumptisque mihi so-
» cijs, Monasterium hoc funditus euertam. His auditis, suscepit eum
» Abbas; tondensque eum, habitum religiosum induit. Hic in humili-
» tate, obedientia, abstinentia, alijsque virtutibus tantum profectum fe-
» cit, vt inter septuaginta Monachos (tot erant in illo Monasterio) tam-
» quam exemplar singulare emicuerit. Quodam tempore, dum in cella
» esset, Angelus Domini his verbis eum interpellauit: Dauid, Dauid, re-
» misit tibi Deus peccata tua, & eris ex nunc signa faciens. Cui Dauid:
» Credere non possum, omnia peccata, quæ arenam maris numero exce-
» dunt, tam breui tempore mihi à Deo esse remissa. Iterum Angelus:
» Sicut Zachariæ non credenti mihi propter incredulitatem suam lin-
» guæ vsum ademi; ita & tibi faciam, erisque amodo mutus. Dauid, humi
» se prosternens, Angelum hoc modo compellat: Cùm essem in sæculo,
» nefaria scelera faciens, & sanguinem humanum fundens, loquebar;
» modò, quando seruire Deo volo, laudesque illi offerre, túnc linguam
» meam, ne loquar, ligabis? Ad quem Angelus: Cùm implebis psalmo-
» diæ canonem, loquêris; præter canonem verò penitus tacebis. Quod
» & factum est, plurimaque per illum Deus miracula fecit.

8.
Moses latrocinijs antè infamis.
a Lib. 6 c. 29: & Trip. hist. lib. 8. cap. 1.

32. Addam alium. Moses (vt refert [a] Sozomenus) cùm seruus esset, & propter culpam domo expulsus, latrocinio se dedit, homicidia multa fecit. Conuersus ad mentem, Anachoreticam vitam amplexus est, Æthiops mutauit pellem, pardus maculosos colores suos. Sex annis per totam noctem stans orauit, neque genibus inclinatis, neque oculis
„ somno clausis. Insuper caritatis officia sedulus exercuit: noctu enim
„ circuibat cellas Monachorum, & lagenas singulorum aqua implebat,
„ cùm procul inde decem aut viginti aut triginta stadijs manaret.

Ita qui priùs homicidijs formidandus fuerat, factus est amabilis; & qui graui infamia laborabat, sanctitate illustris; qui denique quondam rapinis terram infestauerat, regnum cælorum rapuit. Felices latrones, qui feruore magnaque vi spiritus cælos rapiunt. Addam aliud non omnino generis eiusdem.

9.
Babylas mimus & magus.

33. Babylas quidam Tarsi Ciliciæ mimus professione, & magus, vir flagi-

flagitiosissimus, duas concubinas tenebat. Multa pro dæmonis arbitrio, quo vtebatur, familiariter, siue cum eo, siue cum alijs nefariè transigebat. Ingressus quodam die Ecclesiam, auditoque Euangelio quod ad pœnitentiam hortatur, *Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cælorum*; ita compunctus est, vt redierit domum, & suis concubinis, Quo, inquit, amore, quàm æquabili, vtramque complexus sim, sat superque animaduertistis; iam mutatus aliud de meis rebus cogor statuere. Quæcumque labore consecutus sum, per me licet (iam Monachus fio) accipite. Illæ, oratione huius permotæ, responderunt cum lacrymis: Et nos in flagitijs tibi sociæ fuimus, erimus & pœnitentiæ. Omnibus ergo in pauperes erogatis, incorruptè deinceps, castè, sanc̃teque vixerunt. Hunc Babylam antiquus auctor Ioannes Moscus dicit se vidisse, venerabilem, modestum, & verò clementissimum virum. Quis hunc hominem fuisse flagitiosissimum dixerit? *Hæc* certè *mutatio dexteræ excelsi:* nam meretrices & latrones multos præcedent in regno cælorum.

In Prato spirituali, cap. 32. *Matth. 3.* *Psal. 76.* *Matth. 21.*

34. Postremùm è viris scientia illustribus aliquot adiungam. Exemplum memorabile habemus in Iasone Mayno Mediolanensi, qui missus Papiam, vt iuri ciuili operam daret, vitijs omnibus, & aleæ potissimùm, ita fuit deditus, vt omnia cum hospite decoqueret, & iuris codicem in membranis scriptum, magno emptum pretio, feneratori tradere cogeretur; ipse demum sordidam toga, capite tonsò, & turpi tinea deformis, omnibus ridiculus erat: sed maturè & peracerbè castigatus, Deo auctore, seipsum collegit; tantaque deinde contentione in studijs sese exercuit, vt omnibus mirabilis euaderet. Exin, suggestu dignus, Institutiones enarrauit. Concessit deinde Patauium; sed euocante Ludouico Sfortio Ticinũ reuersus, cum laude vsque ad vltimã senectutem docuit.

10. *Iason Maynus. Iouius in Elogijs.*

Concludam in Michaele Steno, qui Dux Venetorum fuit: cuius vita cùm adolescentiâ liberior esset, & ad luxum nimiamque libertatem propensior, mutatis cælitus moribus & fortuna in iuuentute, ita nimiam licentiam castigauit, summisque honoribus, grandi iam ætate, & Verona & Patauio Veneto imperio adiectis, maritimisque etiam rebus auctis, principatu suo tertium-decimum post annum functus est, vt Antonij Venetij Ducis in eo iustitiam non desiderares; nec Thomæ Moceniri, quem præcessit, prudentiam ac bonitatem requireres. *Non est* ergo *abbreuiata manus Domini*, vt non possit mortuos suscitare, & ex lapidibus filios Abrahæ procreare.

11. *Michael Stenus.* *Isaia 59.* *Luc. 3.*

35. Illud tamen prætermitti non debet, quòd, etsi subinde à prauis moribus ad vitæ purioris institutum Deus aliquem traducat, eum tamen non illico ab omni passionum molestia liberet. Manent in iustificatis passionum reliquiæ, manent habitudines ac propensiones ad

In sanctis fomitem & impugnationes remanere ostẽditur.

malum, sed debilitatæ, & quodammodo emortuæ. Quare nemo fidat sibi, & maximè si vel diutius vel ardentiùs alicui vitio adhæserit, aut na-
Virg. 6. Æneid. tura admodum rebellis sit. *Facilis descensus Auerni est.* Idcirco nos Spi-
1. *Scripturis.* ritus sanctus hortatur, vt tota vita in vitiosorum habituum mortifica-
Ephes. 4. tionem incumbamus. Ita D. Paulus monet *vt deponamus secundùm pristinam conuersationem veterem hominem, qui corrumpitur secundùm desideria erroris.* & ad Timotheum scribens, licet bene sanctum,
2. Tim. 2. *Iuuenilia*, inquit, *desideria fuge, sectare verò iustitiam, fidem, caritatem.* Ecclesiastes
Eccl. 11. quoque: *Aufer iram à corde tuo, & amoue malitiam à carne tua.* Imò & D.
2. Cor. 12. Paulus, alioquin perfectissimus, malo carnis suæ spiritu agitatus ait: *Et ne magnitudo reuelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ angelus satanæ, qui me colaphizet; propter quod ter Dominum rogaui vt discederet à me, & dixit mihi, Sufficit tibi gratia mea.*

2. *Rationibus.* Illa enim vna ratio est, cur Deus non illico omnem impugnationem tollat, vt nos in humilitate contineat. Deinde nobis opus est aliquo
1. exercitio, vt ad Deum recurramus lacessiti, & orantes donorum om-
2. nium largitorem agnoscamus, ne ob ingratitudinem nos relabi permit-
Lib. 50. hom. in hom. 21. in fine, edit. Parisien. anno 1531. tat. Hoc Augustinus exponens latiùs, *Nos*, ait, *fratres carissimi, agnoscentes iniquitates nostras, quantum possumus contra malas concupiscentias repugnemus; ieiunijs, vigilijs, orationibus, languoribus, eleemosynis mala, quæ fecimus, redimamus; & cum Dei adiutorio ita bonis operibus studeamus insistere, vt nos ad peccata pristina non possint concupiscentiæ nostræ retrahere; sed perse-*
Psal. 115. *uerantes in omni bono, cum Propheta gratias referentes dicamus: Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis.* Remanent præterea illi stimuli vt
3. *Concil. Tridēt. sess. 5. decret. de pec. origin.* meriti occasionem nobis præbeant, quemadmodum Concilium Tridentinum de concupiscentia, quæ à baptismo in nobis remanet, decla-
In Psal. 64. rauit: vnde D. Augustinus, *Primò*, ait, *concupiscentia carnis sequentes duxit nos, postea renitentes traxit nos, deinde accepta gratia cœpit nos nec ducere, nec trahere, sed adhuc contendere nobiscum; post contentionem erit & victoria, modò te, etsi oppugnat, non expugnet.*

3. *Exemplis.* 36. Quare sancti Patres toto vitæ suæ cursu partim ad passiones domandas, naturamque sanandam ac perficiendam, partim vt se Christo conformarent, partim denique vt Deo pro peccatis præteritis satisfacerent, horrendè sæuierunt in corpora sua, non sine magno virtutum profectu.

1. *Polychronius.* Theodoretus, Episcopus Cyri, de Polychronio sic scribit: *Mortifica-*
Theod. in hist. sanctorum Patrum, cap. 24. *bat se aspero cilicio, vilíq; & nullius pretij habitu; sicq; inopem vitam agebat, vt nec necessarium quidem semper haberet nutrimentum; ac totam noctem vigil in precibus stans consumebat: ad augendam autem mortificationem habebat in cella truncum ex quercu,* (quem fatetur Theodoretus vix se potuisse tollere) *hunc noctu diuq; imponebat humeris, & sic in oratione perstabat. Paupertatem*

tanto

tanto studio coluit, vt existimaret quouis regno magis expetendam. His alijsq́; id genus exercitijs in extremam vsque ætatem vsurpatis, ad tantam Dei notitiam continuamq́; rerum diuinarum memoriam peruenit, vt mentem à contemplatione diuellere non posset: quare & cum his, qui ad ipsum subinde ventitabant, paucis disserens, non poterat in animum inducere, vt cogitationem à cælis deduceret. Hæc ibi.

37. Palladius quoque scribit, Macharium Alexandrinum, domandi sui causa, toto sexennio nihil præter cruda holera & legumina humectata sumpsisse: viginti diebus & noctibus tectum non ingressum, vt somnum vinceret; cùm interdiu quidem arderet æstu, noctu verò frigore rigeret: deinde, cùm aliquando ei molestiam exhibuisset spiritus fornicationis, nudum sex menses sedisse in palude Scetes, quæ est in vasta solitudine; & à culicibus, quæ magnitudine æquant vespas, toto corpore ita demorsum, vt videretur leprosus. Addit autem, ad humiliandum se, duorum modiorum sportam arena plenam, humeris impositam, per totam solitudinem deportare solitum. His alijsque exercitationibus corporis tantam apud Deum promeruit gratiam, & ad tam sublimem & constantem peruenit Dei cognitionem, vt sæpe noctem cum die in solius diuinitatis contemplatione detineretur.

2. Macharius Alexandrinus. Pallad. in histor. Lausiaca, sect. 17.

Hoc ad extremum, ex ijs quæ dicta sunt, constitutum maneat: videlicet, etsi fertilem idoneamque Deus Complexionem efformare possit in materno vtero, si tamen non faciat, meminisse oportet quod diximus, *Non est abbreuiata manus Domini*; quodque Anna mater Samuelis aiebat, *Deus mortificat & viuificat, deducit ad inferos & reducit. Dominus pauperem facit & ditat, humiliat & subleuat; suscitatq́; ex puluere egenum, & de stercore eleuat pauperem; vt sedeat cum principibus, & solium gloriæ teneat.*

Isaie 59. 1. Reg. 2.

CAPVT XVII.

Vulnera ac morbos animi, nisi per gratiam Mediatoris sanentur, PERFECTIONEM *excludere. Primum vulnus explicatur.*

QVIA cœpimus naturæ nostræ infirmitatem depingere, & pauca pro rei magnitudine de mortalis corporis condicionibus attulimus; de animæ, quæ pars potissima est, infelici statu, & (vt dicam veriùs) casu, de vulneribus ac morbis, nonnulla quoque dicenda sunt. Proderunt ea nostri instituti primo fundamento, quod in animi demissione collocatur; magnique refert, eam de nobis opinionem

Humilitatis materies.

initio concipere, quam in progressu retinere deceat. Quod etsi intendam in primis; longè tamen magis hanc tractationē suscipio, vt Christi IESV extollam gloriam, merita deprædicem, eleuem nostra, hominumque confusionem oculis omnium obijciam, & cognoscat omnis caro, quia *non est aliud nomen sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri*; & vt *sine ipso factum est nihil*, ita sine ipso fieri nihil posse; gratiamque Dei esse vitam æternam. Dicat ergo aliquis: *Diues sum, & locupletatus, & nullius egeo*. Respondebitur sanè: *Nescis quia tu es miser, & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus*. Nec mirum; nam incidimus in latrones, qui nos despoliauerunt. Quid enim amisimus per lapsum primi parentis? magna profectò & multa.

Act. 4. *Ioan. 1.* *Rom. 6.* *Apoc. 3.* *Luc. 10.*

Omnes homines in primo parente & fuisse, & peccasse.

2. Nec difficile erit id nobis persuadere, si consideremus primum parentem non vt priuatum partes vnius singularis hominis agentem, sed vt caput generis humani causam corporis vniuersalis & membrorum singulorum sustinentem, si rem bene gerat, non sibi tantùm acquirere, sed & toti posteritati; & si infeliciter agat, id damno omnium, qui ex eo orientur, fieri. Vt enim qui causam reipublicæ alicuius tractat, legitimè ad hoc deputatus, ei, pro qua agit, vincit aut cadit: sic & primi parentes, à summo Principe caput Orbis constituti, causam ac veluti personam repræsentabant omnium qui aliquando futuri erant; & victores nepotibus vincebant, & lapsi filijs posterísque suis labebantur. Hoc ipsum D. Paulus testatur, cùm quærit peccati originem, in vno capite communem culpam reponens. *Sicut* (ait) *per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransijt, in quo omnes peccauerunt*. Ergo omnes peccauimus. Qua voluntate? nostra? nequaquam; nam hæc non erat: sed eius *in quo omnes peccauerunt*; quia omnes in illo, tamquam deputato legitimè qui communem ageret causam, deliquerunt.

Rom. 5.

Primum parentē peccando tria malorum genera incurrisse.
Luc. 10.

3. Quid demum amisimus, vnde pauperes, miseri, & miserabiles, cæci & nudi nuncupemur? Christus Dominus, qui malis his tamquam bonus Samaritanus præsens adfuit, & remedium attulit, aptissima similitudine declarauit, primum parentem, *cùm descenderet ab Ierusalem in Iericho, incidisse in latrones, qui despoliauerunt eum*. Hoc primum; addit &
1.
2. secundum, *eosdem* nempe *grauiter illum sauciasse:* accepit enim vulnera letalia quatuor in internis animi potentijs, in quibus præcipua vis ad
3. agendum consistit; tot denique plagis confixerunt, *vt abierint mortuo propemodum relicto*. Quæ tria si exposuerimus, facilè miserabilem statum, nuditatem, egestatemque nostram agnoscemus. Graphicè Iob de calamitatibus suis disserens, aptissima figura idipsum expressit. *Ego* (ait)
Iob 16. *ille quondam opulentus, repentè contritus sum: tenuit ceruicem meam, confregit me, & posuit me sibi quasi in signum: circumdedit me lanceis suis, conuulnerauit*

nerauit lumbos meos: non pepercit, & effudit in terram viscera mea. Hæc Iobo acciderunt, prospera fortuna in sinistram versa, repentè instar vuæ in torculari confracto, proculcato, ac detrito; omni bonorum expresso succo vi & pondere grauissimæ calamitatis. Sed quis hoc fecit? Respondet Iob: *Dominus dedit, Dominus abstulit; sicut Domino placuit, ita factum est.* *Irruit in me quasi gigas.* Sed quomodo eum aggreditur? tenet ceruicem eius instar inuasoris aut luctatoris, vt eum deinde prosternat ac confringat. Circumdedit illum iaculis & sagittis in eum contortis, & quidem ea copia, vt ijs infixis hispidus totus horresceret; quemadmodum esse solet, qui in signum & scopum propositus est: nec modò exteriùs extima cute dissecuit, intimis quoque vulneribus transfixit, lumbos ac renes traiecit; quid? imò fellis folliculum disrupit, & viscera discerpsit. Et vt oculis tangas, quod licet, & manibus, totus tabe & sanie, quæ ex felle per totũ corpus aspersa est, manat ac diffluit, intimísque visceribus morbisque fœdissimis putrescit. Denique *concîdit illum vulnere super vulnus*; quia mille complicatis malis afficitur, & infinitis concisionibus discerpta sunt ac dilacerata omnia. Qua, quæso, eloquentiæ maiore vi exprimi potuit parentis nostri infortunium? Latrones enim seu dæmones, eum aggressi, præstantissimum quod in eo erat, abstulerunt.

Iob 1. *Iob 16.* *Iob 16.*

Tria in ipso considerare possumus naturæ munera: vnum, quo ipsa natura constat; qualia sunt naturæ principia, ratio, facultates item seu potentiæ animæ, intellectus & voluntas: alterum, quod ex naturæ rationalis principijs oritur, nec cum brutis commune est; propensio nempe ad bonum consequendum, auersio, odium, atque abominatio mali: tertium, quod in primo parente toti generi humano collatum est, fuit iustitia; & ea quidem, quam parens in filios transfudisset.

Tria naturæ bona in homine. 1. 2. 3.

4. Hoc munus, si Dei scopum consideres, quo omnes homines ad beatam sui possessionem destinauit tamquam finem vltimum, naturæ statum ac limites excedentem, erat quodammodo connaturale. Non enim voluit Deus hominem in natura nuda consistere, vtque præter finem naturalem nihil præterea intenderet. Non ita; sed destinauit ad finem omnino supernaturalem; ideoque eum super naturæ statum ac condicionem eleuauit per gratiam & iustitiam, infusis vnà ijs virtutibus, quæ & intellectum ad rerum diuinarum cognitionem assequendam attollerent, & voluntatem ad agendum conformiter naturæ eleuatæ roborarent. Hæc gratia homines facit Dei filios; non modò quia Deus naturæ auctor est, sed auctor gratiæ & gloriæ, eaque nos adoptat in filios, ac progignit excellentiori ac sublimiori generatione, communicata nimirum naturæ suæ diuinæ participatione. De hoc statu ita scribit D. Petrus: *Quomodo omnia nobis diuinæ virtutis suæ, quæ ad vitam*

Hominis naturam ad supernaturalem statum initio eleuatam, nec in puris naturalibus consistere.

2. Pet. 1.

vitam & pietatem donata sunt, per cognitionem eius qui vocauit nos propria gloria & virtute, per quem maxima & pretiosa nobis promissa donauit; vt per hæc efficiamini diuinæ consortes naturæ. Hic status sanè non est naturalis, sed longè sublimior; aliumque finem, subsidia, facultatesque continet, quàm quæ natura sibi relicta suis functionibus exequendis requirit.

5. Ex his tribus muneribus duo propemodum sublata sunt: nam quæ naturam ipsam constituunt, eiusque proprietates emanantes, aduersarius non sustulit, nec potuit; sicut vltra substantiam temporalem, & corporis afflictionem, iubente Domino, diabolus Iobo nocere non valuit: sed facilis & propensus animus erat ad virtutis functiones, horrebat vitium, nec quidquam erat quod ordinem perturbaret. Hoc amisit; hoc torque, qui ex collo dependebat cum gratia & decore incredibili, spoliatus est. Tertium verò, cuius valor incomparabilis erat pretij, iustitia dicitur originalis, quæ & ipsum Adamum Deo gratum reddebat, & nos reddidisset; quę appetitum inferiorem, phantasiam, membraque omnia corporis subijciebat, ac vinciebat rationis imperio. Hæc omnino sublata est. Optimè dixit Iob: *Nudus egressus sum de vtero matris meæ, & nudus reuertar illuc.* Nuditatem in hanc lucis vsuram attulit Iobus, quam post præuaricationem expertus est Adam & Eua. Viderunt enim quòd nudi essent, & *fecerunt sibi perizomata*, ad tegendam nuditatem suam: nec modò se nudos viderunt, sed & senserunt se nudos; erant enim & priùs nudi quàm peccarent: & videbant, sed non sentiebant, infamem rebellionem; eam ideo quasi non videbant. Senserunt ergo in se dissolutam harmoniam ac ordinem quem gratia originalis conciliabat inter partes superiores & inferiores, *& aperti sunt oculi amborum.*

Iob 1. & 2.

Quibus bonis homo spoliatus sit.

Iob 1.

Gen. 3.

Ibidem.

Huic iustitiæ coniunctæ erant virtutes omnes, quibus vita spiritualis constabat, infinita dona cælestia, Dei singularis protectio, ius ad æternam beatamque hereditatem, vitæ immortalitas, carentia malorum omnium. His omnibus, vno infelici casu, spoliatus est primus parens. Nudus ergo erat Iob ex vtero matris egrediens corpore & animo. Hoc vulnus etsi inter quatuor alia non censeatur, funestissimum tamen est, origo & fons omnium malorum, quodque ad mortem inferendam sufficientissimum est. Id suo more neruosè D. Thomas ita declarat: *Per iustitiam originalem perfectè ratio continebat inferiores animæ vires, & ipsa ratio perficiebatur à Deo, ei subiecta. Hæc autem originalis iustitia subtracta est per peccatum primi parentis, & ideo omnes vires animæ remanent quodammodo destitutæ proprio ordine, quo naturaliter ordinantur ad virtutem; & ipsa destitutio vulneratio dicitur naturæ.* Hæc ille. Vt enim in regno aliquo, cùm Regi parent Principes, Prætores, alijque subordinati subditi, ac denique infimi, omnia regni munia optimè diriguntur, pax & quies in eo viget

D. Thomas 1. 2. q. 85. a. 3.

Simile.

viget, & ſanum illud reipublicæ corpus eſſe cenſetur; quòd ſi ordo ille tollatur rebellione aliqua inferiorum contra ſuperiores, regnum illud magnum vulnus accepiſſe dicitur, & interitui eſſe proximum: ita etiam perdita originali iuſtitia, quæ ordinem illum continebat, rationem ſubijciendo diuino imperio, & cæleſtibus donis perficiendo, ad rite decenterque mouendas continendasque vires inferiores, has quoque rationi ſubdendo, vt non rebellarent, promptiſſimè verò iuſſis parerent, perijt pax omnis, & vulnus naturæ inflictum eſt, quod ei mortem attulit.

6. Alia vulnera quatuor à Doctoribus cenſentur, de quibus ita D. Thomas: *Sunt* (inquit) *quatuor potentiæ animæ, quæ poſſunt eſſe ſubiecta virtutum: ſcilicet ratio, in qua eſt prudentia; voluntas, in qua eſt iuſtitia; iraſcibilis, in qua eſt fortitudo; concupiſcibilis, in qua eſt temperantia. In quantum ergo ratio deſtituitur ſuo ordine ad verū, eſt vulnus ignorantiæ: in quantum voluntas deſtituitur ordine ad bonum, eſt vulnus malitiæ: in quantū iraſcibilis deſtituitur ordine ad arduum, eſt vulnus infirmitatis: in quantum verò concupiſcentia deſtituitur ordine ad delectabile moderatum ratione, eſt vulnus concupiſcentiæ.* Hæc D. Thomas. *Vulnera quatuor homini inflicta. D. Thom. 1. 2. q. 85. a. 3.*

7. Sed de ſingulis aliquid dicendum eſt. Læſa eſt intelligendi facultas telo ignorantiæ & erroris, quamquam & error ab ignorantia oriatur, & tamen vulnus immane eſt. Cùm enim nihil clarius ſit, quàm Deum rerum omnium auctorem eſſe, cui cultus, honor, & amor debeatur; homines tamen ſibi Deos manibus fabricant, coluntq; vitulos, ſtatuas, imò & cacodæmones, nec verentur profiteri quod olim Iudæi: *Hi ſunt Dij tui Iſraël, qui te eduxerunt de terra Ægypti.* Singuli quoque peccatores ſibi genios efformant, quos ſequuntur & amant, quibus nihil eſt deformius: denique *dicunt bonum malum, & malum bonum*; *lætantur cùm malè fecerint, & exultant in rebus peſſimis.* Vulnus eſt, & eo deterius, quo minùs agnoſcitur; & non agnoſcitur, quia error eſt, & is ipſe ignoratur. *Vulnus primū in intellectu, idq; multiplex.* 1. *Erroris.* *Exod. 32.* *Prou. 2.*

Sed quis magnitudinem vulneris ignorantię ſine lacrymis explicet? Altum admodum eſt, & enorme. Infantia noſtra ac pueritia inſtar hinnuli capræ ſaltantis conſumuntur, & beſtijs ipſis in multis miſerabiliores ſumus; quod optimè D Auguſtinus obſeruauit. *Pulli* (ait) *etiam minutiſsimi & currunt, & matres agnoſcunt; nec ſugendis vberibus cura & ope admouentur aliena, ſed ea ipſi in maternis corporibus loco abdito poſita mirabili facilitate nouerunt. Contrà homine nato, & niſi ope nutrientis admotis labris papillæ vberis ingerantur, nec vbi ſint ſentiunt, & iuxta ſe iacentibus mammis magis poſſunt eſurientes flere quàm ſugere.* 2. *Ignorantiæ.* *Lib. 1. de pec. merit. & remiſ. cap. 38.*

Accedit fatuitas quædam ſubinde in adultioribus, de qua [a] ſuprà copiosè diximus; in alijs verò difficultas diſcendi tanta, vt malint igno- 3. *Fatuitatis.* a *Cap. 12.*

rantiæ pœna multari, quàm discendi laborem sustinere: nam, vt bene D. Augustinus, *Sine labore nihil scimus, discimus cum labore; & plerique sic discendi laborem fugiunt, vt malint in perpetuis ignorantiæ tenebris versari, quàm laborem subire ad discendum necessarium*. Adiungit: *Quid aliud indicat horrenda quædam profunditas ignorantiæ, ex qua omnis error existit, qui omnes filios Adam tenebroso quodam sinu suscipit, vt homo ab illo liberari sine dolore, labore, timore non possit?* Et hæc quidem illa sunt, quæ à studio cognoscendi homines deterrent.

Lib. 22. ciuit. cap. 22.

4. *Ignorationis finis vltimi.*

Sed ignoret homo plurima quæ in rerum natura abditissima existunt, vtinam saltem naturali lumine illico finem suum agnosceret! Ignorat homo miser finem suum, in cuius consecutione beatitudo consistit; & sic ignorat, vt numquam de eo cogitaturus sit, nisi diuinitus adiuuetur. Et quot inter fideles eum ipsum vel ignorant, vel planè, quid sibi velit, nesciunt! Maxima pars hominum ab ipso non dico fine supernaturali, sed vel à naturali aberrant turpissimè, eumque in rebus infamibus constituunt: cuius rei testes esse possunt & hominum viuendi ratio, & Philosophorum sententiæ variæ de summo bono, de quibus Augustinus disputat libris de ciuitate Dei. Quid autem miserius fingi potest ignoratione proprij finis, hoc est, veri & summi boni?

Lib. 19. ciuit. cap. 1. & seq.

5. *Ignorationis mediorum ad finem consequendum.*

Et quamuis multi finem illum non ignorent, cæcutiunt tamen in cognitione earum rerum, per quas ad beatam vitam perueniri potest; vt meritò credi possit, potissimam orbis, imò & fidelium, partem ignoratione rerum ad fidem vel Legem Dei seruandam necessariarum perditum iri.

6. *Ignorationis rerum agendarum.*

8. Sed & ea vtcumque cognoscant homines, quàm multa in particularibus negotijs occurrunt, de quibus dubitant an æquitati repugnent nécne! Quis enim est tam prudens, qui non sæpenumero hæsitet atque hallucinetur in deliberatione rerum agendarum, præsertim circa locum, tempus, modum, personas, aliasque circumstantias, vt sese vix possit resoluere? vnde non immeritò Sapiens, *Cogitationes*, ait, *mortalium timidæ, & incertæ prouidentiæ nostræ*.

Sap. 9.

7. *Ignorationis rerum naturalium.*

Nec mirum nos cæcutire in rebus spiritualibus; hæremus enimuero in rebus naturalibus, etiam ijs quæ sub sensus cadunt, aut quas naturali lumine assequi possumus. Cùm enim hominis proprium munus sit contemplari res omnes, & ex earum cognitione ad cognitionem conditoris ascēdere; & cùm insitum sit à natura incredibile sciendi desiderium: (*Omnes enim homines naturaliter scire desiderant*, vt Philosophus ait: quod M. Tullius alijs verbis exprimit elegāter; *Naturâ, ait, inest mentibus nostris incredibilis quædam cupiditas veri videndi*) tanta tamen est imbecillitas mentis humanę, vt ne formicę quidem naturam perfectè nouerit: quod Basilius, scribens ad Eunomium, probè declarat. Quapropter verè dixit

Arist. lib. 1. Metaph. Cicero lib. 1. Tuscul. quæst.

Basil. epist. 168.

dixit Ecclesiastes: *Cuncta res difficiles; non potest eas homo explicare sermone: & mundum tradidit disputationi eorum, vt non inueniat homo opus quod operatus est Deus ab initio vsque ad finem.* Quàm verò obscuram ac tenuem de Deo notionem acquirere possit humanum studium, testantur tot portentosæ opiniones Ethnicorum de natura Dei; qui eò vsque progressi sunt, vt etiam cepis & allijs diuinitatem attribuere non dubitarint. *Eccle. 1. & 3.*

9. Sed demus res omnes naturales alicui perspectas esse, & in philosophia naturali ipsum primum parentem aut Salomonem superare: nónne mirum est, verum tamen, quod ait [a] Hugo de S. Victore cum [b] B. Bernardo: *Multi multa sciunt, & seipsos nesciunt?* Ceteræ mentes Angelicę sese ipsæ cognoscunt perfectè; humana mens nihil minùs. Quid? non modò naturam suam, verbi gratia vnionem animæ cum corpore, modumque informationis, (quotusquisque enim est, præter eruditos, qui hæc nouerit?) compositionem item humorũ & temperamenti, numerum ossium, venarum & neruorum colligationes & compagem cum carne & ossibus, accretionis & decretionis, nutritionis ac generationis arcana, principũ partium officia, morborũ causas, & similia, sed ne quidem cogitationes suas, & actus quos elicit internos, capit ac discernit. *Delicta quis intelligit?* (ait Propheta) *ab occultis meis munda me.* Infelix omnino cõdicio, vt ille ipse, qui propria volũtate malè agit, non possit sæpe discernere an verè peccauerit, deliberatè consenserit; quantum, & quoties. Quî ergo fieri potest, vt ille vitã rectè instituat, & ęgritudinibus suis medicinã faciat, qui seipsũ non nouit, nec scit an & quo morbo laboret, & sæpe in morbi tuitione & peccati defensione sanitatẽ suam collocet?

8. Ignorationis sui.
a Lib. 1. de anima, cap. 9.
b Bern. de interiori domo, cap. 21. & 29.
Psal. 18.

Interea idem ipse, qui in suis delictis cæcus est, in alienis scrutandis oculatissimus est. Quod vitium, dupliciter deforme, vigere etiam inter eos, qui PERFECTIONI dant operam, affirmat [a] Chrysostomus. Talibus loquitur Christus, cùm ait: [b] *Quid vides festucam in oculo fratris tui, & trabem in oculo tuo non vides?* Inde data est occasio fabulę de duabus manticis, quarum anterior aliena vitia, posterior propria continet. *Sed non videmus* (inquit ille) *manticæ quod in tergo est.*

Vt nemo in sese tentat descendere, nemo;
Sed præcedenti spectatur mantica tergo!

Magna hæc miseria est: nam vitia propria cognoscere, semper est vtile, sæpe autem necessarium; aliena scrutari, vix vmquam vtile, sæpenumero noxium ac perniciosum.

9. Indagationis mali alieni.
a Lib. de compunctione cordis.
b Matth. 7.
Catullus in Scazonte.
Persius Sat. 4.

Accedit huic infirmitati alia non leuior: quòd inuiti, alienissimo tempore, subinde ridicula, ineptã, inania voluamus animo; & ea adeò sæpe sic hæreant, vt nulla ratione discuti ac obliterari possint. Deplorant hanc miseriam Patres sancti, quòd tẽpore orationis, cùm soli, minimè soli; & taciti, cum multis loquamur; eaque veniant in mentem,

10. Animi impotẽtes discursus.

Dial. contra Luciferianos, cap. 6. quæ ne cogitantes quidem inuenire possemus. D. Hieronymus, *Nunc*, inquit, *creberrime in oratione mea aut per porticus deambulo, aut de fenore computo, aut abductus turpi cogitatione, etiam quæ dictu erubescenda sunt, gero.* Fortè D. Hieronymus in persona aliorum loquitur. Augustinus in *Lib. 10. Confess. c. 35. in fine.* Confessionibus, *Cùm*, inquit, *in huiuscemodi rebus conceptaculum fit cor nostrum, & portat copiosæ vanitatis cateruas, hinc & orationes nostræ sæpe interrumpuntur ac turbantur, & ante conspectum tuum, dum ad aures tuas vocem cordis intendimus, nescio vnde irruentibus nugatorijs cogitationibus res tanta præciditur.* Hæc ille. Meritò itaque ait Apostolus: *Vanitati creatura* *Rom. 8.* *subiecta est non volens.*

II. *Corporis necessitates tempus ad agendum præripientes.* Addam denique, quòd, cùm mens nostra æterna sit, eique perpetua operatio deberetur, attamen quàm diu in hoc corpore est, ne mediam quidem temporis vitæ nostræ partem sibi potest vendicare: nam infantia ipsa in primis, & pueritia detrahenda, & tertia, decrepita ætas, quæ sæpe inepta est, & morbis continuis obnoxia; quibus ætatibus mens aut nihil aut admodum parum operatur. His iungendæ sunt noctes, quæ somno occupantur integræ. Refectioni corporis, & relaxationibus animorum, plures horæ, dies, & menses exiguntur. Necessitatibus alijs corporũ intercurrentibus lubenter homines indulgent liberaliùs. Quantulum ergo est, quod intelligentiæ ad opus suum relinquitur! quàm denique exiguum, quàm exile, si continuam negotiorum molem, importuni velut æstus fluxu ac refluxu, mentibus nostris inuectam consideres! Quid de Deo, de rebus æternis, de salutis suæ summa cogitanti supererit?

10. Ecce quot in vno vulnere tela confluxerint. Dicat ergo cæcus, miser, & miserabilis homuncio: *Ego ille quondam opulentus, cùm in honore* *Iob 16.* *essem, non intellexi; comparatus sum iumentis insipientibus, & similis factus sum* *Psal. 48.* *illis; repentè contritus sum.* Contendere cum Deo volui: temeritatis *Iob 16.* meæ pœnas luo. Et sanè longè impar eram tanto giganti: ipse sola manu tenens ceruicem meam, prostrauit & confregit me. Hinc, fracta ceruice, stupidus & cæcus euasi; *factus sicut equus & mulus, quibus non est* *Psal. 31.* *intellectus.* Philisthæi mihi oculos eruerunt, quia in Dalilæ sinu requies- *Iudic. 16.* cens aduersarijs fortitudinem meam exposui: cumque hostibus meis, qui in meam coniurauerant perniciem, essem ludibrio, posuerunt me sicut signum ad sagittam. Heu, quoties confixus sum vel in vnico capite! etsi mihi oculi mille, vix vnus superesset immunis à tanta segete telorũ, quæ densissimè aduersarij certa manu in me collinearunt. Hinc cæcus prostratusque iaceo, quærens lucem. En ergo alterum Iob, vndique confixum, vndique exulceratum. Huius ignorantiæ ac cæcitatis miseram condicionem exponit D. Augustinus. *Cùm magnum malum,* *August. in Psal. 9.* inquit, *homines putent oculorum cæcitatem corporalium, qua lux ista retrahitur;*

bitur; quantam ergo pœnam patietur, qui secundis rebus peccatorum suorum eò perducitur, vt non sit Deus in conspectu eius, & contaminentur viæ eius in omni tempore, id est, cogitationes & consilia eius immunda sint! & remedium adferens ait: *Totus mundus cæcus est. Ideo venit Christus illuminator, quia diabolus fuerat excæcator. Omnes cæcos nasci fecit, qui primum hominem decepit. Currant ad illuminatorem, currant, credant, accipiant lutum de saliua factum. Saliua quasi verbum est, terra caro est. Lauent faciem. Baptizamini, vt & illuminemini.* Hæc Augustinus. Sed tolerabile foret, si solus oculus esset saucius, voluntas quoque oppidò vulnerata est. *Lib. 50. hom. in hom. 43.*

CAPVT XVIII.

Ponuntur alia tria animi vulnera.

11. ET quidem intellectui inflictum vulnus, voluntati, quæ alioquin cæca est, non minùs officit, quàm si eodem ipsa fuisset telo confixa. Si enim à cæco ducatum tollas, in mille pericula præcipitas: aut si videnti lumen extinguas, vel auferas, non erit is cæco melior. At intellectus, oculus voluntatis est: & eodem telo, quo læsus est, sublatus est voluntati ducatus; lumen quoque sapientiæ extinctum, ne cęlestia videat. Quomodo ergo homo in rebus eligendis ac gerendis in mille pericula non ruet? duplici ergo oculo excæcatus est homo, naturali ac diuino. Etsi enim primus parens peccando fidem non amisit, nobis tamen amisit, omnesque eius filij cæci nascimur. *Voluntatis vulnera.* 1. *Amissio ductoris seu oculi tam naturalis quàm supernaturalis.*

12. Ad hæc innatus simul est amor sui, per quem ex eadem voluntate pulsus est amor Dei: & hic amor, quem φιλαυτίαν vocant, origo & fons malorum omnium est; eoque solo homo malus dicitur esse. *Nec aliunde bonus es*, ait Augustinus, *si bonus es; nec aliunde malus es, si malus es; nisi quòd vel bene vel malè amas quod bonum est. Nam omne quod est, bonum est: sed cùm illud, quod bonum est, malè amatur; illud bonum non est, & hoc malum est.* Hoc facit amor sui, qui omnia bona ad se trahit, & à fine, ad quem referre deberet, amantis auocat intentionē, generatque *carnis concupiscentiam, diuitiarum cupiditatem, & superbiam vitæ*; quæ tres filiæ amoris proprij, omnia vitiorum genera creant, eademque latissimè generatione propagant. De eo multa Patres: nec satis multa dici possunt, quia grauiori telo sauciari homo non potuit, aut voluntas profundiùs confodi; cùm & ipsum telum infausti amoris, tela noua in ipso vulnere proferat, vt voluntatem infinitis modis conuulneret. Vnicum audiamus Augustinum, ceteris omissis. *Quid (ait) amor ipse tot rerum vanarum atque noxiarum? ex quo mordaces curæ, perturbationes, mærores, formidines, insana gaudia,* 2. *Amor sui.* *Lib. de substantia dilect. c. 2. tom. 4.* *Amoris sui filiæ tres.* *Lib. 22. de ciuit. cap. 22.*

gaudia, discordiæ, lites, bella, insidiæ, iracundiæ, inimicitiæ, fallacia, adulatio, fraus, furtum, rapina, perfidia, superbia, ambitio, inuidentia, homicidia, parricidia, crudelitas, sæuitia, nequitia, luxuria, petulantia, impudentia, fornicationes, adulteria incesta, & contra naturam vtriusque sexus, tot stupra atque immunditiæ, quas turpe est etiam dicere, sacrilegia, hæreses, blasphemiæ, periuria, oppreßiones innocentium, calumniæ, circumuentiones, præuaricationes, falsa testimonia, iniqua iudicia, violentiæ, latrocinia, & quidquid talium malorum in mentem non venit, & tamen de ista vita hominum non recedit. Verùm hæc hominum sunt malorum; ab illa tamen erroris & peruersi amoris radice venientia, cum qua omnis filius Adam nascitur. Hæc Augustinus His quid addi poſſit, non video.

3. *Difficultas resistendi tentationibus, & bene agendi.*

13. Aliud voluntatis vulnus agnoſcimus in difficultate quam experimur tum in vitijs ſuperandis, tum in virtutum actibus exercendis. Res enim omnes pondere quodam in ſuum finem feruntur: & ea, quæ naturæ ſuæ conſentanea ſunt, arripiunt auidè, impedimenta omni vi, qua poſſunt, propellunt; & ad ea, quæ naturæ repugnant, ægre ac difficulter impelluntur: vt ignis ſurſum vergit, lapis deorſum, aër incluſus erumpit: denique hæc ſuo impetu euertunt moles grauiſſimas, quæ ipſorum fluxum motúmve præpediunt. *Simile.* Finis hominis naturalis, ſi voluntatem ſpectes, eſt, rationem ducem ſequi: & virtus ideo naturæ attributa, vt potentiam iuuaret, & ea cum voluptate ageret. Eſt ergo & virtus ſecundùm naturam, & vitium naturæ repugnat. Deberet igitur homo & libenter bene agere, & cum voluptate virtutem excolere, ægre ac difficulter ad vitia impelli. Id non experimur in nobis: nam & ægre vitijs repugnamus, difficulter iuſtitiam, clementiam, benignitatem exercemus, cum voluptate vitijs adhæreſcimus. Ergo læſa voluntas eſt, eiúſque natura ac condicio immutata. *Homines lætantur cùm malè fecerint, & exultant in rebus peßimis: bibunt quaſi aquam iniquitatem.*

Prou. 2. Iob 15. Simile.

Equi generoſi ſolo verbo gradiuntur, inſiliunt in hoſtem, freno ampliùs quàm calcari indigent: at aſini, atque equi degeneres, impelli debent ſubiectis calcaribus, minis, clamoribus; & vel tum quidem vix incedunt. Ergo deſunt vires, concidit animus, aut læſa gradiendi facultas. Nos certè equi degeneres ſumus tam in prima ætate quàm in adulta, quos multa præcepta, comminationes, pœnæ propoſitæ impellere debeant, cùm ad bene agendum, tum vt à vitijs coërceamur. De paruulis ita loquitur Auguſtinus: *Quid ſibi volunt multimodæ formidines, quæ cohibendis paruulorum vanitatibus adhibentur? quid pædagogi, quid magiſtri, quid ferulæ, quid lora, quid virgæ, quid diſciplina illa, qua Scriptura ſancta dicit dilecti filij latera eſſe tundenda, ne creſcat indomitus, domariq; iam duriùs aut vix poßit, aut fortaſſe non poßit? quid agitur his pœnis omnibus, niſi vt debelletur imperitia, & praua cupiditas refrenetur; cum quibus malis in hoc ſæculum*

Lib. 22. de ciuit. cap. 22. Eccli. 30.

sæculum venimus? Nónne hinc apparet in quid velut pondere suo procliuis ac prona sit vitiosa natura, & quanta ope, vt hinc liberetur, indigeat? Hæc ille. Quid verò significant maiora illa tormenta, quæ legum seueritas maioribus excogitauit; cruces, secures, patibula, rotæ, ignes, & alia id genus, nisi sæuitiam tantam omnino esse necessariam contra pronitatem humanæ voluntatis ad malum? nam tanta in abundantia vanæ cupiditatis, quæ sese prodit in pueris, huius lucis vsuram intramus, vt rarissimus ille sit, qui, si permittatur & viuere vt velit, & facere quod lubebit, non in ea facinora ac flagitia, quæ modò commemoraui, vel cuncta vel plurima prorumpat ac perueniat. Quanta profectò miseria illa erit, à miseria magna liberari non posse, nisi per aliam longè deteriorem ac maiorem miseriam ac calamitatem!

14. Hoc etiam magnum vulnus in voluntate latere perspicitur, quòd ea eius sit peruersitas, vt ad auctorem suum colendum, verum Deum, principium, ac finem suum, tardissima sit, etiamsi maiestatem suam Deus infinitis miraculis patefaciat; ad colendos verò falsos Deos promptissima, etiamsi de eorum diuinitate nihil omnino cognouerit. Certè Philosophi multi, *cùm cognouissent Deum*, ait Paulus, *non sicut Deum glorificauerunt*. Sed parum est: *Mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis*. Transeat, deterius est quod addit: *Volucrum, quadrupedum, & serpentium*. O incredibilem hominum dementiam! Hebræi quoque verum Deum per innumerabilia signa & prodigia cognitum leuissimè fastidiebant, & ad sacrificandum falsis Dijs etiam filios suos promptissimi accurrebãt. Quare Deus per Ieremiam exprobrat Iudæis inconstantiam in vero Deo colendo, cùm Ethnici in cultu falsorum Deorũ retinendo constantissimi essent. *Transite* (ait) *ad insulas Cethim, & videte; & in Cedar mittite, & considerate vehementer, & videte si factum sit huiusccemodi, si mutauit gens Deos suos; & certè ipsi non sunt Dij: populus verò meus mutauit gloriam suam in idolum.*

4. Propensio ad malũ, falsosq́; Deos colendos.

Rom. 1.

Psal. 105.

Ierem. 2.

15. Descendamus nunc ad vulnus tertiæ facultatis, quę appetitus dicitur irascibilis, & quidem in parte animę inferiori. Cùm enim hęc facultas homini data sit, vt imperãti rationi tamquam miles armatus in vsum spiritualis belli obediat, & sit quasi neruus quidam animi, vt loquitur D. Basilius, fortitudinem constantiamq́ue ac robur ad res bene & ordine gerendas tribuens; vulnus est quod plerumque accidit, vt imperium animę sponte inuadens, hominem penitus conuertat in feram, eumq́ue cogat impetu ferri, insilire, rabie vt canes affici, pungere vt scorpiones, mordere vt serpentes. Nascitur nobiscum ista pestis, & in ipsa infantia apparere incipit. *An*, inquit Augustinus, *pro tempore etiam illa bona erant, flendo petere etiam quod noxiè daretur; indignari acriter non subiectis hominibus; liberis, & maioribus, hísque à quibus genitus est, multisq́; præterea*

Appetitus irascibilis vulnera.

1. Fera barbaries.

Orat. de ira, quæ est hom. 10.

Lib. 1. Confess. cap. 7.

præterea prudentioribus, non ad nutum voluntatis obtemperantibus, feriendo nocere; niti quantum potest, quia non obeditur imperijs, quibus perniciosè obediretur? Ita imbecillitas membrorum infantilium innocens est, non animus infantium. Vidi ego & expertus sum zelantem paruulum: nondum loquebatur, & intuebatur pallidus amaro aspectu collactaneum suum. Hæc ibi.

2. *Negligentia in rebus ad salutem pertinentibus.*

16. Et quamquam ita sit, vt belluino more homo subinde sæuiat: graue tamen & illud vulnus est, quòd sæuiat rei noxiæ acquirendæ causa, aut certè transeuntis ac temporalis boni; in ijs verò quæ ad beatè viuendum cùm in hac tum in futura vita pertinent, negligentissimus sit. Cùm enim exploratum sit, huius vitæ beatitudinem in virtute perfecta sitam esse, & simul experiamur viam ad perfectam virtutem esse difficilem; ratio postulat, vt magno studio, animique contentione, in hanc rem incumbamus. Si namque, qui magnum studium adhibent, non sine labore perueniunt; quid fiet de illis qui nullum adhibent? Hîc ira, feruore, hîc contentione ac robore opus esset: sed ad hęc homo immobilis insensibilisque est. Accedit, quòd, cùm animam esse immortalem naturaliter cognoscamus, par esset, vt nihil sæpius, nihil diligentiùs, nihil maiori cum solicitudine tractaremus, quàm quid nobis sit euenturum post mortem. At contrà plerique hominum nihil minùs curant, quàm de virtutibus acquirendis, vel beatitudine sempiterna; &, quod magis est mirandum, ne in extrema quidem senectute, cùm certum est mortem longè abesse non posse, studium adhibere incipiunt ad procurandam salutem. Tanta videlicet obliuio, tantus sopor, tanta dementia genus humanum vitio primæ præuaricationis oppressit.

3. *Diligentia in quærendis temporalibus.*

Non ita se res habet in temporalibus lucris captandis, telumque nouum meritò vocauerim immoderatam hanc solicitudinem. Qui enim in veris & summis bonis quærendis supra modum negligentes sunt, ijdem in comparandis falsis, inanibus, ac fugacibus attentissimi. Quam calamitatem humani generis non solùm noster Ecclesiastes multis in locis deplorat, sed etiam Ethnicus ille, qui Satyras suas ita inchoauit:

Persius Sat. 1. *O curas hominum! ô quantum est in rebus inane!*

Lib. 22. de ciuit. cap. 22. Et quoniam (vt Augustinus ait) *desidia, segnities, pigritia, negligentia vitia sunt vtique quibus labor fugitur; cùm labor ipse, etiam cùm est vtilis, pœna sit*, ideo, siue labore desidiam vincimus, siue desidia laborem fugimus, semper miseri sumus.

Appetitus concupiscibilis vulnus.

17. Vltimum vulnus in appetitu concupiscibili reperitur, & vocatur concupiscentia; quæ post amissam originalem iustitiam soluta, contra spiritum pugnat assiduè. Hinc nascitur intestinum illud bellum, quod vsque ad mortem finiri non potest; ideo clamat Apostolus: *Infelix ego* *Rom. 7.* *homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Quantum autem imperium hic affectus in rationem acceperit, & contrà quàm debiles sint vires rationis

rationis aduersus impetum huius indomitæ feræ, testatur vita plurimorum adolescentum, qui tam immenso voluptatum turpissimarum incendio flagrant, vt pæne ad insaniam redigantur; testantur nouæ & inauditæ libidinum adinuentiones, quibus concupiscentia hominum longè superat cupiditates bestiarum; adeò vt Plutarchus, qui opusculum scripsit, *Quòd bruta ratione vtantur,* meritò aliud edidisset, quo demonstraret homines in bestias transformatos esse. Testantur ieiunia, vigiliæ, sacci, humi cubationes, spinarum aculei, aliaque id genus, quibus viri sancti tamquam armis cælestibus, vt hoc malum reprimerent, vtebantur; testantur denique horribiles tragœdiæ, quæ singulis ætatibus, & in omnibus mundi partibus, occasione carnalis concupiscentiæ acciderunt. Certè in Scripturis horrorem incutiunt, quæ de Samsone, Salomone, Dauide leguntur exempla: quorum primus fortitudine, secundus sapientia omnibus anteibat; tertius ad fortitudinem sapientiam quoque, sanctitatem, & pietatem planè singularem adiunxerat. Hæc de vulneribus.

CAPVT XIX.

Explicantur vndecim animi morbi.

18. DE morbis quoque animi aliquid dicendum est: quorum primum locum sibi facilè vendicat inconstantia quædam, instabilitas, & mollities animi, qua fit vt non possit quispiam diu in rebus arduis constans persistere: iam vult, iam non vult; vna eademque voluntas perpetua pugna ac contentione discinditur. Res ceteræ, siue superiores, vt Angeli; siue inferiores, vt pecudes; semper idem volunt aut nolunt; persequuntur bonum, malum fugiunt: homines verò rem eandem modò volunt, modò nolunt; modò neque planè volunt, neque planè nolunt. Placet adulterium, dicit incontinens; sed nolo, quia lex prohibet. Neque solùm pars inferior cum superiore, sed superior secum ipsa confligit. *Vnde hoc monstrum,* ait Augustinus, *& quare istud? Luceat misericordia tua, & interrogem, si fortè mihi respondere possint latebræ pœnarum hominum, & tenebrosissimæ contritiones filiorum Adam, vnde hoc monstrum, & quare istud. Imperat animus corpori, & paretur statim; imperat animus sibi, & resistitur.* item: *Ego cùm deliberabam vt iam seruirem Domino Deo meo, sicut diu disposueram, ego eram qui volebam, ego qui nolebam, ego ego eram. Nec plenè volebam, nec plenè nolebam: ideo mecum contendebam, & dissipabar a meipso; & ipsa dissipatio me inuito quidem fiebat, nec tamen ostendebat naturam mentis alienæ, sed pœnam meæ.*

1. Inconstantia.

Lib. 8. Confess. cap. 9.

Cap. 10.

19. Ægritudo animi altera est ipsa corporis nostri mortalitas, quę hebetat

2. Mortalitas corporis.

betat sensus, frangit animi robur, auocat à custodia & vigilantia, facit vt animo non possimus semper æquè excubare: *Corpus enim, quod corrumpitur, aggrauat animam; & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem.* Grauedinis huius causæ duæ assignantur: altera, corporis mortalitas ac corruptio; quæ etsi in fine ipso terminetur, omni hora tamen ac momento fit; serpitque sensim, sicut flamma oleum consumit; &, dum lucet, seipsam conficit. Altera causa, intima corporis animique consociatio, quæ multas vtriusque partis cogitationes ingerit. Hæ grauant ac deprimunt animum, & ad peccati lapsum inclinant multis solicitationibus; ex quibus cùm sese voluntas extricare non valeat, oppressa pondus sequitur. Compositio hæc ac coniugatio corporis & animi nobilis est quidem, sed contagiosa: vicinæ nimirum sunt partes. Harum altera alteri malum suum communicat: animus infirmus & languens corpus infirmum ac languidum facit; & corpus affectum, afficit animum, ac debilitat. Accedit, hominem ex nihilo procreatum esse. Quid nihilo infirmius? abyssus infirmitatis est, tendit & ducit ad mortem, redit in se, resoluitur in nihilum. *Abyssus abyssum inuocat.* Corpus morte ac corruptione, animus peccato, quo nihil inanius, dissoluitur. Nihil ergo mirum, si animus ex coniunctione morientis assiduè corporis morbum contrahat, & in peccatum propendeat.

Sap. 9. *Psal. 41.*

3. *Fastidium proprij status.*

20. Grauis etiam morbus est fastidium quoddam proprij status: magnum enim argumentum est corruptionis voluntatis humanæ, quòd nemo sorte sua contentus viuat, sed laudet diuersa sequentes. Id enim signum est ægritudinis manifestæ. Ceteræ namque res, si habeant quæ natura ipsarum requirit, facilè acquiescunt, neque mutationem vllam expetunt: ægrotantium verò proprium est, nunc vnum, nunc alterum velle; fastidire cibos, lectum; modò huc, modò illuc impatienter se conuertere. *Nos*, inquit S. Gregorius, *nati in huius peregrinationis ærumna, huc fastidiosi iam venimus, nescimus quid desiderare debeamus.* & infrà: *Fastidio ergo nostro tabescimus, & longa inediæ peste fatigamur.*

Hom. 36. in Euang.

4. *Quòd sine peccato viuere non possimus.*

21. Alia ægritudo est febris quædam spiritualis, quæ certis temporibus recurrit, etsi sani subinde videamur & simus. Ea est lapsus & relapsus in peccatum, quódque nemo sine peccato possit viuere: & quidem nemo, nisi Dei gratia renouetur, omnia peccata mortalia vitare potest; venialia verò nec renouatus quidem, nisi priuilegio singulari. Quare ita proprium hominibus videtur esse peccatum, vt vulgò dici soleat, Humanum est peccare: vti se quidam excusans,

Persuasit nox, amor, vinum, adolescentia; Humanum est. & alius:
——*Nemo sine crimine viuit.* item:
——*Vitijs nemo sine nascitur; optimus ille est,*
Qui minimis vrgetur. ——

Sicut ergo qui tertiana vel quartana laborat, internum quendam ignem fouet, qui ſubſtantiam ipſam depaſcitur; redit certis temporibus, mutat & nonnumquam horam paroxyſmus, præuenit vel ſequitur quaſi Euripus quidam fluens ac refluens; & miramur cur ita eueniat, cùm alijs temporibus homo ceteroquin propè ſanus ſit, cibus ſapiat, ambulet, multaque agat, quæ ante pauculas horas non poterat: & nos ita ſana mente & *in abundantia noſtra* ſtatuimus, *Non mouebor in æternum*; *Nemo me ſeparabit à caritate Christi, non tribulatio, non anguſtia, non gladius*; confitemur, proponimus, conſtituimus, & pæne vouemus; vix locum deſeruimus, omnino contraria propoſito verba, facta, deſideria fundimus, propoſiti immemores. Sunt & qui lacrymis vberrimis incontinentiam aliúdve nefas deteſtentur, velut ad illud numquam redituri. Durat hæc conſtantia breui tempore; & ſæpe miratur infirmus quî fiat, vt inſania illa & ſic redeat, & ſic deprimat animum, quem inuictum & infractum arbitrabatur. Magna hæc eſt voluntatis ægritudo, vt, cùm nemo peccare poſſit niſi velit, & nihil magis ſit in poteſtate hominis quàm velle, tamen non poſſit ſemper bene velle, & per hoc abſque omni peccato viuere.

Simile. *Pſal. 29.* *Rom. 8.*

22. Infirmitas alia eſt, quæ ex conſortio contagione quadam naſcitur. 5. Nec enim ſoli vitandi ſunt qui peſte laborant, ſed & qui ipſis adeſſe ſolent, & in eodem domicilio commorantur: & mundus domus quædam eſt, quę peſtiferos multos continet; & nos in eadẽ domo commoramur, infectis conuiuimus, cum ijſdem edimus, bibimus, & dormimus. Quî fiet ergo vt & aërem peſtiferum non hauriamus, & magno periculo vita noſtra ſpiritualis non laboret? Idcirco monet nos D. Ioannes: *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo ſunt. Si quis diligit mundum, non eſt caritas Patris in eo.* Quòd ſi cui deſit caritas Patris, ille ſanè admodum infirmus, imò mortuus eſt: *Qui* enim *non diligit, manet in morte.* Et D. Iacobus, *Adulteri*, ait, *neſcitis quia amicitia huius mundi inimica eſt Dei? Quicumque ergo voluerit amicus eſſe ſæculi huius, inimicus Dei conſtituitur.* Et D. Bernardus: *Periclitatur caſtitas in delicijs, humilitas in diuitijs, pietas in negotijs, veritas in multiloquio, caritas in ſæculo nequam. Fugite de medio Babylonis; fugite, & ſaluate animas veſtras.* Hæc ille.

Mundi illecebra. *1. Ioan. 2.* *1. Ioan. 3.* *Iac. 4.* *De conuerſ. ad clericos, cap. 30.*

23. Quid poſſint verò aliena conſilia, (qui alius morbus eſt) norunt 6. cùm plurimi priuati homines, tum florentiſſimæ reſpublicæ, quæ malignorum conſilijs præcipites corruerunt. In priuatis permouendis valet in primis parentum auctoritas, & eo magis, quo cariores ſunt; deinde magiſtrorum; denique familiarium. Illud autem ſupra modum mirandum eſt, non modò hebetes, ignaros, minimeque prudentes prauis conſilijs decipi, ſed & ſapientes ſubinde regi ab homine imperito, ab illo pendêre in omnibus; & ne quidem errorem ſuum videre etiam

Cõſilia praua. *1. Nocent priuatis hominibus.*

tunc, cùm in graues aliquot lapsus ignorantiũ consilijs inciderint. Sunt & nonnulli, qui nullius sapientis admittunt consilium, seipsos audiunt solos. Non est qui turpiùs peccet, quàm ij qui sapientes sunt apud semetipsos: & meritò *sapientia iustificata est à filijs suis*; putantes se esse sapientes, stulti in operibus suis deprehenduntur. Congerunt opes, ædificant palatia, excitant mausolea, testamenta scribunt, suo præclaro solùm vsi iudicio; quę cùm à morte cõsiderantur, carent executione, & effectum nullum sortiuntur. Morbus est, quo plerique mortalium laborant. Vt enim halitus pestilens afflatu respiranti virus ingerit: sic & consiliarij praui pestem animis & mortem adferunt. Idcirco Iob Deum rogabat: *Consilium impiorum longè sit à me*. Eorum enim os tetram exhalat mephitim: *Sepulcrum* enim *patens est guttur eorum, linguis suis dolosè agunt, iudicet illos Deus*. Idem accidit reipublicæ corporibus, cùm Principes improborum aut adulantium linguis nimium tribuunt. Iudæorum consilium fuit contra religionem: *Eamus, & disponamus testamentum cum Gentibus; quia, ex quo recessimus ab eis, inuenerunt nos multa mala. Et bonus visus est sermo in oculis eorum*. Ex hoc consilio totius religionis euersio consecuta est. Idem fuit consilium populi Israëlitici apud Ieremiam, qui in persona Domini ei exprobrat cum graui obiurgatione cultum idolorum. *Sermonem* (inquiunt) *quem locutus es ad nos in nomine Domini, non audiemus ex te, sed facientes faciemus omne verbum quod egredietur de ore nostro, vt sacrificemus Reginæ cæli, & libemus ei libamina*. Ex quo consilio ruina ingenti populus prolapsus est, abductusque in captiuitatem, terraque eius hostibus tradita. Quid ergo mirum, si in animo priuati hominis morbus ex malo consilio enascatur, cùm & regna, & prouinciæ, & religio ipsa funditus à prauis consultoribus impulsa corruant, & orbis terrarum vniuersus infinitis calamitatibus conficiatur?

Luc. 7. *Rom. 1.* *Simile.* *Iob 21.* *Psal. 5.* *2. Nocet rebus-publicis.* *1. Machab. 1.* *Ierem. 44.*

7. *Exempla malorum.*

24. Huc accedit septimus morbus, alienorum exemplorum, quę vim suadendi habent maximam. qui enim peccantes videt, in duos errores labitur: primùm namque aliter de ea turpitudine, quàm antea, iudicat; ipsaque deformitas peccantis vel nobilitate, vel scientiæ opinione, vel dignitate amicta, nouam formam omnino induit, aut certè magna ex parte speciosiorem. Alterum non minorem vim habet: cùm enim innocens animus arbitraretur fieri non posse, vt homines rem adeò exosam atque inuisam amplecterentur; summa verò facilitate, imò summo ardore ac studio in voluptates videat proruere; quod impossibile factu putabatur, id modò & possibile, & facile, & familiare, & vsitatum, & delectabile, & faciendum proponitur, & quidem efficaciter, & immenso quodam pondere, auctoritate nempe viri principis, sapientis, multitudinis. Plato non admittebat in sua republica Homeri libros, quòd

quòd tales Deos ac Deas fingeret, quales nemo filios aut filias ſuas eſſe vellet; nimirum ſceleribus multis obnoxios. Ideo quoque nos monet Moyſes: *Non ſequêris turbam ad faciendum malum, nec in iudicio plurimorum* *Exod. 23.* *acquieſces ſententiæ, vt à vero deuies.* & Eccleſiaſticus: *Qui ſe iungit forni-* *Eccli. 19.* *carijs, erit nequam. Putredo & vermes hereditabunt illum, & extolletur in exemplum maius.*

25. Omitto carnificinam illam perpetuam, (quæ octaua eſt infirmi- 8.
tas) quæ à carnis noſtræ incentiuis exoritur, non modò in ijs qui adhuc *Moleſta carnis incentiua.* peccatis ſeruiunt, ſed etiam in iuſtificatis hominibus. Affligit iuuenes, inſequitur adultiores; viros ac ſæpe decrepitos vrget; non parcit infirmis; dies noctesque tela ſua exacuit; ſanctiſſimis operibus inſiſtentes exagitat; orantes & tremenda Myſteria adeuntes perſequitur; à profanis locis ſancta ſanctorum non diſcernit; ingerit ſe impudenter ſerijs cogitationibus; vtitur ſenſibus externis ad expugnandum animum; formas rerum pulchriores obijcit; ea quæ nobis in ſolatium data ſunt, vertit in laqueum; illecebris ciborum, veſtium, opum, honorum, & quidquid mundus continet, languentem animum conatur allicere, tenere, atque inuoluere. Ecquis morbus grauior moleſtiorque iuſtis hominibus poteſt accidere? De hoc ita Auguſtinus: *Hanc pugnam non ex-* *Lib. de continent. c. 3. tom. 4.* *periuntur in ſemetipſis, niſi bellatores virtutum, debellatoréſque vitiorum. Non expugnat concupiſcentiæ malum, niſi continentiæ bonum.* Si ergo infirmantur continentes & iuſti, quid ni oppreſſi dicantur iniuſti? vnde addit Auguſtinus: *Sunt autem qui legem Dei omnino neſcientes, malas concupiſcentias nec in hoſtibus deputant; eisq́; miſerabili cæcitate ſeruientes, inſuper etiam beatos ſe putant ſatiando eas potius, quàm domando.*

Quòd ſi huic neceſſitati naturali acceſſerit impotentia conſuetu- 9.
dinis, quæ nona eſt ægritudo, & ab[a] Auguſtino quaſi ſecunda & quaſi *Conſuetudo impotens.* affabricata natura dicitur; quanta futura eſt calamitas! quis tyrannidi huic reſiſtet? Conſuetudinis malo difficilè reſiſtitur; vnde ait[b] S. Auguſtinus: *Vehementiùs vidua quàm virgo, vehementiùs meretrix, quando caſta eſſe voluerit, quàm quæ ſemper fuit caſta, confligit; & tanto ampliùs in ea ſuperanda volūtas laborat, quanto ei maiores vires conſuetudo dedit.* Non ergo
a Lib. 6. Muſica cap. 7. tomo 1.
b Lib. 6. contra Iul. cap. 7. impreſſ. antiqua, vel 8. edit. Plāt.
Iob immeritò queritur: *Circumdedit me lanceis ſuis.* Heu quot telis tota *Iob 16.* hominis anima transfixa eſt! *Conuulnerauit lumbos meos.* Quibus medicinam adhibens Dominus ait: *Sint lumbi veſtri præcincti.* & peritè qui- *Luc. 12.* dem: nam luxuriæ libidinisque ſagittis confixi, malagmate ac fomento caſtitatis indigebant. Addit Iob: *Non pepercit, & effudit in terram viſcera* *Iob 16.* *mea.* Non pepercit ſanè cruentus hoſtis, iniuriæ diuinæ vindex: effudit rabiem ſuam, & poſt necem mille vulnera inflixit, fuſaque ſunt hominis viſcera in terram, & omnem affectum, quem in Deum transferre ſolebat, terrenis amoribus implicauit.

10. *Dæmonis insidiæ ac impugnationes.* *1. Pet. 5.* *Gen. 3.* *1. Paral. 21.* *Luc. 22.*

26. Decimus morbus eſt, quòd traditi ſumus in poteſtatem principis tenebrarum, qui vel in paruulorum corpora ſubinde impetum facit, eosque miſerè vexat & cruciat; omnium verò mentes ſolicitat, mille nocendi vtens artibus; die noctuque *circuit, quærens quem deuoret*. Aggreſſus primos parentes, vndique etiam armatos vicit, primo quidem & facili congreſſu. *Conſurrexit ſatan contra Iſraël, & concitauit Dauid vt numeraret Iſraël*. Quid? & ipſum Dei Filium adorſus tertiò fortè viciſſet, ſi vinci potuiſſet. Adfuit extremis Chriſti temporibus, & petijt vt Apoſtolos cribraret ſicut triticum. Effecit aliquid: ſed Chriſtus pro Petro rogauit, vt non deficeret fides eius; ipſe tamen turpiter lapſus eſt, omnésque diſcipuli contra fidem datam relicto Domino aufugerunt. Denique Apoſtolus, depingens nobis eius naturam, fortitudinem, induſtriam, experientiam, *Induite*, ait, *vos armaturam Dei, vt poſsitis ſtare aduerſus inſidias diaboli: quoniam non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem & ſanguinem, ſed aduerſus principes & poteſtates, aduerſus mundi rectores tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitiæ, in cæleſtibus*. Nos caro ſumus & ſanguis, quibus nihil eſt infirmius; nam & caro tranſuerberari poteſt, & ſanguis fundi, & ſimul anima cum ſanguine: non ita aduerſarius; quia ſpiritus eſt immortalis. Singulis deinde noſtrûm pugnandum eſt, ac decertandum: hi infiniti ſunt nequam ſpiritus. Nos ſolitarij & deſerti: hi principes ſunt, quibus multi obediunt & obſequuntur. Nos imbecilles: illi poteſtates. Nos priuati: illi rectores. Videntes nos oppugnant: illi tenebrarũ rectores à nobis in tenebris abſconditi videri non poſſunt. Nos corporales ac palpabiles: illi carent corpore, vt tangi non poſſint, nec lædi. Nos ſimplices ouiculæ: illi ex omni nequitiæ ac malitiæ genere conflati. Nos in terra verſamur, nec fugæ locus relinquitur: illi in cæleſtibus, in aëre abſconditi auolant. Nos infernè deteriori ad pugnandum loco conſtituti: illi ſupra nos, capitibus noſtris imminent. Nos, qua forma nobis pugnandum ſit, ignoramus: illi & cominus & eminus pugnant; nec à nobis vel cominus vel eminus peti poſſunt, quia altiùs abſcedunt, quàm vt baliſtis vel tormentis tangi valeant; & quidquid cadit ex eorum manibus, in caput noſtrum certò deuoluitur. Genus hoc morbi crudeliſſimum eſt; nec curari ſanarique poteſt, donec veſtem hanc carneam exuerimus, & ſimiles ſimus Angelis Dei, qui in cælis habitant. Interea tamen quis euadet?

Antitheſis pulchra. *Marc. 12.*

11. *Inordinata affectiones natæ ex corporum intemperie.*

27. Quòd ſi his omnibus accedat vltimo loco inordinata quædam affectio, quæ ex varia corporum intemperie ac complexione naſcitur; quî fiet vt tam importunis vrgentibusque tentationibus & illuſionibus reſiſtat homuncio?

Ruffini Franciſcani tentatio grauis de prædeſtinatione.

Initio Ordinis B. Franciſci Ruffinus quidam, inſignis nobilitate, ſed nobilior virtute ac Religione, impugnatus grauiter animo eſt de ſua præ-

prædeſtinatione; ſuggerente cacodæmone,ipſum nempe ad beatorum ſedes deſtinatum non eſſe, fruſtraque Religionis officijs inſiſtere. Durauit oppugnatio hæc diebus pluribus; quibus mærore ac triſtitia abſorptus, propemodum victus eſt: pugnam nihilominus ſuam B. Franciſco detegere auſus non eſt; orationes tamen conſuetas minimè intermittebat. Auxit triſtitiam pæneque proſtrauit diffidentem animum dæmon, obiecta ſpecie Chriſti Domini in cruce defixi, atque dicentis: Quid, Ruffine, te minimè inter beatos deſtinatum pœnis precibusque fruſtra conficis? Mihi vtique,non filio Petri Bernardonis,in hac re credendum eſt: quamquam quid opus eſt vt ſuper hoc negotio iudicium illius exquiras? ego enim ſum Dei Filius; ego ſcio quos elegerim. Ipſe Franciſcus, tu, & quicumque eum ſequuntur, ad æternas pœnas damnati ſunt. Abiit pſeudo-Chriſtus,relictis ingentibus tenebris in animo Ruffini, magnáque à Franciſco alienatione; quem ideo celare omnia conſtituit. Sed cuncta,Spiritu ſancto auctore,didicit Franciſcus; qui, miſſo Fratre Maſſeo, Ruffinum accerſiuit ad ſe. At Ruffinus, Quid mihi, inquit, & Fratri Franciſco? Maſſeus,vir Deo plenus,maligni ſpiritus dolos agnoſcens, benignè Ruffinum increpat, Franciſci merita, ſanctitatem, beneficiaque ſibi ac mundo collata exaggerans: tandem expugnauit Ruffinum, & ſecum adduxit. Quem eminus conſpicatus Franciſcus, O Ruffine, inquit, cui credidiſti? Et ſeriem tentationis coràm retexens, monuit ne ſuggeſtionibus impij cacodæmonis in poſterum aurem præberet, dictisve nefariis acquieſceret: Chriſtum eſſe non poſſe, qui animum ab omni bono opere auocaret, qui ad deſperationem prouocaret; confiteretur ergo peccatum ſuum, nihil de orationis bonorumque operum ſtudio remitteret, fore vt moleſtia hæc in conſolationem verteretur. Ruffinus, videns & arcanas mentis cogitationes & dæmonis præſtigias detectas,reſoluitur in lacrymas,pernicioſi ſilentij à ſe pœnas expoſcit: demum, confirmatus animo, ad ſiluam iuxta Aſſiſium, vbi Cœnobiolũ rerum diuinarum commentationi opportunum erat, rediit. Oranti,& lacrymarum imbre perfuſo,pſeudo-Chriſtus iterum adfuit, dicens: Quid proderunt, Ruffine, lacrymæ ac gemitus? quid pœnæ quibus te crucias? Credis filio Bernardonis, qui ab æternis flammis te non eripiet. Cui Ruffinus, Aperi, inquit, os tuum; &, quamquam te Chriſtum deprædices, auſim in verbo Franciſci fæces meas in illud iniicere. Indignabundus dæmon diſparuit quidem, ſed montem lapideum inſtar tempeſtatis eleuauit, lapidumque ſeſe collidentium atque ignem inuicem excitantium tam horribili fragore detonuit,vt B.Franciſcus cum ſociis admirabundus ad prodigium conſpiciendum concurreret. Hîc Ruffinus demum manifeſtè aduertit ſe ab hoſte deceptum fuiſſe, rediitque ſecundò ad Franciſcum cum pudore;

S. Antoninus parte 3. tit. 24. cap. 7.

pudore; humique prostratus, & culpam fassus, solatio perfusus à Francisco est remissus, ac quietus demum remansit. Quodam die, dum orans maderet lacrymis, adfuit Christus Dominus, eiusque animum miro liquefecit amore, & adiunxit: Bene fecisti, fili, qui Francisco credidisti. Tibi Magister & Dominus tuus apparere volui; & hoc signum tibi erit, quia numquam de cetero tristis eris. Et benedixit illi, tanta dulcedine spiritus perfuso, mentisque eleuatione adeò absorpto, vt die nocteque illa, ad cælestia raptus, sui compos minimè esse videretur. Benedictioni respondit euentus: eam enim sanctitatē, vitæ innocentiam, & res diuinas contemplandi assiduitatem assecutus est, vt B. Franciscus de eo diceret, ipsum beatorum albo, etsi viatorem, adscriptum esse.

28. Ex his facilè colligi potest, quid possit homo viribus suis relictus, præsertim post casum, spoliationem, quatuor vulnera præcipuis animæ potentiis inflicta, animo denique toto tot morborum telis confixo. Denique, *omnia illa mala, si per Mediatoris gratiam non sanentur, omnino* PERFECTIONEM *excludere*, satis superque probatum esse videtur.

CAPVT XX.

Gratia Mediatoris IESV *Christi hominis vulnera morbosq́ restaurari, & ipsum* PERFECTIONIS *studio aptum idoneumq́ postliminio reddi.*

INFIRMVM vidimus; quæramus medicum: consideratis vulneribus, iisdemque letalibus, vel mortuum vel seminecem iudicauimus; quæramus saluatorem. Relictus est solus, prostratus: præteriit Sacerdos, nihil ei profuit; Leuita quoque eum prætermisit incurius: quid enim ageret? nec Lex, nec Prophetæ (vt exponit Augustinus) mortuum excitare potuerunt, ac sanare. Quæramus ergo Samaritanum, cui salus hominis cordi sit, qui vigilet, & ad quem longo tempore clamatum est: *Custodi me, Domine, vt pupillam oculi, sub vmbra alarum tuarum protege me.* Salutem enim nostram vni Christo IESV, Dei Filio, acceptam debemus. *In hoc sanè apparuit caritas Dei in nobis, quoniam Filium suum vnigenitum misit Deus in mundum, vt viuamus per eum.* Tulit namque infirmum, & iumento imposuit humanitatis suæ, & tamquam bonus pastor pro ouicula perdita animam suam offerens, eandem humeris incumbentem ad caulas gregemque reportauit. Sed læsus erat.

Luc. 18.
Lib. 3. Hypognost. contra Pelag. cap. 8. tomo 7.
Psal. 16.
1. Ioan. 4.

Primùm

Primùm vino vulnus abluit; ita enim medicorum iudicio fieri conuenit: asserunt enim vlcera ac vulnera vniuersa præterquam vino humectari aut etiam madefieri non oportere; nam vinum & purgat quàm optimè, & vulnus roborat, putredinemque abstergit. Oleo deinde perunxit: tum ne calor noxius irreperet; tum vt dolorem leniret, denique vulnus curaret, & sanitati moribundum restitueret. *Misericordiam & iudicium cantabo tibi, Domine*. Hoc est: Oleum & vinum vulneri meo infudisti. nam oleum misericordiam, vinum iustitiam designat. Nec priùs oleum infudit, quàm simul vinum haberet præ manibus. Mirabilis in Deo seueritas; qui ignoscere noluit, nisi Dei Filius pateretur. *Proprio Filio suo non pepercit Deus*, ait Apostolus, *sed pro nobis omnibus tradidit illum*. Hoc decretum prodidit ipse per Prophetam: *Propter scelus populi mei percussi eum*. Respuit namque Deus omnem aliam satisfactionem; nec acquieuit, donec Filius sese in iniuriæ compensationem offerret. Dicit hoc ipse Filius per Prophetam suum: *Sacrificium & oblationem noluisti; tunc dixi, Ecce venio. In capite libri scriptum est de me, vt facerem voluntatem tuam: Deus meus, volui*. Hoc vinum rigidè peccata Patrum veteris Testamenti abstersit: quot enim bella, quot plagas, quot cædes illis intulit! Non Deus misericordiarum tunc, sed Deus Sabaoth, Dominus exercituum illi nomen erat: imposuit tamen & oleum misericordiæ. Quid? & in vino posito misericordia magna relucet: nam emortuum hominem deserere atque à se proiicere poterat; & iustitiæ rigorem non homini, sed Filio suo imposuit. Ideo fortè Euangelista priùs oleum quàm vinum infudisse describit.

Hippocr. lib. de Vlcerib. art. 1.
Psal. 100.
Rom. 8.
Isaia 53.
Psal. 39.

2. Oleum istud è cælo nostris vulneribus allatum est, & ab æterno præparatum: designat enim, teste Basilio, Dei gratiam, medicamentum diuinum planè, ac naturam excedens, quo vulnera nostra curantur, oculi cæcorum aperiuntur, & famelici reficiuntur, dolores huius vitæ mitigantur, calor noxius carnalis cõcupiscentiæ extinguitur. Hæc omnia facit oleum: medetur morbis, lumen fouet, in cibum quoque assumitur. Sed corporibus oleum, animis gratia Saluatoris admouetur. Hoc gratiæ oleo omnia morborum sanantur genera: *cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, mortui resurgunt, pauperes euangelizantur*. En ergo reparandi hominem lapsum, pæneque depositum suscitandi, ratio.

Olei gratiæ notiones.
In Psal. 44.
Matth. 11.

3. Et, ne quis sibi quidquam attribuat, gratia inde sibi nomen desumit, auctore D. Augustino, quòd gratis & sine meritis detur; vnde à D. Paulo debito opponitur. [a] *Ei autem*, inquit, *qui operatur, merces non imputatur secundùm gratiam, sed secundùm debitum*. item: [b] *Si autem gratia, iam non ex operibus; alioquin gratia iam non esset gratia*. Vnde D. Augustinus: *Itaque, fratres carissimi, si vita nostra bona nihil aliud est quàm Dei gratia*,

Gratiæ nomen.
August. de Verb. Domini serm. 61. cap. 1.
a *Rom. 4.*
b *Rom. 11.*
Lib de gratia & lib. arb. cap. 8. tom. 7.

Vita æterna cur gratia dicatur. *gratia, sine dubio & vita æterna, quæ bonæ vitæ redditur, Dei gratia est; & ipsa enim gratis datur, quia gratis data est illa cui datur: sed illa cui datur, tantummodo gratia est; hæc autem quæ illi datur, quoniam præmium eius est, gratia est pro gratia, tamquam merces pro iustitia.* Vbi D. Augustinus & gratiam opponit meritis, & omnes prædestinationis effectus gratiæ attribuit, ratione primæ gratiæ, quæ gratis data est.

Gratiæ tres notiones. 4. Porrò singula Dei beneficia, tam ea quæ naturæ complexu continentur, quàm quæ ipsam excedunt, gratiæ nomen merentur; quòd
I. *Generalis.* *Epist. 95. post initium.* absque meritis nostris ac debito ea nobis diuina benignitas ac prouidentia largiatur, vti D. Augustinus, gratiæ diuinæ singularis patronus, declarat, dicens: *Quadam non improbanda ratione dicitur gratia Dei qua creati sumus, & de hoc tanto beneficio creatori nostro gratias agere debemus; vnde meritò & ista gratia dici debet, quia non præcedentium aliquorum operum meritis, sed gratuita Dei bonitate donata est.* Hæc ille. Et Sapiens eodem
Sap. 16. sensu loquitur. *Propter hoc* (inquit) *& tunc in omnia transfigurata, omnium nutrici gratiæ tuæ deseruiebat.* Itaque magna gratia est, quòd Deus prouidentia sua, tamquam mamilla quadam communi, vniuersum orbem alit.

2. *Gratia non indignis data.* Sunt quidem hæc, fateor, magna Dei dona; sunt tamen & alia Dei beneficia, quæ naturæ ordinem excedunt, quibus meritò proprium gratiæ nomen tribuitur; vt gratia originalis, gratia Christi humanitati
Ioan. 1. *Luc. 2.* *Psal. 44.* collata, ob quam dicitur *plenus gratia & veritate*; & Lucas dicit, gratiam Dei fuisse in illo; & Dauid, diffusam esse gratiam in labiis eius. Et hæc quidem gratis datur; quis enim sibi quidquam mereri potest dum non est? sed qui accipiunt, non indigni sunt. Tamen, quia de reparatione
3. *Gratia Christi Saluatoris indignis data.* hominis lapsi agimus, &, qui accipiunt, indigni accipiunt, imò pœnas & tormenta promeriti sunt; & quia etiam Christi merita extollere intendimus, tamquam salutis nostræ auctoris & assertoris; de iis beneficiis loqui constituimus, quæ & naturam excedunt, & indignis, perditis, ac meritò damnatis indebita sunt, Christique meritis conferun-
Rom. 3. tur: de quibus Apostolus, *Iustificati*, ait, *gratis per gratiam ipsius, per redemptionem quæ est in Christo* IESV. Non minùs euidenter idem Apo-
Rom. 6. stolus alibi idipsum declarat: cùm enim dixisset, *Stipendium peccati mors*; non adiunxit, Stipendium iustitiæ vita æterna; quod antithesis
August. in Enchir. cap. 106. & 107. requirere videbatur, & (auctore Augustino) sine dubio adiunxisset, si de homine ante lapsum locutus fuisset; sed addidit, *Gratia Dei vita æterna.*
Merita nostra gratia vocātur. Tametsi enim vita æterna sit merces operum, eam tamen gratiam appellare maluit sanctus Apostolus, vt intelligeremus ipsa etiam merita nostra esse Dei merita. Neque id solùm quòd sine Dei gratia nulla possunt esse liberi arbitrij merita, sed quia post Adæ ruinam noua quadam ac singulari Dei gratia liberandum fuit liberum arbitrium à captiuitate

uitate & seruitute peccati; quod per merita & gratiam Domini nostri IESV Christi factum est.

5. Præparatio verò gratiæ illius cœpit ab æterno Dei amore, quo nos ante mundi constitutionem dilexit: in cuius gratiæ laudem & gloriam nos à Deo prædestinatos esse atque electos in adoptionem filiorum, testatur Apostolus. *Prædestinauit nos* (inquit) *in laudem gloriæ gratiæ suæ.* Ex hoc amore, tamquam fonte, promanant cuncta illa beneficia vocationis, iustificationis, conseruationis, quæ in tempore accepimus: nam *quos prædestinauit*, ait Apostolus, *hos & vocauit; & quos vocauit, hos & iustificauit.*

Gratia æterna. *Ephes. 1.* *Gratia temporalis.* *Rom. 8.*

Itaque vocatio prima reparationis gratia est, ideoque primùm omnium constituit Apostolos, Prophetas, Doctores, quos instruxit gratia miraculorum, prodigiorum, dono gubernandi, dicendi copia, & quidem linguis diuersis; his tamquam opportunis & efficacibus præsidijs vocat, suadet, & allicit eos, quos inuitatos ad gloriam suam vult: quod testatur D. Paulus. *Diuisiones* (inquit) *gratiarum sunt, idem autem Spiritus. Et quosdam posuit Deus in Ecclesia primùm Apostolos, secundò Prophetas, tertiò Doctores, deinde virtutes, exinde gratias curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum.* Quæ quidem gratia donum est supernaturale, absque vllo debito ad aliorum spiritualem salutem præcipuè collatum. Verùm parum proderit Euangelij prædicatio, miracula, linguarum genera; nisi Deus internè iuuet peccatorem, vt vocantem audiat, excitetur, & surgat.

Gratia gratis data, & earum finis. *1. Cor. 12.* *Gratia gratis data quid sit.*

6. Et Deus internè prædicat, illuminat, mouet, vrget speciali quadam gratia; quæ aliud non est, quàm motio quædam diuina, qua homo ad operationes, quæ naturam eius aliquo modo superant, adiuuatur. Actio hæc Dei est excitantis, vocantis, solicitantis hominem, vt videat, sequatur, & faciat. Sicut si cui nobili & ingenuo suadeatur vt regnum Hispaniæ, vel Papatum, ad quem electus est, admittat: ita intimis motibus ad regnum cęlorum quærendum & capessendum, quod ab ęterno Deus electis suis præparauit, inuitat. Et hoc quidem actuale auxilium, ijs præsertim qui in statu peccati sunt, omnino necessarium est ad actus illos qui naturam superant, non autem ad eos qui naturæ vires non excedunt; quales sunt, intelligere, appetere res humanas.

Gratia specialis quid sit. *Simile.*

Excedunt verò vires naturæ omnino & absolutè actus virtutum Theologicarum, Fidei nempe, Spei, & Caritatis; quæ non acquiruntur per iteratos ac frequentatos actus, sed diuinitus in animam infunduntur.

Vires naturæ tria actuum genera superant. 1.

Excedunt quoque vires naturæ quædam, quæ ratione status peccati, aut infirmitatis, superari non possunt. Vt enim ægrotus ingentem molem eleuare non poterit absque alterius ope, quam tamen ipse

2. *Simile.*

idem, si sanus esset, facilè moueret: ita homo per peccatum debilitatus multa non potest sine auxilio speciali efficere, quæ tamen in statu innocentiæ facilè perfecisset. Talia sunt, heroica facinora aggredi, tentationibus grauibus resistere, & alia, de quibus statim dicendum erit.

3. Subinde vires nostras excedunt & alia quædam non omni ex parte, sed ratione alicuius circumstantię, modi, loci, temporis, personæ. Verbi gratia, incontinens in bona aliqua Religione facilè abstinebit à lapsu, quod præstare non poterit in conuictu perditorum adolescentum, vel in domo vbi occasio lapsus offerretur. Sicut enim qui loco opportuno stat, & vtraque manu vtitur, mouere potest grauem molem; quam sine auxilio non poterit, si incommodè ad eam impellendam stet, aut alteram manum impeditam habeat: ita poterit homo iustus præceptum aliquod diuinum facilè adimplere, si nulla grauior tentatio accedat; quod alioquin nullo modo sine auxilio speciali facere poterit. Ex his nouem potissimùm gratiæ specialis Prærogatiuas sancti Patres, salutem nostram gratiæ Mediatoris tribuentes, constituunt; quarum prima est: *Solis naturæ viribus, hoc est, sine speciali Christi gratia, omnia præcepta secundùm substantiam operis impleri non posse.* Diuina namque Scriptura docet, Legis obseruationem tribuendam esse gratiæ Christi. *Quod impossibile erat Legi,* ait D. Paulus, *in quo infirmabatur per carnem; Deus Filium suum misit in similitudinem carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum in carne, vt iustificatio Legis impleretur in nobis.* Innocentius primus, scribens ad Concilium Mileuitanum, hanc doctrinam confirmat. *Negantes* (ait) *auxilium Dei, inquiunt hominem sibi posse sufficere, nec gratia hunc egere diuina: qua priuatus, necesse est diaboli laqueis irretitus occumbat, dum ad omnia vitæ perficienda mandata, sola tantummodo libertate contendat.* Et Synodus Mileuitana, *Item placuit,* inquit, *vt quicumque dixerit ideo nobis gratiam iustificationis dari, vt, quod facere per liberum arbitrium iubemur, faciliùs possimus implere per gratiam, tamquam, etiamsi gratia non daretur, non quidem facilè, sed tamen possimus etiam sine illa implere diuina mandata, anathema sit.* Huius veritatis rationem adfert D. Thomas. Natura enim humana, per peccatum primi hominis deprauata, auersa est à Deo, & conuersa ad creaturas, & præsertim ad se. Proinde finem vltimum vel actu, vel habitu, vel certè propensione quadã, in creatura, non in Deo, constitutum habet. Quare vbi quæpiam agenda occurrunt, vel euitanda, ex fine illo præconcepto, quasi naturali quodam pondere, in malum propendet, ad bonum verò non nisi violenter rapitur. Quare vis quædam necessaria est, quæ & in contrarium nitatur, & efficiat vt animus perpetuò vigilet, præmeditetur, & contra propensionem & amorem proprium decertet. Quod moraliter esse impossibile, & ratio & experientia conuincit. Quòd si D. Augustinus affirmat, ipsum etiam hominem iustificatum,

Simile.

Gratiæ specialis Prærogatiuæ nouem.

1. Prærogatiua.

Rom. 8.

Epist. 93. inter epist. D. August.

Can. 5.

D. Thom. 1. 2. q. 109. a. 8.

Lib. de corrept. & gratia, c. 12.

ficatum, nisi is diuina gratia indeclinabiliter & inseparabiliter ageretur, ob naturæ infirmitatem sine dubio casurum; quanto nos id maiori ratione affirmare debemus de homine infideli, & qui solis vtitur viribus naturæ per peccatum corruptæ & vitiatæ!

7. Secunda Prærogatiua: *Nullum naturæ viribus mandatum seruari posse, si tentatio grauior incumbat; nec vllam tentationem veram ac vehementiorem humanis viribus posse superari*. Poterat quidem primus parens in statu naturæ integræ omne peccatum mortale vitare, poterat & veniale, & quidem ad longissimum tempus, sine gratia habituali; nempe de solo auxilio quod ad integritatem illius status pertinebat: illud enim sufficiens erat ad operandum totum naturæ bonum, & ad vitandum omne malum rectæ rationi contrarium. Res iam non ita se habet, in natura per lapsum debilitata ac corrupta: Scriptura namque diuina omnem victoriam in tentatione soli Deo solet tribuere. *Impulsus*, ait Dauid, *euersus sum vt caderem, & Dominus suscepit me. Ego dixi in abundantia mea, Non mouebor in æternum. Auertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus*. Suadet Christus quoque esse orandum. *Orate*, ait, *vt non intretis in tentationem*. & : *Cùm oratis, dicite, Et ne nos inducas in tentationem*. Orat & Regius Propheta: *Adiutor meus esto, ne derelinquas me*. Illud quoque Salomonis, *Sciui quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det*, ad tentationes pertinet; nam sine tentatione haud difficile est continere. Hinc D. Cyprianus, *Quando*, inquit, *rogamus ne in tentationem veniamus, admonemur infirmitatis & imbecillitatis nostræ; dum sic rogamus, ne quis se insolenter extollat, ne quis sibi superbè atque arroganter assumat*. & infrà: *Vt, dum præcedit humilis & submissa confessio, & datur totum Deo, quidquid suppliciter cum timore & honore Dei petitur, ipsius pietate præstetur*. Item Auctor operis imperfecti, *Sicut nauis*, ait, *fracto gubernaculo illuc ducitur, quò tempestas voluerit: sic & homo, diuinæ gratiæ auxilio perdito per peccatum, agit quod non vult, sed quod diabolus vult*. Denique Ambrosius, explicans illud Psalmi, *Hæc omnia venerunt super nos, nec obliti sumus te*; *Quis*, inquit, *est tam fortis, vt nequaquã in tentatione moueatur, nisi Dominus adiutor ei assistat?*

2. Prærogatiua. *D. Thom. 1.2.q. 109. a. 8.* *Psal. 117.* *Psal. 29.* *Matth. 26.* *Matth. 6.* *Psal. 26.* *Sap. 8.* *De orat. Dominica.* *Homil. 37. in Matthæum. Simile.* *in Psal. 43.*

8. Tertia Prærogatiua: *Longiori tempore tentationes etiam leues superari solis naturæ viribus non posse, quin interdum homo succumbat, & peccet*. Etenim homo cum solis naturæ viribus ita se habet ad leues impugnationes respectu longi temporis, sicut se habet cum auxilio speciali extra gratiam habitualẽ ad quasuis tentationes longo tempore superandas: verùm cum auxilio speciali extra gratiam non potest diu quasuis tentationes ita superare, vt non peccet; alioquin solis naturæ viribus posset homo diu esse sine peccato mortali, quod omnino Patribus improbatur: contingit namque non raró, vt longo tempore nulla grauior tentatio occurrat. *3. Prærogatiua.*

4. Prærogatiua. 9. Quarta Prærogatiua: *Multas esse tentationes adeò graues, vt illas homo sine gratia speciali ne ad breue quidem tempus superare possit, ita vt non succumbat*. Hoc Apostolus innuit, cùm ait: *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis*. Sunt ergo tentationes, quas homines suis viribus superare nequeunt.

1. Cor. 10.

5. Prærogatiua. 10. Quinta Prærogatiua: *Hominem destitutum interna iustitia, cum auxilio quod datur promiscuè, diu tentationibus non posse resistere, quin nouum peccatum mortiferum contrahat*. *Peccatum* (ait Ieremias) *peccauit Ierusalem, propterea instabilis facta est*. Quod D. Gregorius confirmat, cùm ait: *Peccatum si citiùs pœnitendo non tergitur, iusto iudicio omnipotens Deus obligatam peccatis mentem etiam in culpam alteram permittit cadere; vt qui flendo & corrigendo noluit mundare quod fecit, peccata incipiat cumulare*. Vt enim qui vel læditur, vel infirmatur, subitò labitur, ob vires deficientes vacillare cogitur pedibus; & sicut ille, cui caput malleo contusum, vertigine impellente in varia rapitur; vt denique ebrius, cui cælum terraque vertitur, huc illucque titubat; & hos omnes leuissima compulsio prosternit, facilè etiam capita, crura, aliasque corporis partes allidunt, ac sese grauiter sauciant: sic & his, qui letaliter peccant, vires illico ad consistendum subtrahuntur; caput seu ratio velut malleo tunditur ac turbatur; inebriantur, & non à vino; ad singula titubant, & res leuissima instabiles deijcit. Quàm malè ergo sibi prospiciunt homines, qui, peccato mortali admisso, confessionis ac pœnitentiæ remedia non statim arripiunt, in menses & annos differunt! vnde mirum non est, si infirmi in rebus agendis vacillent, & si sæpius in varia vitia labantur; si difficulter resurgant. Pulcherrima est comparatio iusti & impij apud Dauidem. Iustus depingitur tamquam arbor plantata secus decursus aquarum, quæ fructum suum fert in tempore suo, cuius folium vel vnicum non defluet; nulla ventorum vi euelli illa potest; stat & contra fluminis impetum. Quòd si arbor radicem adeò altam fixamque habeat, vt etiam folium fortissimè adhærescat; quanto magis ipsa arbor integra immota stabit! Ita iustus in bono per gratiam stabilitur, vt proficiat; &, nisi velit, deijci non poterit quibuslibet tentationum procellis. *Non sic impij, non sic:* comparantur enim puluisculis quos ventus proijcit à facie terræ, quia minima tentatione superueniente superantur.

Thren. 1.
Homil. 11. in Ezechiel. post med. & lib. 25. Moral. cap. 13.
Similia.
1.
2.
3.
Comparatio iusti & impij.
Psal. 1.
Ibidem.

11. Sed quid dicemus de homine iusto? certè verba illa Saluatoris, *Vigilate & orate, vt non intretis in tentationem*, quibus Apostolos hortatus est; & Paulus ad Philippenses, *Cum metu & tremore salutem vestram operamini*; satis indicant periculum nobis imminere, si præsidio Dei, quod inuocare monemur, careamus.

Matth. 26.
Philip. 2.

6. Prærogatiua. Est ergo Prærogatiua sexta: *Non posse diutius hominem iustum per habitus supernaturales in bono perseuerare, aut peccatum omne vitare mortiferum, sine*

Dei speciali auxilio. Quod Concilium Tridentinum his verbis determinauit: *Si quis dixerit iustificatum vel sine speciali auxilio Dei in accepta iustitia perseuerare posse, vel cum ea non posse, anathema sit*. Ardua enim res est in bono perseuerantia; magnaque moles, tot tentationum procellas, tot aduersariorum tela, tot machinas inuicto animo sustinere. Nec interni habitus virtutum sufficientes sunt, qui interdum admodum sunt remissi: & licet intensi forent, propensio tamen naturæ infirmæ, concupiscentiæ, ac prauorum habituum potentior est; nec agunt habitus ij nisi in hostem manifestum. Præuenit verò non rarò tentatio rationem; & eam pæne antè decussit, quàm aduertat ipsa, aut internis viribus vti possit. Vnde triplici nobis auxilio speciali opus est: primùm diuina protectione, qua Deus hominem custodiat, compescendo dæmonem, ne nos quantum velit & possit præstringat, néve opera nostra impediat: amoueat quoque diuina manus peccatorum occasiones, & impugnationes, cùm internas, vt concupiscentiæ fomitem; tum externas, quas mundus obijcit. [a] Sicut enim agricola semen terræ mandatum, ne ab auibus auferatur, custodire debet: ita Deus suam gratiam, semen quàm optimum futurorum operum cordibus nostris insitum, ne vel putrescat vel euanescat incuria, dæmonumque malitia auferatur, solicitè conseruet necesse est. Hinc D. Ioannes: *Omnis qui natus est ex Deo, non peccat; quoniam semen eius manet in eo*. Cuius vis à Deo conseruata valet plurimum tum ad tentationes propulsandas, tum etiam ad opera virtutum concepta exercenda. Alterum auxilium est diuina excitatio, qua Deus sanctis inspirationibus spiritum illuminat, & voluntatis pias affectiones & complacentias immittit; quibus illam excitat ac roborat, ad vincendas hostis insidias, & ad virtutem capessendam. Tertium est diuina cooperatio, qua Deus vt auctor gratiarum cooperatur ad omne opus bonum supernaturale, partim per auxilium præueniens, vt influxum habere possit in nobis; partim cooperando ipsis naturalibus potentijs, intellectui videlicet & voluntati, vt in opus supernaturale valeant influere. Et hæc cooperatio haud absimilis cooperationi naturali: pertinet tamen ad ordinem gratiæ, ac naturam excedit, estque omnino indebita.

Conc. Trid. sess. 6. can. 22.

Triplici auxilio opus esse ad opera bona facienda, & tentationes superandas.

1. *Ruardus Tapper. art. 7. de lib. arb. pag. 307.*

a *Simile.*

1. Ioan. 3.

2.

3.

Hæc tria, spectata infirmitate nostra, omnino illi necessaria sunt, qui infusis virtutum habitibus caret; homini verò iusto saltem primum & tertium, ad omnia opera supernaturalia, præter habitus infusos. *Nisi enim Dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt qui ædificant eam. Nisi Dominus custodierit ciuitatem, frustra vigilat qui custodit eam*. Deus enim domum ædificat, cùm mentem nostram vel ad iustitiam disponit, vel virtutum operibus fabricam attollit spiritualem; in quo notatur excitatio & cooperatio diuina: custodit verò, cùm dæmonem impedit, *Psal. 126.*

coërcet

coërcet tentationes: sine quibus auxilijs (vt exponunt Hilarius & Ambrosius) nos frustra ædificamus & vigilamus.

7. Prærogatiua. 12. Prærogatiua septima: *Non solùm hominem iustum sine auxilio speciali diutius non posse persistere in bono omnis virtutis, omniq́; tentationi resistere, quin turpiter labatur; sed ne in vna quidem tentatione, si sæpe recurrat, & ea notabilem difficultatem contineat.* Non opus est alia probatione, quàm ijs quæ de vulneribus & morbis animi, ac corporis complexione diximus: summa enim est humana fragilitas; quæ nisi iuuetur, quantumcumque habitibus fulciatur, haud dubiè stare non poterit.

2. Machab. 9. Philip. 2. 8. Prærogatiua. 13. Quid verò de viris perfectis dicam? Iustum est, omnem hominem subditum esse Christo; dignũ est, *vt in nomine* IESV *omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum.* Est ergo Prærogatiua octaua: *Neminem quantumcumque iustum atque perfectum, etiam cum auxilio speciali, quod ordinariè confertur, posse omnia venialia excludere longiori tempore sine priuilegio, etsi singula vitare poßit. Non intres in iudicium cum seruo tuo Domine,* ait Propheta; *quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens.* Apostoli idem fatentur: *In multis offendimus omnes.* &: *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.* Hoc enim priuilegium non peccandi post Christum Concilium Tridentinum soli beatæ Virgini tribuit, & decernit tribuendum. Ea est verò nostra fragilitas, quæ peccati fomite, ex insidijs adoriente, assiduè præuertitur, vt, si vel minimum adhærescat, mentem contaminet, vt nec excubare perpetuò, nec molestiam ferre constanter, nec se odisse adeò sapienter poßit, quin aliquid sibi indulgeat. Et verum est quod Sapiens scriptum reliquit: *Non est homo iustus in terra qui faciat bonum, & non peccet.*

Psal. 142. Iacob. 3. 1. Ioan. 1. Seß. 6. can. 23. Eccle. 7.

14. Vltima restat Prærogatiua, quæ summum habet momentum. Si adeptis gratiam perseuerantia in finem vsque decreta foret, vtique respirare liceret: at *non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei*; & iubemur *cum metu & tremore salutem nostram operari.* Cur ita? *Deus enim est* (subiungit Apostolus) *qui operatur in nobis & velle, & perficere pro bona voluntate.* Cùm autem alij perseuerent, non tamen ad metam vsque; alij & longo tẽpore, & vitam in iustitia finiant; alij denique paulo ante mortem conuersi, *consummati in breui multa expleant tempora*: primi perseuerare absolutè non dicuntur; illi maximè perseuerantes censendi sunt, qui Deo grati è vita recedunt, *siue hora tertia venerint, siue hora vndecima: quantumcumque manè vel serò quispiam veniat, & hinc decedat, nemo sine singulari Dei beneficio censendus est aut perseuerasse, aut in iustitia decedere.* Vt ergo in iustitia quispiam extremum vitæ diem claudat, singulari Dei beneficio indiget; quo diuina illa bonitas ita impedimenta omnia amoliatur, ceteraq́ue ita disponat, vt re ipsa talem exitum sortiatur. Vnde D. Augustinus, *Restat*, ait, *in his bonis vsque in finem perseuerantia; quæ*

Rom. 9. Phil. 2. Sap. 4. Matth. 20. 9. Prærogatiua. August. lib. de bono vel dono perseu. cap. 17.

quæ frustra quotidie à Domino poscitur, si non eam per gratiam suam in illo, cuius orationes exaudit, operatur. En prærogatiuæ gratiæ Christi specialis; sine qua non dico saluari, sed nec quidem bene agere, imò ne cogitare quidem diuina possumus.

15. De generali auxilio dicerem, nisi de eo nonnulla capite quarto, & quidem speciatim, dicta forent. Illud non omittendum, generale auxilium propriè ad ordinem superiorem virtutum non pertinere, sed dari à Deo, auctore naturæ, ad ea opera quæ per naturales potentias exercentur, & ad finem, qui cum natura proportionem habet, referuntur. In omnibus actibus concurrit, siue bonis, siue malis: nam in his quod materiale & positiuum, id & bonum est, & sine Deo cooperante fieri non potest. Et quamuis omni ex parte debitum non sit, est tamen debitum ex aliqua condicione. Cùm enim Deus res creatas extare & operari voluerit, æquum est vt eis non deneget auxilium, sine quo nec se ipsæ quidem mouere, nec omnino aliquid possent efficere. *Auxilium generale.*

16. Ex quibus omnibus difficile apparet, vt statuamus vtrùm maior occasio nobis prębeatur nosipsos demittēdi, perpensis cùm infirmitate nostra, tum infinitis peccatorum nostrorum meritis; an verò Christum IESVM, assertorem nostrum, diligendi, *cuius liuore sanati*, cuius doloribus & angustijs liberati sumus, cuius meritis gratiam consequimur, cuius morte viuificamur. Vtrumque sanè: & humiliari nos conuenit, & cum Paulo dicere, *Qui non diligit Dominum nostrum* IESVM *Christum, anathema sit*. Sed de gratiæ specialis officijs dicendum aliquid est. *Isaia 53.* *1. Cor. 16.*

CAPVT XXI.

Hominis superiores potentias gratia Mediatoris IESV *Christi ad diuinas operationes restaurari.*

17. PRIMVM gratiæ specialis officium in excitando hominis torpore versatur: & quia voluntas hominis cæca est, à mentis illuminatione orditur, & clamat: [a] *Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus*. Ipse enim est [b] *lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*: ostendit homini peccati fœditatem, virtutis pulchritudinem, vanitatem rerum pereuntium, celsitudinem diuinæ maiestatis, eminentiam scientiæ, immensitatem promissorum eius, pœnas impijs reseruatas, breuitatem & incertitudinem

Gratiæ specialis officia.
I.
Præuenit conatus nostros.
1. Illuminando peccatores.
a *Ephes. 5.*
b *Ioan. 1.*

vitæ nostræ; denique rationibus efficacibus suadet Deo parendum, ipsique esse seruiendum. Hanc lucem habuit filius prodigus, cùm ei venit in mentem patris sui & seruorum qui in eius ædibus abundabant panibus, & miseriam suam agnouit; quæ collata cum priori statu, quem habuerat olim apud patrem, expressit vocem illam: *Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo! surgam, & ibo ad patrem meum*. Denique victus tam salutari suasione, iuit ad patrem.

Luc. 15.

2. Illuminando iustos. *Psal. 42.*

Illuminat quoque iustos, Deoque caros, qui ab eo lumen requirunt, vti faciebat Dauid: *Emitte lucem tuam, & veritatem tuam*. & exauditum se fatetur: *Ipsa me deduxerunt, & adduxerunt in montem sanctum tuum, & in tabernacula tua.*

3. Consolando eosdem.

Visitat etiam subinde amicos suos, & incitat ad progressum in spiritu; simul solatur pusillanimes, vt magno animo institutum persequantur; memoriam præteritorum factorum refricat, & æterni præmij arrham summa cum voluptate coniunctam delibare facit.

2. *Voluntatem excitat: hinc gratia excitãs.*

Hæc simul voluntatem iuuant plurimùm; quæ cùm cæca sit, oculis intellectus & lumine gratiæ indiget. Et quamuis sit libera vt possit Spiritus diuini consilia ac suasiones repudiare, conuincitur tamen subinde intellectus, euidentia argumentorum, & promissorum diuinorum præstantia, rei obiectæ pulchritudine, vt ipsa voluntas summo desiderio in rem propositam ruat, diuina gratia eleuata ac subnixa. Nouit enim Dominus voluntatem inflammare, roborare, & ad rem aggrediendam perficiendamque commouere. Hæc omnia præueniunt actionem, & voluntatis determinationem, libero interea remanente arbitrio ad sequendum inuitantem, aut relinquendum.

3. *Eandem adiuuat: hinc gratia adiuuans, & eius officiũ.*

Quòd si sibi persuaderi permittat voluntas hominis, opus ad hoc illi est auxilio vlteriori, quod gratiam vocant adiuuantem. Huius officium est, voluntatem sic fouere, vt influere valeat in opus, & simul cum eadem coire. Nam & gratia sine potentia agere non potest, cùm sit actus vitalis; nec potentiæ ea, quæ superioris ordinis sunt, exercere sine auxilio gratiæ adiuuantis. Quod hac explicari potest similitudine. Semen non potest vnà cum humore terræ producere germen, nisi sol adiuuet. Gratia præueniens est quoddam semen diuinum; voluntas instar terrę, quæ illud recipit: opus hîc est auxilio solis. Vt ergo semen non potest vnà cum humore terræ producere germen, nisi sol cooperetur & adiuuet: ita etiam gratia excitans non potest vnà cum viribus voluntatis producere consensum, nisi Deus, sol iustitiæ, adiuuet & cooperetur illi gratię excitanti. Pertinet tamen gratia adiuuans ad gratiam pręuenientem: nam etiam posita gratia adiuuante, adhuc in potestate liberi arbitrij est consentire vel dissentire; vt velimus tamen ipsa est adiumento: ita enim precamur quotidie: *Actiones nostras, quæsumus, Domine,*

Apta similitudo.

Oratio Ecclesiæ.

adspirando praeueni, & adiuuando prosequere. Et D. Augustinus, *Quòd ad Deum*, ait, *nos conuertimus, nisi ipso excitante & adiuuante non possumus*. Diuus quoque Bernardus, *Conatus*, inquit, *nostri ad bonum & cassi sunt, si non adiuuentur; & nulli, si non excitentur*. Denique Concilium Tridentinum, *Disponuntur*, ait, *ad iustitiam, dum excitati diuina gratia, & adiuti, fidem ex auditu concipientes, liberè mouentur in Deum*.

Lib. 2. de pec. meritis, cap. 5.
Lib. de gratia & lib. arb. sub finem.
Sess. 6. cap. 6.

18. Si verò voluntas persuaderi sibi renuat, quod potest quidem; non deſuit tamen ex parte Dei studium, ac beneuolentiæ paternæ prolixa significatio: sed imputent sibi homines, quòd Deum ducem sequi noluerint; dicit enim [a] Iob: *Ipsi fuerunt rebelles lumini, nescierunt vias eius, nec reuersi sunt per semitas eius*. Excusari enimuero poterant nescientes vias eius, & quòd ideo per eius semitas minimè reuersi essent: sed iam excusari non possunt, quia rebelles lumini fuerint, quod ipsis illuxit. Dicit idem Iob: *Auferetur ab impijs lux sua*. Habuerunt ergo lucem: alioquin quomodo *sua*, si in eorum non erat potestate? fuit tamen, sed ea vti noluerunt. Hoc ipsum Christus confirmat. *Hoc est autem iudicium*, (ait) *quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quàm lucem. Omnis enim qui malè agit, odit lucem, & non venit ad lucem, vt non arguantur opera eius*. Christus erat lux mundi, & hanc lucem diffundebat in tenebris; erat in potestate hominum illam intueri; sed quia tenebrarum amabant opera, & ea videri nolebant, ideo lucem auersabantur. Non deerat ergo lux: nam *erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*. Quando dicit, *omnem*, neminem excludit; hinc D. Chrysostomus: *Si illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, quónam pacto tot homines sine lumine permanent? neque enim omnes Christum cognoscunt: quomodo ergo illuminat omnem hominem? Illuminat profectò quantum in ipso est: si qui autem sponte sua mentis oculis conniuentibus ad huius lucis radios aciem dirigere noluerunt, non ex luminis natura in tenebris perstiterunt, sed malitia sua, qui sponte tanto se dono indignos reddiderunt*. Sunt ergo homines quibus lux affulget, & tamen intueri nolunt.

4. *Eadem gratia sufficienter tantùm excitat subinde: hinc gratia sufficiẽs.*
a Iob 24.
1. Ex parte intellectus.
Iob 38.
Ioan. 3.
Ioan. 1.
Hom. 7. in Ioan.

19. Non desunt enim ex parte voluntatis diuini motus, Isaia Propheta teste. *Habitatores Ierusalem, & viri Iuda, iudicate inter me & vineam meam. Quid est quod vltrà facere debui vineæ meæ, & non feci ei? an quòd expectaui vt faceret vuas, & fecit labruscas?* Quid expectas, Domine? sine auxilio tuo non potest vitis vuas proferre. Respondet Dominus: *Quid debui facere vineæ meæ, & non feci?* Si enim gratia ad opera bona producenda defuisset; respondissent vtique Iudæi: Domine, plantasti quidem vineam, & ex ea fructum expectasti; sed debuisses etiam circa illam admouere quæ necessaria erant futuræ vindemiæ, & gratiam eorum animis instillare, sine qua fructum edere non valent. Sed quis id

2. Voluntatis excitationes.
Isaia 5.

respondere potuit, cùm Deus dicat se nihil prętermisisse eorum quæ ad cultum vineæ spiritualis pertinerent? sufficienter igitur moti homines à Deo sæpe refragantur, & se malunt quàm Deum ducem sequi.

Gratiam sufficientem omnibus dari.
Rom. 10.

Hæc gratia omnibus pro loco & tempore datur, nulli petenti negatur; & qui illam habet, Dei consilia ad effectum potest deducere, si velit: *Omnis enim quicumque inuocauerit nomen Domini, saluus erit*. En duo signa vniuersalia. Sufficiebat *Omnis*, sufficiebat *Quicumque*: vtrumque posuit; ne peccatores excludi, ne reijci Gentiles putentur. Nec solùm hîc gratia sufficiens promittitur, sed & efficax, & salus ipsa, ex illa promanans. Salomon verò amplissimè hoc explicat: *Misereris* (ait) *omnium, quia omnia potes; & dissimulas peccata hominum propter pœnitentiam. Diligis enim omnia quæ sunt, & nihil odisti eorum quæ fecisti: nec enim odiens aliquid constituisti aut fecisti. Quomodo autem posset aliquid permanere, nisi tu voluisses? aut, quod à te vocatum non esset, conseruaretur? Parcis autem omnibus; quoniam tua sunt, Domine, qui amas animas*. En quoties *Omnes*, *Omnia*, *Omnium* repetit. Et hos statuitur non odisse, sed amare; quos tamen non amaret, si vel gratiam negaret sufficientem, vel rite petenti efficacem recusaret. Vnde D. Ambrosius explicans illud, *Misericordia tua, Domine, plena est terra*; *Sol*, inquit, *iustitiæ omnibus ortus est, omnibus venit, omnibus passus est, & omnibus resurrexit: si quis autem non credit in Christum, generali beneficio ipse se fraudat; vt si quis, clausis fenestris, radios solis excludat*. Et D. Prosper, *Gratia quidem Dei*, ait, *omnibus iustificationibus principaliter præeminet, suadendo exhortationibus, mouendo exemplis, terrendo periculis, incitando miraculis, dando intellectum, inspirando consilium, corq́ ipsum illuminando, & fidei affectionibus imbuendo*. & infrà: *Quæ opitulatio per innumeros modos, siue occultos, siue manifestos, omnibus adhibetur: & quòd à multis refutatur, ipsorum est nequitia; quòd autem à multis suscipitur, & gratiæ est diuinæ, & voluntatis humanæ*. Hæc ille. Quare etsi antè diximus sine gratia Redemptoris in statu naturæ corruptæ mandata omnia impleri non posse, nec tentationes superari; ita tamen verum est, vt etiam certum sit ex parte Dei numquam deesse nobis gratiam, aut re ipsa & actu, aut certè in potestate nostra esse illam asciscere, quæ oranti, pulsanti, petenti non denegabitur. Hoc Concilium Tridentinum ita decernit: *Nemo temeraria illa & à Patribus sub anathemate prohibita voce vti præsumat, Dei præcepta homini iustificato ad obseruandum esse impossibilia: nam Deus impossibilia non iubet; sed iubendo monet & facere quod possis, & petere quod non possis, & adiuuat vt possis*. & capite decimo-tertio: *Nemo sibi certi aliquid absoluta certitudine polliceatur, tametsi in Dei auxilio firmissimam spem collocare & reponere omnes debent: Deus enim, nisi ipsi illius gratiæ defuerint, sicut cœpit opus bonum, ita perficiet, operans velle & perficere*. Hæc ibi: vbi euidenter gratiam nobis non deesse declaratur; & quamuis

Sap. 11.
In Psal. 118.
Lib. 2. c. 26. de Vocatione Gentium.
Sess. 6. cap. 11.
Ibidem cap. 13.

monentem ſubinde non ſentiamus, in poteſtate tamen noſtra eſſe ea media adhibere, quibus eam acquiramus, faciendo quod poſſumus, & orando vt Deus adiuuet infirmitatem noſtram. Deſumus verò nobis, cùm expectamus, donec Deus non rogatus nos impellat ad quę agenda voluerit.

20. Hæc gratia ſufficiens & eſt, & meritò appellatur. Non enim Deus ſemper mouet quantum poteſt; ſicut nec ſemper permittit aduerſarium nos premere quantum vellet & poſſet. Non tenetur deinde ſingulis Deus efficaciter ſuadere; magnaque nobis præſtatur gratia, quòd inuitemur ab eo, parato longè plura præſtare, ſi prima conſilia audiamus & complectamur. Nec iudicat Deus expedire æternis ſuis rationibus, ſemper primo quoque motu nos, ſine difficultate, magna adoriri, tentationes grauiſſimas propulſare: ſic enim multi, Deum huius beneficij auctorem ignorantes, ſibimet victoriam adſcriberent, Deum negligerent, ſpem in ipſo non reponerent, &, quaſi ab ipſo non dependentes, dicerent, *Manus noſtra excelſa, & non Dominus, fecit hæc omnia.* Sufficiens eſt, inquam: nam poſſumus cum ea bene agere, ſi velimus. Et licet cum ea ſola non agamus, non deeſt tamen nobis gratia ſimul ad petendum auxilium; & Deus paratior eſt ad nos iuuandos, & gratiam efficacem largiendum, quàm ipſi ſimus ad eam poſtulandum: paratus eſt enim omnibus inuocantibus ſe auxiliari, promouere concepta deſideria, denique victoriam de inimicis tribuere. Cùm enim varijs locis Propheta Dauid idipſum experientia doctus exprimat, dicens, *Sperent in te qui nouerunt nomen tuum, quoniam non dereliquisti quærentes te Domine; Ego autem in miſericordia tua ſperaui, exultabit cor meum in ſalutari tuo; cantabo Domino, qui bona tribuit mihi; Qui timent Dominum, ſperauerunt in Domino, adiutor eorum & protector eorum eſt*; tum maximè Pſalmo nonageſimo, qui quodammodo omnipotentiam ſperanti in Deo polliceri videtur; tegitur enim huiuſmodi *protectione Dei cæli*, hic verò illum ſcapulis incumbentem tuetur, circumdat ſcuto, ab infinitis malis liberat, ſternit à latere mille, à dextris decem millia, calcat aſpidẽ & baſiliſcum, leonem & draconem debellat, denique, *Clamabit ad me*, ait, *& ego exaudiam eum; cum ipſo ſum in tribulatione; eripiam eum, & glorificabo eum*: vult tamen in hiſce omnibus inuocari, in ſe ſperari, alioquin nihil dabit.

Cur gratia ſufficiens vocetur.

Deut. 32.

Pſal. 9.

Pſal. 12.

Pſal. 113.

Pſal. 90.

Sperantem in Domino eſſe quodammodo omnipotentem.

21. Non tamen ideo abbreuiata eſt manus Domini; vt non poſſit, cui voluerit, eam gratiam immittere, quæ non tantùm ſufficiens ſit, nihil verò efficiat, nihil operis ſequatur; ſed ſic ſuadeat, vt perſuadeat; non quidem applicando potentiam ad opus, ſed efficacibus rationibus inflectens liberam potentiam ad ſequendum, conſiliumque amplectendum, quod à Spiritu ſancto ſuggeritur. Differt enim à ſufficienti: quòd gratia

5. *Aliquando mouet efficaciter: hinc gratia efficax.*

Differt à ſufficienti.

gratia *sufficiens* ea sit, qua Deus hominem vocat & excitat, & iuuare dirigendo, protegendo, cooperando paratus est, vt reuera possit ille qui sic excitatur, vocatusque est, velle credere, velle conuerti, velle bonum aliquod præstare, tamen reipsa nihil sequitur, id est, non vult credere, conuerti, aut bonum illud præstare; *efficaci* verò Deus ita hominem vocat, excitat, & iuuare dirigendo, protegendo, cooperando paratus est, vt infallibiliter reipsa velit ipse, qui sic excitatur & vocatur, vt reipsa credat, conuertatur, bonum faciat. Ita vocatus est Matthæus, Paulus, Zachæus, Magdalena: vnde mirum non est, si Apostolus dixerit, *Gratia Dei sum id quod sum*. De hac gratia idem Apostolus toto capite nono Epistolæ ad Romanos disputat, cùm exponit, reprobatis Iudæis Gentiles ad fidem vocari, ostendens ex vna Rebecca duos filios natos, de quorum altero dicitur, *Iacob dilexi*; &, *Maior seruiet minori*; adferens & illud Moysis, *Miserebor cuius miserebor, & misericordiam præstabo cuius miserebor*. Denique, *O homo*, ait, *tu quis es, qui respondeas Deo? Numquid dicit figmentum ei qui se finxit: Quid me fecisti sic? An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam?* Denique exclamat: *O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius!* De eadem D. Augustinus, *Ex quo*, ait, *apparet, habere quosdam in ipso ingenio diuinum naturaliter munus intelligentiæ, quo moueantur ad fidem, si congrua suis mentibus vel audiant verba, vel signa conspiciant*.

1. Cor. 15. — Rom. 9. — Gen. 25. — Exod. 33. — Rom. 9. — Rom. 11. — Lib. 2. de bono vel dono perseuer. cap. 14.

22. Efficacia tamen illa non consistit in præmotione voluntatis, quæ eandem physicè determinet: quis enim locus libertati relinqueretur? prædeterminare etenim terminum sonat, opponitur verò esse in termino, & liberè agere; nam libertas designat actum nondum inchoatum, determinatio verò voluntatem applicatam ad agendum, & iam reipsa agere: vnde in actionibus instantaneis non tantùm actus erit inchoatus, sed etiam terminatus ac finitus, antequam voluntas libertate sua vti possit; eritque in termino ad quem, cùm esse debeat in termino à quo. Est enim libertas terminus à quo libera actio manare debeat: Deus verò conuenienter naturis rerum sese accommodat, & homines trahit eo modo quo solent homines trahi, inuitando & alliciendo ad consensum eliciendum. quod Augustinus pulcherrima comparatione persequitur. *Ramum viridem* (inquit) *ostendis oui, & trahis illam; nuces puero demonstrantur, & trahitur. Si ergo ista, quæ inter delicias & voluptates terrenas reuelantur amantibus, trahunt, quoniam verum est, Trahit sua quemque voluptas; non trahit reuelatus Christus à Patre? Quid enim fortiùs desiderat anima, quàm veritatem?* Hæc ille. Vnde patet efficacitatem gratiæ non in dicta præmotione voluntatis consistere; sed quòd Deus eo modo trahat atque alliciat, quo nouit voluntatem secuturam. quod

Tract. 26. in Ioan. Apta similitudo.

D. Augustinus expressit his verbis, suprà citatis: *Si congrua suis mentibus vel audiant verba, vel signa conspiciant*. Nouit enim Deus cuiusque arbitrij vires; quibus si accedat gratiæ congruæ subsidium, voluntas hominis infallibiliter, liberè tamen, inuitantem sequetur.

Efficacis gratiæ effectus sunt duo: facit enim vt *velimus*; efficit item, vt, quod voluerimus, *impleamus*. Illa vocatur gratia *operans*, hæc *cooperans*; de quibus Augustinus, *Ipse, vt velimus*, inquit, *operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens*. & infrà: *Sine illo, vel operante vt velimus, vel cooperante cùm volumus, ad bona pietatis opera nihil valemus*. Hæc autem nolim quispiam sic intelligat, vt, cùm D. Augustinus gratiam operantem nominat, velit solum Deum operari, & non simul potentiam humanam cooperari: non enim Deus potest se solo velle in nobis sine nobis, ac supplere seipso actum formalem; sicut etiam nequit efficere vt sine albedine per ipsum paries albescat; nam velle, & operari, formaliter est actus vitalis. Operantem vocat gratiam, quæ à præueniente, disponente, & excitante absque hominis opera, distinguitur, & reipsa incipit operari; ceterùm cooperatur & voluntas hominis, quę operari aut incipere non posset ex se, sine Dei gratia adiuuante & simul operante. Cooperantem verò vocat, quæ post velle, seu resolutionem, totum opus cum voluntate perficit. Addo gratiam operantem ab opere, quod efficit, denominari, suppresso respectu ad potentiam quæ cooperatur; sicut & voluntas interdum operans dicitur, etiamsi gratia cooperante indigeat: alioquin gratia operans, quæ sine voluntate agit, non ad opus, sed ad gratiam excitantem pertinere videretur.

Gratia efficacis effectus duo.

Lib. de gratia & libero arbit. cap. 17.

1. *Gratia operans quid.*

2. *Gratia cooperans.*

Ex his videre est, qua ratione diuina bonitas infirmas animæ nostræ vires restaurare incipiat, & quidem ante iustitiam: quomodo verò post adeptam sanctitatem easdem perficiat ac restauret, iam videbimus.

CAPVT XXII.

Animam hominis, tum in ipsa essentia, tum in potentijs, nobilißimis gratiæ ornamentis illustrari.

Gratia habitualis tituli.
I.
Vestis seu habitur vocatur.
Iob 1.
Esaia 53.
Gal. 3.
Rom. 13.
Ephes. 4.

23. QVÆ hucusque diximus, omnia iustitiam solent præcedere; nihil verò de gratia illa, quæ animæ essentiam exornat, diximus. Eam vocant sancti Patres vestem quandam diuinam, qua animæ essentia vestitur. Vt enim filij Regum prætexta induuntur, qua ab alijs distinguuntur: ita qui filij Dei sunt, per gratiam inhærentẽ, vestem accipiunt, qua à filijs perditionis discernuntur. Dicebat Iob: *Nudus egressus sum de vtero matris meæ.* Certè, vt nuditatem corporis omittamus, nudus erat animo, vestem nullam habebat; nam originalem perdiderat: quod & singuli nostrûm dicere coguntur; solus ille vestitus in mundum intrauit, qui ex virgine natus est, Spiritus sancti virtute conceptus. At qua veste? vtique villosa; erat enim Agnus: & cùm in passione tonderetur, (*sicut enim agnus ad occisionem ductus est, & coram tondente se obmutuit*) Spiritus sanctus vellus lanamque collegit, meritaque eius contexuit, & vestes innumeras confecit ijs vestiendis, qui filij Dei futuri erant; & quia ij Regis æterni filij, purpureas eiusdem Agni sanguine reddidit. Hinc Apostolus ait: *Quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis.* vellera nimirum diuini Agni. Hortatur nos idem: *Induimini Dominum* IESVM *Christum.* &: *Exuite veterem hominem, & induite nouum, qui secundùm Deum creatus est in iustitia, & sanctitate veritatis.*

Gratiam habitualem esse in essentia anima, & dare vita spirituali esse diuinum, & ex ea oriri habitus.

Et meritò vestis vocatur, quia habitus est inhærens animæ, non in motu quodam transeunte consistens, sed nouum quoddam animæ esse superaddens, quod à natura habere nullo modo potuit. Vt enim anima dat esse naturale corpori, & ex ipsa potentiæ fluunt, quæ sunt actionum instrumenta; sic & gratia, quæ anima quædam est spiritualis, & spiritus supernaturalis, dat esse animæ supernaturale, & ex ipsa quodammodo fluunt virtutum infusarum habitus, qui sunt principia proxima operationis supernaturalis. Vt enim in rebus naturalibus distinguuntur tria, esse, posse, & operari; quorum tertium à secundo, & secundum à primo dependet: sic & in rebus supernaturalibus distinguenda sunt tria; esse quod habetur per gratiam, posse quod habetur per virtutes infusas, & operari, quæ sunt ipsæ actiones, verbi gratia, Fidei, Spei, Caritatis, & aliarum virtutum. Hinc D. Dionysius Areopagita scribit, hominem non posse diuina operari, nisi priùs adeptus

Lib. Eccles. hierar. c. 2. part. 1.

adeptus fuerit statum siue esse diuinum: sicut & nos opera humana non antè operari incipimus, quàm homines esse cœperimus. Eodem modo opera & habitus diuini præexigunt esse diuinum: est enim habitus, auctore Philosopho, *dispositio perfecti ad optimum*. Perfectum autem id vocat, quod est dispositum secundùm naturam. Quare cùm natura humana non sit ex se disposita ad opera supernaturalia, neque ad ea naturalem propensionem habeat; necessariò exigitur aliquid, quod eleuet & supernaturaliter perficiat naturam humanam, vt in eam habitus supernaturales infundi queant: & ea gratia est, quæ animæ essentiam exornat, nouoque quasi spiritu induit. Id insinuat D. Paulus, cùm ait: *Quis enim hominum scit quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est? ita & quæ Dei sunt, nemo cognouit, nisi Spiritus Dei. Nos autem non spiritum huius mundi accepimus, sed Spiritum qui ex Deo est*. & Ioannes ait: *Quod natum est ex carne, caro est; & quod natum est ex Spiritu, spiritus est*. Quod nascitur, accipit nouum esse.

Arist. libro 7. Phys. text. 17.

1. Cor. 2.

Ioan. 3.

2. *Gratia est forma animæ, seu vita spiritualis.*

Hic ergo spiritus est diuinum illud esse, quod Spiritus sanctus generat in nobis; & quodammodo forma dici potest animæ. Vt enim corpus sine anima mortuum est, & viuum informari ab anima dicitur: sic & anima quadam notione quasi corpus quoddam mortuum est, dum hac vita destituta est; & spiritus Dei, seu gratia & affectio inhærens, forma suo modo æstimari potest. Vnde D. Iacobus: *Sicut corpus sine spiritu mortuum est, ita & fides sine operibus mortua est*. Si fides, quæ donum est supernaturale, mortua est, id est, informis est, sine caritate; quanto magis anima sine gratia informis erit! nam opera ista à gratia inhærente procedere necesse est, sine qua nulla vitalia opera (de quibus ait Apostolus) manare possunt ab anima, vtpote mortua & vitæ experte.

Iac. 2.

3. *Anima vita gratia appellatur.*

Est ergo gratia vita animæ; & Spiritus sanctus, à quo nobis spiritus Christi diffunditur, [a] spiritus viuificans appellatur. Gratia deinde nos Dei filios efficit; vnde D. Petrus: [b] *Renati non ex semine corruptibili, sed ex incorruptibili, per verbum Dei viui*. & [c] D. Iacobus: *Genuit nos verbo veritatis, vt simus initium aliquod creaturæ eius*. Et quia filij, diuinæ naturæ participes efficimur; eiusdem enim naturæ sunt pater & filius: hinc [d] D. Petrus *consortes* nos esse asserit *diuinæ naturæ*. Quid mirum? nam [e] *filij Dei sumus, & nondum apparuit quid erimus*.

a *In Symbolo Nicano.*
b *1. Petri 1.*
c *Iac. 1.*
d *2. Petri 1.*
e *1. Ioan. 3.*

4. *Nos per gratiam Deo caros effici.*

Ex hac gratiæ adoptione sequitur, nos Patri nostro dilectos esse; vnde [f] D. Ioannes ait: *Cùm dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos*. Certè ij erant sui, quos genuerat verbo veritatis. Et idem Ioannes hortatur nos [g] vt *diligamus Deum, quoniam prior dilexit nos*.

f *Ioan. 13.*
g *1. Ioan. 4.*

5. *Filij efficimur, & heredes.*

Gratia nos heredes regni cælestis adscribit: nam *si filij, & heredes; heredes quidem Dei, coheredes autem Christi*. licet addat Apostolus hanc con-

Rom. 8. condicionem: *Si tamen compatimur, vt & conglorificemur.* Compati enim necesse est, si fides profitenda, si tentationibus resistendum, si eius mandatis explendis adsit obligatio, si virtutis alicuius exercitium vrgeat, diuino humanóve iure. Et tum quidem cum Apostolo Paulo dicere

2. Tim. 4. licebit: *Bonum certamen certaui, cursum consummaui; in reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex; non solùm autem mihi, sed & ijs qui diligunt aduentum eius.* Quòd si verò post gratiam susceptam nulla sese (vt in paruulis contingit) pugnandi præbeat occasio, & defungi contingat eum qui filius & heres est Dei, coheres Christi; quamuis merita tunc Deus non coronet, gratiam tamen suam coronabit, quæ & in Christo & in omnibus membris eius coronam meretur.

6. *Gratia excludit peccatum.* Gratia, vbicumque est, excludit peccatum, quod animæ mortem infligit: est enim lux, quæ tenebras pellit; est medicina, quæ morbos animæ propulsat; est limpidissima aqua, quæ sordes omnes eluit.

7. *Gratia causa iustificationis.* Gratiæ quoque tribuenda est iustificatio nostra: confert enim animæ nostræ iustitiam, vnde iusti & sancti vocemur & habeamur. *Iustificati*, ait Apostolus, *ex fide, pacem habeamus ad Deum per Dominum nostrum*

Rom. 5. IESVM *Christum.* &, ne putes per solam fidem iustitiam aduenisse, ad-

Ibidem. dit postea: *Spes non confundit; quia caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Ergo Spiritus sancti gratia est quę nos iustificat, & caritatem cordibus nostris infundit.

8. *Sedem in anima nostra Deo præparat.* Gratia exornat animam nostram, Deíque sedem ac thronum efficit. Est enim anima iusti sedes sapientiæ. Gratia ergo illa ipsa sedes est, in qua Deus requiescit, sicut [a] *sedet super Cherubim*, velut Magister imperãs

a Psal. 79. omnibus creaturis, longè maiori dignitate quàm magister discipulis: nam Cherub Magistrum significat. Gratia ergo illustrissima sedes Dei, in qua diuinus Magister sedet, docens animam, & singulis iustorum potentiis & partibus imperans ac dirigens.

9. *Corpora nostra dedicat diuinæ Maiestati.* Nec animæ tantùm sanctitatem hanc gratia impertit, sed etiam corporibus nostris, vt & ipsa Deo dicata ac consecrata esse censeantur. Ita nos hortatur Apostolus: *Obsecro vos vt exhibeatis corpora vestra hostiam vi-*

Rom. 12. *uentem, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum.* Non vult ampliùs Deus sibi offerri animalium corpora mortua, sed viua hominum membra: at certè viuunt per solam gratiam; non enim gratius est corpus peccato mortuum, quàm sit animalis bruti oblatio. Est præterea corpus nostrum per hanc gratiæ infusionem templum diuinæ Maiestatis,

1. Cor. 3. sacrarium Spiritus sancti. *Nescitis*, ait Paulus, *quia templum Dei estis?* Cur ita? Quia *Spiritus Dei habitat in vobis. Si quis autem templum Dei violauerit, disperdet illum Deus: templum enim Dei sanctum est, quod estis vos.* Quid? & membra singula sanctificantur præsentia tanti hospitis, in

throno gratiæ ſedentis. *An neſcitis*, inquit, *quoniam membra veſtra tem-* *1. Cor. 6.*
plum ſunt Spiritus ſancti, qui in vobis eſt, quem habetis à Deo, & non eſtis veſtri?
empti enim eſtis pretio magno: glorificate & portate Deum in corpore veſtro.

Gratia theſaurus eſt incomparabilis; theſaurus ſufficiens eſt ad cæ- 10.
leſte regnum comparandum: & certè, quicumque illum habent, [a] *par-* *Gratia theſaurus incomparabilis.*
ticipes ſunt amicitiæ Dei; qua ſanè nihil pretioſius reputari debet in mun-
do. O quanta cura hic theſaurus conſeruandus eſt! ſi enim pereat, *a Sap. 7.*
perit nobis vita, perit mundus, pereunt omnia. Ideo nos monet Apo-
ſtolus, ſciens quàm fragili vaſe ille contineatur: *Habemus theſaurum iſtum* *2. Cor. 4.*
in vaſis fictilibus. Materia huius vaſis terrea eſt; & licet decocta in vtero matris durior euaſerit, fragilis eſt tamen, & mollis caro, & in molli carne inconſtans animus. Heu, quoties multorum animi fracti! quoties à gratiæ vita exciderunt! Vaſa ergo noſtra fragilia ſunt; theſaurus ingens ſolicitos nos faciat oportet, ne illum perdamus.

24. Præclara ſunt hæc commendandæ gratiæ elogia: alia, nec infe- 11.
riora, audiamus; mirabiles nempe quas in animo gratia facit mutatio- *Mutationes mirabiles in*
nes. In primis voluntatem ad Deum conuertit à rebus caducis, vt eum *animo inducit.*
diligat, & vniuerſam eius legem inuiolabiliter ſeruare conſtituat: quæ 1.
mutatio tanta eſt, quanta poteſt eſſe maxima; vt ille qui verſus Occidentem erat progreſſus longiùs, feſtinet reuerti in Orientem; qui ſummo frigore algebat, ardores immenſos concipiat. Mutat etiam iudicium: nam nouis principijs nititur; pulſa mundi ſapientia, diuinam ſequitur; ſtatum denique internum, & ſubinde externum, totumque ho-
minem exuit, ac nouum aſſumit. Qualitates etiam hominis mutantur. 2.
Vt enim ferrum natura ſua durum, obſcurum, ponderoſum, frigidum, ſi ignem concipiat, ignis condiciones omnes induit; molleſcit etiam, & in formas varias conflari poteſt; lucet vt ignis; leuius eſt, & igneas ſcintillas emittit; ardet, & calorem intenſiſſimum vſurpat, fortiuſque quàm ignis ipſe adurit: ſic & animus noſter, lapide ferroque durior, tenebris ipſis tetrior atque obſcurior, pondere ſuo ad terræ centrum propemodum demerſus, glacie denique frigidior, adueniente gratia cordis duritiem ſoluit, cæleſti lampade illuſtratur; excuſſa peccatorum ſarcina, ac pondere terreni amoris, aſſurgit ad diuina, cæleſtia contemplatur; fla-
grat adeò diuino amore, vt cogitationes, verba, opera eius ſint *lampades* *Cant. 8.*
ignis atque flammarum, nec aquę multę vanitatum valeant extinguere caritatem, nec tentationum flumina obruere.

In corpore quoque non minor mutatio quàm in animo conſpicitur: *Mutationes in*
delicijs enim ſuccedunt graues pœnæ, & quidem ſpontaneæ, flagella- *corpore.*
tiones, macerationes, humi cubationes, ieiunia; honoribus verò fuga ſæculi, humilitatis ſtudium, veſtis contemptibilis, nouorum amicorum conſociatio, conuerſatio honeſta, modeſtia in moribus, totiuſque oris

corporisque compositio spectabilis. Diuitiarum amorem paupertatis studium calcat; profundit opes in egenos, sui cura neglecta. Ecquæ maior mutatio posset accidere?

In statu. Sed & statum hominis mutat mirandum in modum: ex vili filio Adæ, filio proditoris, Princeps nobilis diuinæ Maiestatis fit, à cubiculo, à secretis. Potest Rex nobilitate quempiam donare, re ipsa tamen nihil in eo mutat: sed gratia ipsa nobilitatis insigne quoddam est ac fundamentum. D. Gregorius de se sic scribit: *Ecce serenißimus dominus Imperator fieri simiam leonem iußit; & quidem prouisione illius vocari leo potest, fieri autem leo non potest.* Deus verò, qui *vocat ea quæ non sunt, tamquam ea quæ sunt*, & cuius velle est posse, insignia nobilitatis conferre potest; & hominem immutare, sic vt, quod non erat, sit; &, qui simia erat, fiat leo; teste Isaia: *Non vocaberis vltrà Derelicta, & terra tua non vocabitur ampliùs Desolata, sed vocaberis Voluntas mea in ea.* Ad hunc modum, cùm Saulem, Dauidem, Salomonem ad regnum vocauit, eorum immutauit animos, spiritusque generosos ac regios contulit; Dauidi quidem cor secundùm cor suum, Salomoni verò *latitudinem cordis quasi arenam quæ est in litore maris.* Denique quæ maior homini mutatio potest accidere, quàm vt consors sit naturæ diuinæ, diuinæ puritatis & sanctitatis imitator? Itaque sicut Alchymistæ cuprum, argentum, & alia metalla (vt aiunt faciliùs quàm veriùs) in aurum conuertunt: ita (quod hominibus impossibile est) Deus quotidie verè facit in Ecclesia sua, cùm homines ex impijs iustos, ex terrenis cælestes, ex carnalibus spirituales diuinosque facit. quod D. Ioannes Baptista non absimili comparatione vsus declarauit, cùm dixit: *Potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ.*

Lib. 1. epist. ex Regist. indict. 9. cap. 5. *Rom. 4.* *Isaia 62.* *1. Reg. 10.* *1. Reg. 13.* *3. Reg. 4.* *Simile.* *Matth. 3.*

12. *Ex gratia, quasi essentia animæ, oriri potentias: vnde actus supernaturales.*

25. Et hi quidem gratiæ effectus ad animæ spectant essentiam, & eam perficiunt, reparant, atque exornant; vis tamen eius latiùs patet, quàm vt in anima otiosa atque immobilis hæreat: verùm, vti diximus, sicut ab animæ essentia potentiæ, quibus ea suas operationes exercet; ita & ab anima ista spirituali, quæ in animæ naturalis essentia residet, potentiæ quamplurimæ oriuntur atque profluunt. Vt enim nobilior est diuina illa vita quàm humana, nobilioresque ac magis arduæ eius operationes: sic & plures potentias ac facultates suppetere necesse est, vt opera sua mortales cum facilitate valeant exercere.

13. *Gratia fonti comparatur. Aqua. Ioan. 4. & 7.*

Itaque gratia fonti comparatur, & aquæ quidem viuentis, limpidæ, & salientis. Hoc facit gratia, quæ vt aqua quædam lauat & abstergit quidquid sordidum & immundum est; refrigerat quoque animos nimio calore libidinum æstuantes; sitim desideriorum mundanorum extinguit; saturat verò iustitiæ famem sitimque accessione consolationis internæ; &, quia limpida est, facies hominibus repræsentat suas, ex-

primit

primit maculas, & næuos, qui fortè conſcientiam deformarent, manifeſtat; excitat etiam intuentes ad bibendum, ad faciem detergendam, amandamque puritatem ac munditiam.

At aqua hæc viua eſſe dicitur, non ſtagnans, eſtque in perpetuo motu, quia gratia otioſa non eſt, &, ſi operari renuit, gratia non eſt. Motus hic, vitæ euidens eſt argumentum: vitam enim animæ, cui ineſt, tribuit, & motum potentijs ad vitales operationes exercendas. Ideo & fons nominatur, ex quo multi riui riuulique profluunt; quibus animorum prata, plantæ, arbores, proficiendi deſideria, virtutes, potentiæ denique ipſæ irrigantur: quin & in ijs ſingulis non vnus, ſed riui plures deliteſcunt; quot enim virtutes infuſæ, tot riuuli è quibus opera virtutum proſiliunt. *Et quidem viua.*

Hinc huius fontis aqua ſaliens à Chriſto nominatur, & verè, quamquam ſpirituali ſenſu; ducta metaphora à fontibus artificioſis, qui in hortis amœnitatis & voluptatis cauſa conſitis excitantur: deriuata namque ex altiori loco per canales aqua, (non enim ſupra originem ſalire poteſt) & in varios tubulos diſtributa, nunc in pluuiam ſpargitur, nunc in teli formam exploditur, nunc temere fuſeq; labitur, vt quiſpiam interdum ab inopinato ſe & aſpergi & perfundi miretur, interdum etiam per fiſtulas quaſdam incredibilis artificij muſica harmonia aures mulceri. Fons ergo per Spiritum ſanctum in eſſentiam animæ diffunditur, qui in potentijs naturalibus diducitur; & in ijs tot riuulos conſtituit, quot virtutum habitus. Ex his opera proſiliunt virtutum; quibus aſperguntur homines rore diuini verbi, & quidem perſæpe inopinatò, vel peracuto iaculo confodiuntur: *eſt* enim *Dei verbum penetrabilius omni gladio ancipiti, pertingens vſque ad diuiſionem animæ & ſpiritus, compagum quoque & medullarum; eſtq́; diſcretor cogitationum & intentionum cordis*. *Concreſcit* etiam ſubinde *vt pluuia doctrina* Sanctorum, vt fundere gratiam ore, oculis, totoque vultu ac corpore videantur. Ceterùm virtutum ille confluxus tantum concentum in iuſtorum animis efficit, vt harmoniam audire videare, & pſalterium decachordum. Hanc gratiæ melodiam deſcribit Apoſtolus. *Fructus* (ait) *Spiritus* ſunt *caritas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, manſuetudo, fides, modeſtia, continentia, caſtitas*. O quàm inſignis melodia! connexæ etenim virtutes ſunt, & nulla deeſſe debet, in hac harmonia; vnaque prudentia hanc lyram dirigit, vt in concentu nihil deſiderari poſſit: pro loco verò & tempore tubuli aperiuntur, fiuntque opera virtutum, quæ magna vi ac feruore erumpūt, eoque feruentiùs, quo copioſior aqua in tubis, gratiaq; in potentijs reperitur. Huius fontis architectus Chriſtus eſt, & illum ſtabilit, cùm ait: *Qui bibit ex aqua hac, ſitiet iterum; qui autem biberit ex aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam.*

Aqua ſaliētis. Ioan. 4. & 7.

Heb. 4.

Deut. 32.

Gal. 5.

Ioan. 4.

Aqua perennis. Aqua perennis est, nisi peccato aliquo hunc fontem aliò deriues, aut extinguas; salit enim in vitam æternam: nam opera æternæ vitæ præmio compensantur; nec fons ipse siccabitur, fluetque iugiter, donec gratia in gloriam æternam commutetur. Salit etiam aqua hæc in vitam æternam: nam opera ex eo facta ad thronum vsque diuinæ Maiestatis ascendunt, & ibi acceptantur, sempiterna donanda beatitudine.

Dicet aliquis: Qua ratione ad cælum vsque erumpit atque ascendit, cùm fons ipse in essentia animæ resideat, nec origine sua altiùs aqua possit conscendere? At non ita est: quæ namque in anima gratia residet, non origo primigenia censenda est; è cælo fons iste dimanat, originemque ducit. Qui sedet ad dexteram Patris, ipse est fons vitæ, ille *Cant. 4.* plenus gratia & veritate, est *fons hortorum, puteus aquarum viuentium, quæ fluunt impetu de Libano*. Libanus seu candidus factus est in cruce, lotus *Ioan. 19.* aqua corporis sui, cùm *vnus militum lancea latus eius aperuit, & continuò exiuit sanguis & aqua*. Hæc cisterna non siccabitur in æternum: nam & alius in ipso fons perennis est, iugiter è diuino sinu profluens, teste *Psal. 35.* Psalmista: *Quoniam apud te est fons vitæ*. Hic crescit in ingentem flu- *Psal. 45.* uium, qui totum Paradisum irrigat: *Fluminis* enim *impetus lætificat ciuitatem Dei*. Hinc defluxit aqua nostra viua, diffusa in cordibus nostris per Spiritum sanctum. Quid mirum ergo, si fluuius à mari deriuatus ad mare recurrat, & saliat aqua in vitam æternam?

14. 26. Initio mundi (vt refert [a] Moyses) *fluuius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandũ Paradisum, qui inde diuidebatur in quatuor capita*. Fluuius hic gratia est, quam Deus in animæ centro collocat; ex qua flumina quatuor deriuantur: quorum primum in Intellectũ influit; ibíque nascitur riuulus fidei, si antè excitatus non erat; prudentiæ deinde, sapientiæ, scientiæ infusæ, ac ceterorum donorum intellectualium, quibus ipse Intellectus restauretur & perficiatur, ignorantia rerum diuinarum errorque abigatur.

A gratiæ fonte quatuor in anima potẽtias fluuij deriuantur.

a Gen. 2.

1\. (first river: Intellect, above)

2\. Secundum flumen Volũtati congruit, quę plurimos in se riuulos virtutum continet, spem nimirum, caritatem, iustitiam, religionem, orationem, & cetera quibus cuique (hoc est, Deo in primis, sibi, ac alijs) quod suum est, redditur. His Voluntas prona ad peccatum sustollitur ac roboratur, cùm ad opera virtutum ardua ex se cum delectatione elicienda, tum ad tentationes generosè propulsandas atque euincendas; pellitur amor sui, vt regnet amor Dei, qui omnia vitiorum monstra conuellat ac destruat.

3\. Tertium flumen eam partem occupat, quam vocant *Irascibilem*, & in ea turgescunt quoque riuuli, fortitudo, patientia, longanimitas, perseuerantia, ceteræque fortitudinis partes.

Quartum replet Voluntatem, vt est appetitus *Concupiscibilis*. Ex eo profluunt riuuli temperantiæ, castitatis, sobrietatis, modestiæ, aliįque id genus, quibus decorum in homine nascitur in rebus agendis, ac ornamenta plurima prælucent. Hæ ergo virtutes omnes, velut flumina quędam cælestia, à fonte gratiæ deriuantur, quibus fidelis animæ paradisus irrigatur, fructusque germinat bonorum operum copiosos. 4.

Gratia denique arbori comparatur, & meritò [a] arbori vitæ; tum quia immortalitatem impertit, tum quia omnium fructuum, qui ab hominibus eduntur, radix est; ex qua cetera, quæ in arbore visuntur, promanant. Radix ergo arboris est gratia; truncus, ex quo brachia manant, caritas: rami, qui sæpe prodeunt ex paucis trunci brachijs, sunt virtutum habitus, qui vel in Intellectu vel in Voluntate diuinitus infusi resident. Ex his folia, flores, fructus, verba sensata, desideria, conatusque incipientium, facta denique heroica prodeunt. Sic ergo potentiæ superiores copia virtutum supernaturaliũ reparantur, roborantur, ac inuictæ contra tentationum impetus redduntur. Quæ omnia, & alia longè plura atque maiora, illi gratiæ, cuius iam officia laudesque percensuimus, asscribenda sunt. 15. *Gratia arbori comparatur.* a *Gen. 2.*

CAPVT XXIII.

Inordinationem potentiarum inferiorum auxilio gratiæ Christi reparari.

27. SED quid de inordinatione virium inferiorum, quæ rationi insidiantur, eamque rebelles præuertunt ac supplantant? quis modus vt in gratiam cum ratione redeant, & rectitudo deperdita redintegretur? Id profectò sine singulari Dei priuilegio, quod post Christum illibatæ Virgini Matri concessum est, nulli potest mortalium contingere in hac vita: nam Apostolus ipse, qui in tertium cælum raptus fuerat, *Video*, ait, *aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati*. Hæc lex aculeum habet, & pungit etiam antequam aduertas: &, si minimùm inhæreas, vel dissimules, noxam contrahis. Deinde, nemo liber est à peccato, vitareque omnia potest, quàm diu nouercæ illi, omnium malorum origini, legi nempe peccati, excludendæ modus non est relictus. Hinc Concilium Tridentinum: *Si quis dixerit hominem semel iustificatum ampliùs peccare non posse, neque gratiam amittere; atque ideo, eum qui labitur & peccat, numquam verè fuisse iustificatum; aut contrà, posse in tota vita peccata omnia, etiam* *Rom. 7.* *Sess. 6. can. 23.* *Concupiscentia fomite sine speciali priuilegio carere neminẽ.*

venialia,

venialia, vitare, nisi ex speciali Dei priuilegio, quemadmodum de B. Virgine tenet Ecclesia; anathema sit. Non est tamen diffitendum, singulari Dei gratia multis donatum esse, vt vel rarò grauiores libidinis, iracundiæ, inuidiæ, opum habendarum, & similium cupiditatum illecebras sentiant, vel in vno genere aut etiam pluribus liberi sint: quod in viris sanctis ac perfectis docet experientia. Vnde D. Augustinus: *Concupiscentijs carnis non consentire, magna laus est; quas non habere, magna* PERFECTIO *est.* Homines ergo perfecti his molestijs carere possunt. Quis credat D. Ioannem Baptistam, qui, *ciuium turmas fugiens, petijt antra deserti teneris sub annis, ne leui saltem maculare vitā famine posset*, molestas rebelliones sensisse, & incentiua carnis, superbiæ, auaritiæ; graues item ad virtutum opera difficultates habuisse, cùm ea non sine voluptate vsurpasse Scriptura ipsa renuntiet? Non defuerunt quoque, qui, in studium PERFECTIONIS incumbentes, ab vnius pluriúmve defectuum impugnatione post aliquot saltem conuersionis annos liberi fuerunt, præsertim domita magno ardore incredibilibúsque pœnitentijs passionum impotentia. Neque enim omnes propendent ad auaritiam, ad libidinem; non omnes ad superbiam, aliáve flagitia. Hæc PERFECTIO apud antiquos Patres, de quibus Cassianus, Theodoretus, Palladius, *impassibilitas* vocabatur; per quam eò PERFECTIONIS veniebāt, vt paruas admodū difficultates persentiscerent in virtutum exercitio: vix vlli motus in eis excitabantur, aut certè rarò, nec admodum diuersi.

Specialì gratia nonnullos immunes esse à grauioribus impugnationibus.
Serm. 12. de Verbis Apostoli.
Exemplis probatur.
I. Ioannis Baptista.
Matth. 3.

2\. In quo genere Equitius Abbas Valeriæ Prouinciæ, egregius Dei athleta, (de quo D. Gregorius [a] in Dialogis) vehementer profecit: qui cùm ægerrimè ferret se subinde nocturnis immunditijs contaminari, tantum ieiunijs & oratione apud Deum effecit, vt dormienti visus sit Angelus quippiam, velut fellis folliculum, aut potiùs vasa seminaria, vel quid simile, in eius corpore amputare; quo sublato, omni molestia toto vitæ tempore liberatus est; & (vt D. Gregorij verbis vtar) *ita alienus exstitit à tentatione, ac si sexum non haberet in corpore. Qua virtute fretus, ex omnipotentis Dei auxilio, vt viris antè præerat, ita cœpit postmodum feminis præesse: nec tamen discipulos suos admonere cessabat, ne se eius exemplo in hac re facilè crederent, & casuri tentarent donum quod non accepissent.*

Castitatis cōmendatio in Equitio.
a Lib. 1. Dial. cap. 4.

3\. Idem D. Thomæ Aquinati concessum fuisse adhuc iuueni narrat Ioannes Garso: qui cùm Ordinem S. Dominici contra parentum voluntatē esset ingressus, & parentes ex insidijs raptum in arcem S. Ioannis reduxissent; ad labefactandum eius animum, procacem iuuenculam in cubiculum miserunt. Ipse castissimus iuuenis, arrepto titione, cùm alia arma non essent ad manum, illam terruit ac fugauit: interea eodem titione (quòd imago, cui accederet, ibi deesset) crucis figuram pinxit,

Thomas Aquinas.
In vita eius, & Breuiarium Romanum.

pinxit. Feruentiſſima deinde oratione ad Deum fuſa, cùm in ſomnum incidiſſet, per quietem ſentire viſus eſt ſibi ab Angelis conſtringi lumbos; quo ex tempore omni poſtea libidinis ſenſu tota vita caruit.

Non abſimile eſt, quod Gregorio Nazianzeno Athenis philoſophiæ operam danti contigit. Cùm enim iuuenis caſtitatis laude vehementer flagraret, duæ eleganti forma virgines dormienti apparuerunt: quas cùm caſtitatis inſtinctu oculo toruiore reſpexiſſet; tum illæ, blãdè accedentes, illum complexæ ſunt: Non eſt, aiunt, quòd timeas, bone iuuenis; nos Sapientia & Continentia nominamur, quas impensè diligis; ideoque ad te miſſæ ſumus, quia in te gratiſſimum nobis domicilium præparaſti: age quod agis. His dictis diſparuerunt.

4. *Gregorij Naziãzeni virginalis caſtitas. Ruffinus in prologo in libros S. Greg. Nazianz. in edit. Bill. habetur ante Orat. 49. & ipſe S. Greg. in carmine lugubri de anima ſua calamit.*

28. In alio quoque genere plurimũ valuerunt alij Sancti; vt [a] B. Franciſcus, ac eius ſocij, quorum ſtudium & induſtria in eo maximè deſudauit, vt omnem habendi cupiditatẽ, & gloriæ ambitionisque faſtum, imò & earum ſemina, prorſus delerent ex animis. quæ vel in ipſo naſcentis Ordinis exordio deleta fuiſſe, res ipſa atque eorum vitæ decurſus ſatis declarant: illud in primis, (vt de B. Franciſco loquar) quòd à voto emiſſo largiendæ omnibus eleemoſynæ nulli poſcenti negauerit, quin etiam, quidquid haberet, pauperibus largitus ſit, deſiderio PERFECTIONIS Euangelicæ conſequendæ; quòd denique coram Epiſcopo Aſſiſinate bonis omnibus ceſſerit, reiectis etiam veſtibus, vt liberiùs dicere poſſet, *Pater noſter qui es in cælis*; nolueritque toto vitæ tempore vel tangere pecunias; & quæ ipſe cum ſummo paupertatis amore ſeruare conſtituit, ea ab omnibus ſui Ordinis alumnis in perpetuũ ſeruari inuiolabili lege ſanciuerit. Eo in feruore ſpiritus (vt ſcribunt D. Bonauentura & D. Antoninus) cùm adhuc eſſet in habitu ſæculari, vani honoris proſtrata ſpe, Aſſiſij deſpectus, deformis, & ſqualidus propter ieiunia & pœnitentias incedebat: non pauci, inſanum rati, luto & lapidibus impetebant, innumerisque laceſſebant iniuriis, patientiſſimè interim omnia, hilari ſerenoque vultu, ac ſi ſurdus mutusque fuiſſet, tolerantem. Obſeruauit hæc Bernardus, vir ſapiens, nobilis, & opulentus, à cuius conſiliis tota ciuitas pendebat; nec putauit tantam patientiam, mundique contemptum, duorum annorum conſtantia probata, diuina virtute carere poſſe: inuitatum ergo Franciſcum ad cœnam rogauit vt & ea nocte domi ſuæ quieſceret. Annuenti lectum parari curauit in eo cubiculo, in quo lampas ſemper ardere ſolebat; ipſeque in eodem loco ſibi ſterni mandauit, vt Franciſci ſanctitatem exploraret: quam diſſimulare volens Franciſcus, cubiculum ingreſſus inconcinnè in lectum proſiliit, dormitabundo ſimilis. Bernardus viciſſim ſuo tempore decubuit; & cùm nonnihil quieuiſſet, altùm ſe dormire ac ſtertere ſimulans, Franciſco liberè agendi occaſionem præbuit. Franciſcus,

a 5. *D. Franciſci & ſociorum paupertas & humilitas.*

B. Bonau. lib. 1. vita S. Franc. cap. 2. S. Antoninus parte 3. tit. 24. cap. 7.

ciscus, Bernardum ratus sopitum esse, surgit è lecto, & facie ac manibus in cælum protensis atque defixis tanto ardore orare cœpit, vt ignescere putaretur; fundensque vim ingentem lacrymarũ, tota nocte nihil visus est aliud agere, quàm identidem in hæc verba prorumpere, *Deus meus & omnia*: & id quidem ideo dicebat, quòd Prophetico spiritu cognosceret, diuinam bonitatem periclitanti mundo, studio pauperum Religiosorum, quorũ Ordinem excitabat, opitulari velle. Videbat hæc interea, audiebat, ac diligentissimè obseruabat omnia Bernardus, & suprà quàm dici potest Spiritu diuino incensus constituit sæculo valedicere. Quod prima luce patefacienti, Magnam, ait Franciscus, rem aggrederis, Bernarde: Dei super ea consilium exquirendum est; quod hac ratione fieri poterit. Adeamus domum Episcopi; cui vicinus habitat Sacerdos probæ vitæ: hunc dicere sacrum curabimus; eleemosyna numerata, atque eo in hunc finem audito, ad tertiam vsque in oratione perseuerabimus, petentes à Deo vt in apertione libri Missalis beneplacitum suum nobis manifestare dignetur. Factum est. Sacerdos ergo, signo crucis se muniens, primùm aperuit Missale in nomine Domini nostri IESV Christi, illudque occurrit supremo folio: *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus*. Secundum, aperto libro, occurrit: *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me*. Tertium aperienti illud obuium fuit: *Nihil tuleritis in via, neque virgam, neque peram, neque duas tunicas*. Tum Franciscus, En, inquit, Bernarde, voluntatis diuinæ certum indicium. Vade, perfice quod à te exigit: ipsi summa laus & gloria, qui Euangelicam vitam nobis ostendere dignatus est. Opulentus erat Bernardus, & incredibiliter pecuniosus. Vendidit tamen omnia, collectamque pecuniam cum Francisco per domos viduarum, orphanorum, peregrinorum, Religiosorum deferens, comite vbique Fracisco, distribuebat. Siluester quidam ciuis Assisij, auaritia incitatus, cùm hæc dispergi videret, accessit ad Franciscum, eique, Et tu, inquit, pro lapidibus quibusdam, ad Ecclesias reparandas coëmptis, nondum plenè satisfecisti. Miratus hominis auaritiam Franciscus, memor tamen Euangelij, omni poscenti tribuendum esse suadentis, è sinu Bernardi manum impleuit, dicens Siluestro: *Si hæc non sufficiunt, addam & plura*. Abiit quidem Siluester: sed vesperi sordes suas agnoscens vehementer indoluit, propositasibi Francisci sanctitate, ac feruore Bernardi; tribusque noctibus contemplatus crucem auream procedentem ex ore Francisci, cuius extremitates à terra vsque ad cælum, brachia ad mundi fines protendi videbantur, & ipse sua omnia pauperibus erogauit, & Francisco adiunctus est; eoque PERFECTIONIS deuenit, vt (sicut de Moyse legitur) loqueretur Deo, tamquam amicus ad amicum suum.

Matth. 19.

Matth. 14.
Luc. 9.

S. Bonauent. lib. 1. vita S. Francisci, c. 3.

ſuum. Et hæc quidem de D. Franciſco & eius ſociis.

Illud digniſſimũ perpetua memoria, quod refert Palladius [a] de quo- 6.
dam Serapione, paupertatis & humilitatis ſtudioſiſſimo, qui & à ſin- *Serapionis apathia.*
done, qua ſola veſte induebatur, ſindonites, & ab impaſſibilitate ἄπαθος
appellatus eſt. Is nullum poſſidendi deſiderium patiebatur: & verò ni-
hil habebat prorſus; ne ſellulam quidem, nec quietis certum locum ad-
mittebat; ceterùm in iugi meditatione & diuinorum librorum lectione diuitias ſuas collocabat: & vt omnibus omnino careret, vel etiam ſe-ipſo, ſeſe paganis, iiſque mimis & hiſtrionibus, viginti ſolidis diſtraxit, fideliſſimeque iiſdem ſeruiuit; pedes eorum lauabat aliquando; præter panem & aquam ſumebat nihil; aſſiduè diuinas paginas manibus tenebat, voluebat animo; effecitque vt dominos ſuos Chriſto adiungeret, à theatralibus auocaret, & ad vitam pudicam, honeſtam, piamque traduceret. Qui cùm libertati illum reſtituere vellent, admiſit quidem, ſed ea lege, vt pretium ſeruitutis ſuæ, quod ideo aſſeruauerat, illis redderet. Vrgebant illi, vt velut dominus & pater ſpiritualis præeſſe ſuæ familiæ dignaretur, & pecuniæ ſummam iam dictam, quam illis reddebat, pauperibus erogaret. Non ita, inquit; veſtra pecunia eſt, non mea, qui nihil poſſideo: vobis Dei obſequio aggregatis, alios quæro, quibus ſimile beneficium impertiam. Precantibus vt ſaltem euoluto anno Athenis ipſos inuiſeret, præſtitit id quidem; ſed cùm neminem inueniſſet Athenis qui ſibi vel panem porrigeret, tribus diebus manſit omnino ieiunus; ſola verò ſindone tectus, omni ſubſidio carebat humano; & edendi deſiderio incredibili exagitatus, quarto die in colliculum quendam, vrbi imminentem, in quo Primates oppidi conſilium habere conſueuerant, conceſſit; manuumque ingenti comploſione ac concuſſione, ſtrepitu excitato, magnam vim ſe pati conteſtans, clamauit: *Athenienſes viri, opitulamini*. Concurrerunt admirabundi omnes gregatim, vt fit, ad ſpectaculum: quis ſit, vnde, & quid velit, rogant, edicat. *Sum*, ait, *genere Ægyptius, profeſſione Monachus. Ex quo abſum à vera patria mea, in trium fæneratorum manus incurri: quorum duos quidem, ſoluendo debitum, quoquo modo, vt potui, placaui; tertius adhuc me detinet, nec habeo vnde ei ſatisfaciam*. Illis autem, quis eſſet aut vbi degeret exactor adeò moleſtus, requirentibus, opemque ex animo pollicentibus, *Cupiditas*, ait, *pecuniæ, deſiderium voluptatis, & voracitas ventris, hi tres mihi à puero moleſti fuerunt: ex quibus duos primos ſuperaſſe iam videor, nec vltrà mihi moleſti ſunt; tertium verò ferre non poſſum: cùm enim quartum iam diem ieiunet ſtomachus, latretque; vrget me ſæuiſſimus fænerator, debitum exigens, &, niſi reddidero, mortem minatur*. Quidam ei ſolidum porrexit, ex quo comparato pane vnico circa Macedoniam venit. Illic quendam de primoribus vrbis, bonum ceteroquin virum, ſed Manichæum cum

a In hiſt. Lauſiaca, ſect. 73. in Biblioth. ſacra.

Caſſian. Collat. 5. cap. 21.

tota familia reperit, seque illi reuendidit. Ibi patremfamilias & domesticos omnes, ab execrabili secta intra duos annos ad matris Ecclesiæ sinum reuocatos, veris Christi Domini filijs adiunxit.

7. *B. Ignatij Loiolæ continentiæ eximiæ argumentum.* *a Lib. 1. cap. 2.*

Ad hæc Maffeius duo refert de B. Ignatio, Societatis IESV fundatore; & in primis, [a] quòd nocte quadam vigilanti augustissima specie ac beatissima luce fulgens Maria Regina Angelorum, cum paruulo IESV, non modò sese palàm ostenderit, verùm etiam incredibili benignitate spectandam aliquamdiu præbuerit. Quo viso mirificè recreatus B. Ignatius, tantum repentè odium fastidiumque concepit eorum quæ apud cæcos mortales prima putantur, ac præsertim quæ cum inhonesta voluptate coniuncta sunt, vt omnes rerum illarum quamuis diuturno vsu ac vetustate corroboratas imagines ex hominis memoria confestim aspectus ille deterserit.

8. *Eius victoria contra cenodoxiæ seu inanis gloriæ titillationem.* *a Lib. 1. cap. 10.*

Alterum est de inanis gloriæ molestia, quæ ægritudini corporis adiuncta incredibiles animi dolores attulerat: denique, ait [a] Maffeius, *diuino præsidio detestabile hoc ingrati animi vitium ita debellauit, euulsitq́; radicitus, vt postea, quotiescumque salus animarum aut Dei gloria postularet, sua non minùs bona quàm mala, sine vlla prorsus cenodoxiæ titillatione, palàm & ingenuè expromeret.*

Hos ergo Patres quis dicet tali rerum statu ambitionis aut auaritiæ spiritu pulsatos esse? Quòd si qui reperiantur, vt multi reperiuntur, qui non modò superbiæ fastum, auaritiæ sordes, carnis mollitiem pedibus proculcent, sed etiam in omnibus Deo, superioribus, æqualibus, & inferioribus se subiiciant, infima quæque appetant, paupertatem cariùs quàm matrem complectantur, carnem ieiuniis & ciliciis affligant, & quidem maiori voluptate atque ardore, quàm qui insanis amoribus oblectantur; quis huiusmodi molestis fomitis iaculis impeti, & non potiùs ad primi parentis statum accedere censebit? Certè primus parens leui tẽtatione edendi pomi cum vxore lapsus est: hi ne summis quidem delicijs capiuntur, etiam non vetitis; & si eas gustare cogantur, reddunt insulsas & insipidas, multaque alia, quæ sensibus contraria sunt, & non sine summo incommodo ferri possunt, quærunt, comminiscuntur, ac tamquam delicias amplectuntur; pro quacumque re, vel etiam admodum leui, quæ Dei voluntati vel rationi repugnet, mortes & multas & atroces potiùs subire parati sunt, quàm animam peccato contaminent. Imò ne tyranni quidem torquendis martyribus tot genera excogitare potuerunt tormentorum, quot PERFECTIONIS studiosi rationes corpusculi affligendi adinuenerunt. Illud ex dictis conficitur: si homines, Christi auxilio, tres illos capitales inimicos, superbiam vitæ, concupiscentiam oculorum, & concupiscentiam carnis, ex quibus cetera vitiorum portenta promanant, ità subiugare potuerunt, vt vix insurgere

gere valerent; quid censere oporteat de ceteris, cùm capite truncato reliqua membra cadere necesse sit.

29. Verùm quia priuilegium illud omni fomite & impugnatione carendi B. Virgini concessum est, ánne ratio aliqua esse posset modum illum cognoscendi & assequendi; si non omnino, saltem ex parte, vti de Sanctis iam declarauimus? Video tres modos fomitis extinguendi à Patribus proponi: quorum primus est, per solam extrinsecam Dei assistentiam, seu Spiritus sancti protectionem, manentibus tamen viribus animæ veluti habitualiter inordinatis. Hoc Spiritui sancto difficile non est: vnde cùm nihil in rerum natura moueri possit, nisi Deus vt prima causa rebus intimè præsens simul cooperetur; si primus hic motor cooperationem suam subtrahere velit, quod Deo admodum facile est, appetitus sensitiuus numquam rebellabit, numquam mouebitur sine rationis imperio. Verùm hic modus tamquam imperfectior, vtpote qui omnia in Deo, nihil in subiecto constituat, præter inordinationem, iis tribuendus non est, qui omnino fomite caruerunt, nempe Christo Domino, B. Virgini Matri, & primis parentibus: nam & hoc modo fomes in nobis ligari posset, sine vllo ornamento intrinseco.

Fomitis extinguendi rationes tres.

1. Per assistentiam Dei extrinsecam.

Secundus modus perfectior quidem, & nobilior, fit per virtutes infusas in excellenti gradu, & habitus internos, inclinantes appetitum superiorem & inferiorem in bonum fidei & rationi conforme. Verbi gratia, excellenter humilis laudem omnem abhorret; castus detestatur impudicitiam; spiritu pauper non modò diuitias contemnit, sed ne tangere quidem vult, nec earum curis implicari; vir patiens occasiones sustinendi quærit, &, si non inueniat, sibi pœnas infligit; vir egregiè sobrius à cibis etiam licitis abstinet; interdum, mortificandi sui causa, cibis delicatioribus amara quædam atque acida, ad tollendum saporis ac voluptatis sensum, commiscet, qui gradus extremus est in virtute temperantiæ: vnde isti longissimè absunt à vitijs contrarijs.

2. Per virtutes infusas. Est Caietani & aliorum in 3. part. Diui Thom. q. 27. a. 3.

Accedit quòd vsu longiori etiam appetitus sensitiuus, in quo propriè virtutis ratio non inuenitur, ad virtutem assuescat, & assuetudine, cum voluptate, etiam sensui repugnantia appetat & exerceat; nasciturque in eo affectio quædam, (ea vis est necessitudinis partium inferiorum cum superioribus in vtramque partem) quæ se trahi patiatur ac regi rationis ductu, vt equus freno, vt canis loro, & quidem cum facilitate & delectatione. Hunc modum dixi perfectiorem ac nobiliorē, sed æquè sufficiens non est: quod verissimū esse reperiemus, si, quæ sexta, septima, octaua, & nona gratiæ Prærogatiua diximus, attentiùs consideremus; fragilitas etenim humana maior est, quàm vt etiam intensissimi virtutum habitus, & earum vsus, præuenientes naturæ motus impedire possint. Tentationum occasiones, hostium multitudo, in-

dustria, experientia, impugnationum varietas, præponderant omnibus viribus ac vigiliis nostris: ferit enim à tergo concupiscentia, & imprudentem aggreditur. Cogitatio, quæ in imaginatione est, necessariò mouet appetitum sensitiuum, quantumcumque homo repugnet; nec perfectè frenare in nostra est potestate. Sæpe verò pæne priùs canis hic momordit, quàm ratio habitibus vti possit; qui agere non possunt nisi in hostem manifestum, sicut nec ratio, nec voluntas humana, in quibus fundantur: vnde si quispiam B. Virginem intensione habituum ac virtutum æquaret, ne ille quidem ab inordinatione potentiarum inferiorum liber censendus esset, si diuina deesset protectio. Imò bona fortè naturæ dispositio, quoad illas motuum concitationes, subinde plus prodest, quàm copiosior gratia inhærens sine auxilij specialis protectione: nam gratia habitualis, etsi ornamentum quoddam sit animæ eiusque potentijs inhærens, non tamen propriè agit, nisi vt se in potentias, per quas operationes suas exercet, infundit. At virtutes præsupponunt cognitionem vsumque potentiarum, in quibus consistunt; quæ cùm præueniantur, impossibile est hominem solis illis habitibus internis sic hostibus resistere, vt non subinde dentes morsusque atque aculeos concupiscentiæ sentiat.

3. *Per vtrumque iunctim.* Tertius ergo modus est ex vtroque cōpositus: nempe copia donorum internorum, quibus mens miro modo roboretur, & à vitiis prorsus abhorreat; quo fiet vt sponte ac deliberato animo nulla ratione vel committat, vel permittat, quantum in se est, aliquem motum exoriri, cùm in anima, tum in ipso corpore. Sed, vt dixi, hoc nòn sufficit: requiritur protectio ac custodia Dei singularis, qua dæmonē arceat, contineat appetitum, ne sese moueat, &, si occurrat occasio, illuminatione quadā mentis ac opportuno consilio intellectum instruat, efficacia media suggerat ad repugnandū, vincendumque tentationem: *dat enim Deus metuentibus se significationem, vt fugiant à facie arcus*; tum voluntatem roborat, vt vel hosti resistat, vel, quod agendum Deus inspirat, amplectatur. *Psal. 59.*

Christus triplici de causa à fomite peccati immunis fuit. His præsidiis Christus Dominus ac eius sanctissima mater vallati, nec peccarunt, nec vllus in eis motus insurgere potuit. Hoc tamen addendum: in Christo Domino hanc immunitatem longè excellentiori modo quàm in vllis aliis fuisse, & quidem triplici de causa. Primò, ex vi
1. propriæ conceptionis: non enim per virtutem seminalem, sed ex purissimo intemeratæ virginis sanguine propagatus est, ideoque peccato
2. originali non erat obnoxius. Deinde, ex vi beatitudinis: non enim
3. viator tantùm erat, sed etiam comprehensor. Denique, ratione vnionis hypostaticæ, quæ ne vmbram quidem peccati admittebat.

Gradus ad debilitandum fomitem. 30. Sed quis ad hæc idoneus? Nullus sanè: est tamen quatenus sperare tentareque liceat, si non adeò perfectè, quantum saltem per Dei gratiam

gratiam licebit. Magna moles eſt, & non opus diei vnius: nec enim ſolet Dominus Deus eam ſanctitatis eminentiam primo quoque tempore largiri, etiamſi faces ardentiſſimas tironi ſubinde admoueat. Hi ergo gradus ſeruandi ſunt.

In primis, vt ſtudioſus PERFECTIONIS ab omni peccati labe animam ſuam egregiè expurget. *1. Vitiorum expurgatio.*

Deinde firmiſſimè ſtatuat, vitia omnia, quantumcumque leuia, vitare, idque pro virili præſtet; & notas quaſdam conſtituat, vt, erratorum numero deprehenſo, & à ſe pœnas exigat pro meritis, & lapſuum numerum minuat ac corrigat. *2. Venialium peccatorum fuga.*

Tertiò, Sacramentorum adhibeat ſubſidium, quo & gratia augeatur, & ex gratiæ acceſſione protectio quoque diuina accedat prolixior. *3. Sacramentorũ ſubſidium.*

Quartò, in ſuſcipiendis Sacramentis non vltimũ ſuum finem conſtituat, quaſi in ſola habitualis gratiæ amplitudine conſiſtat PERFECTIO, quæ tamen vitiorum radices non euellit, nec admodum minuit; ſed omnes animi neruos adhibeat, vt prauos vitæ ſuperioris & naturæ corruptæ habitus euellat. Quod ſtudium, vt longè difficillimum, atque maximè arduum, arripiunt pauci, multi vel deſerunt, vel ſenſim negligunt; præſertim quia aut ratio contumaciſſimi hoſtis pellendi cuilibet peruia non eſt; aut, ſi non ignoretur, tamen & nos ipſos amamus nimium, & ea quæ noſtra ſunt, vireſque infirmas non rarò & labiles conſtantia deſerit. Enimuero certum eſt, nihil tam arduum eſſe, tam firmum, tam inueteratum, quod Chriſti virtus non deprimat, generoſus animus non comminuat, conſtantia non labefactet. *4. Euulſio prauorum habituum.*

Gutta cauat lapidem, non vi, ſed ſæpe cadendo.

Euelluntur arbores altiſſimæ, & metalla rudia leuigantur, complanantur, expoliuntur.

Quintò, euellendo tetras illas fibras, ſenſim quidem virtutes inducuntur, ſtudiũ tamen particulare oportet adhibere, vt longo vſu, exercitio præſertim interno, frequentibus actibus, & quidem ex omni habitus latitudine elicitis, virtutes augeantur, altaſque illæ ipſæ in animo radices agant, vt cum facilitate ſpiritualis athleta ardua quæque exerceat, tentationes repellat, & longè procliuior ſit ad bene recteque agendum, quàm antè ad peccandum, cùm in vitium propenderet. *5. Virtutum internum exercitium.*

Sextò, magna ex parte noſtra requiritur vigilantia, & eo quidem maior, quo demiſſiùs de nobis opinari debemus, nos nimirum auxilio Dei eſſe & indignos & indigos: ſicque excubandũ nobis eſt, ac ſi Deus victoriam, cuius teſtis eſſe vult & agonotheta, ſoli induſtriæ noſtræ ac labori relinquere velle videretur. Illudque ideo obſeruandum valde, ne motibus hiſce rebellibus occaſionem cauſamque præbeamus: etſi enim voluntati rectè diſpoſitæ ij repugnent, eidẽ tamen adſcribentur, ſi *6. Vigilantia.*

causam

causam præbuerit; qui enim causam alicuius effectus producit, censetur & effectum velle producere. Exempli gratia: *Cùm Pericles* (inquit Cicero) *haberet collegam in prætura Sophoclem poëtam, hiq; de communi officio conuenissent, & casu formosus puer præteriret, dixissetq; Sophocles, O puerum pulchrum! At, inquit Pericles, prætorem, Sophocle, non solùm manus, sed etiam oculos abstinentes habere decet.* Quæro vnde motus ille. Sanè non aliunde ortus, quàm ab aspectu inordinato. Simile esset, si quis oculos coniiceret in iuuenculas formosiores, elegantes adolescentulos intueretur, manus aut alias corporis partes tractaret, audiret curiosiùs verba minùs honesta: is sanè, si moueatur, sibi imputet. Item qui vanè de genealogia parentum, de opibus, de eorum potestate, de se suisque rebus multa prædicaret, si tunc sagitta inanis gloriæ volante feriatur, etsi eam nolit, vult tamen in causa: qui in mensa oculos circumducit, & singulos cibos considerat, si inordinato appetitu feratur, oculis adscribat, qui sæpe animam intuentis deprædantur. Denique, *qui amat periculum, in illo peribit.* Nec admodum ille sibi beneuolentiã Dei conciliat, eiusque auxilium promeretur, qui, quod in se est, ad vitandum peccatum non facit, sed in causa peccatum ipsum procurat, spe nixus, sed vana, Deum auxilio futurum. Non ita, sed iuuantem se Deus adiuuat, &, si quis manum operi admoueat, præstò est omnibus inuocantibus se.

Lib. 1. Officiorum, sub finẽ.

Eccli. 3.

In annuis prouincia Goana, anno 1609.

Abassini Æthiopes (vt scribunt ij qui in locis illis versantur) in Sacerdotibus Christianis præ ceteris suspiciunt castitatem; cùm eorum
„ Religiosi, quos habent plurimos, sint impurissimi. Ipse Rex, fratri
„ suo Proregi Tigræ colloquens, eosdem Ecclesiæ Romanæ Sacerdotes
„ Angelos esse asserebat. Antistes quidam Religiosus, Reginæ seu Im-
„ peratricis magister, cùm esset apud Reginam cum nostris, percuncta-
„ tus est quo vterentur remedio, quáve medicina, vt sic essent casti. Cùm
„ responsum esset adhiberi orationes, pœnitentias, & sedulam sensuum
„ custodiam, Illa, inquit, ratione tutò tale monile seruatur. Placuit responsum Reginæ; nec immeritò: nam etsi nemo continens esse possit, nisi Deus det; Deus tamen continentiam nostram non seruat, nec nos insanis concupiscentiæ motibus liberat, nisi & nos ipsi opportunis præsidijs iuuare conemur.

7. *Fiducia in Deum.*

Septimò, etsi vires omnes conferre debeamus ad vincendum, tamquam si nobismetipsis relictis victoria de hostibus reportanda foret, nihilominus ita in Deum fiduciam omnem coniicere necesse est, ac si ex nobis nihil planè possemus, vt & nihil sine Dei auxilio possumus. Ideo sæpe ad Deum recurrendũ est; ita enim monet D. Bernardus: *Nos ergo, fratres, (obsecro) super custodiam nostram stemus, quoniam tempus militiæ est. Nec in sterquilinio huius miseri corporis, sed in corde vbi Christus habitat, in iudicio & consilio rationis sit conuersatio nostra: ita sanè, vt non in ipsa habeamus*

In serm. de diuersis, serm. de Verbis Habacuc cap. 2. Super custodiam meam stabo, post medium.

habeamus fiduciam, nec fragili innitamur custodiæ, sed figamus gradum in munitionem firmißimæ petræ, Christo totis viribus innitentes, sicut scriptum est: Qui statuit supra petram pedes meos, & direxit gressus meos. Hæc Bernardus. *Psal. 39.*
Et quidem matutino tempore infimis precibus rogandus est, vt auxilio esse velit. Id etiam Angelo custodi commendandum est. Adhibenda quoque protestatio: si quis motus exurgat à concupiscentia, vana gloria, ira, inuidia, & similibus, nolle omnino id à se prodire, velle detestari ex animo; & quæcumque à dæmone, carne, mundo obijci poterunt, abominari: largiri Deus dignetur gratiam assiduè vigilandi, ipsumque inuocandi opportunis temporibus, totamque spem in ipso collocandi; non permittat à se vitiis occasionem ansamque præberi; vires denique sibi sufficiat, vt ad eius gloriam de hostibus victoriam reportet. Id matutina oratione seriò feruenterque agendum erit.

Nec id modò, sed generosus pugil dabit operã vt propositi frequenter sit memor. Si rem aggredi debeat alicuius momenti, vbi præsertim alicuius lapsus esset periculũ, non incipiat, quin priùs tabernaculũ Dei in se commorantis accesserit, opem implorauerit, & eius consilium super ea re quæsierit. Si feminam conuenire oporteat, si lasciuum adolescentem, si aduersarium, si mensa adeunda, si ex loco superiori dicendum, si conferendum disserendumque animosiùs, hæc & similia non adoriatur imparatus. Cùm Ecclesia sæpe repetat versiculum illum, *Deus in adiutorium meum intende*; signo salutifero pectus muniat, tum *Psal. 69.*
magna cum modestia incipiat, pergat alacriter, & generosè conficiat, vt non tam rem suam quàm Dei negotium agere videatur. Quòd si, dum agit, se pulsari sentiat interiùs, non curet, pergat ex animo; & quod cœpit solius Dei intuitu, inuidia dæmonis lacessitus non omittat.

Requiritur postremò Dei protectio; quæ vtique non deerit, si humiles fuerimus, & tamquam paruuli optimum patrem timuerimus. De hoc D. Augustinus in Psalmum centesimũ-secundum, *Secundùm altitudinem cæli a terra corroborauit misericordiam suam super timentes se; Quia*, inquit, *si aliquando potest cælum abscondere se à protectione terræ, aliquando poterit Deus non protegere timentes se. Attende & cælum: vbique atque vndique protegit terram; & nulla pars terræ est, quæ non cælo protegatur. Peccant homines sub cælo, faciunt omnia mala sub cælo, tamen proteguntur cælo. Inde lux ad oculos, inde aër, inde spiritus, inde pluuia ad terram propter fructus, inde omnis misericordia è cælo. Tolle auxilium cæli à terra, statim deficiet. Sicut ergo protectio cæli permanet super terram, sic protectio Domini permanet super timentes eum. Times Deum? super te est protectio ipsius.* Hæc Augustinus: ex quibus videre est, Dei protectionem deesse non posse, modò ipsi non desimus nobis, si humiles & timentes ad eum recurramus.

8. Protectio diuina. August. in Psal. 102.

Quæ diuinam protectionem augeant.
a 1.
Gratia & virtutum incrementum.
b 2.
Diligentia nostra.
c 3.
Caritas protectionis mensura.
d *Prouer. 8.*

Augetur verò Dei protectio [a] cum virtutum incremento & gratiæ; quo enim Deo cariores sumus, eo maior eius cura erga nos atque protectio. [b] Crescit quoque cum cura diligentiaque, quam ad ea vitanda, quæ Deum offendunt, adhibemus; nihil enim mercede dignum indonatum prætermittit, nec se patitur liberalitate superari. [c] Denique protectionis gradus caritate in Deum nostra metiri possumus; quo enim Deo sumus cariores, eo maiorem de nobis ostendit solicitudinem, idque meritò: nam quo Deum intensiùs diligimus, eo magis timemus ne ab eius amicitia excidamus, eo diligentiùs ipsius opem imploramus, & eo ipse libentiùs eam nobis impertit; ait enim: [d] *Ego diligentes me diligo; & qui mane vigilauerit ad me, inueniet me.*

His subsidijs nonnulli sancti Patres ad magnum sanctitatis fastigium peruenerunt, rabidos concupiscentiæ morsus ac stimulos magna ex parte euaserunt, & propemodum ad primi parentis innocentiam redierunt. In pugna tantùm discrimen aliquod est, quòd Adamus hoste intus caruerit, verùm virtute, gratiæ amplitudine ac robore nihil ei posteri non pauci concesserunt. Et hi quidem nos ad imitationem prouocant. Audet S. Paulus, & dicit: *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi. Curro, non quasi in incertum: sic currite, vt comprehendatis.* Sed hæc pauca pro opportunitate: spectant enim ad praxim, quare in librum secundum ea reijciemus.

1. Cor. 11.
1. Cor. 9.

Id ex dictis conficitur: *Gratia Domini nostri* IESV *Christi hominis vulnera morbosque sanari, potentias superiores ad diuina peragenda restaurari, animam hominis nobilissimis gratiarum ornamentis illustrari, mentem ac voluntatem præstantissimis virtutum luminibus ac gratijs condecorari, muniri, roborari, denique totum hominem* PERFECTIONIS *studio aptum idoneumque restitui*; cuius beneficij auctori, Deo Patri, & Filio eius IESV Christo, & Spiritui sancto, gloria in sæcula. Amen.

CAPVT XXIV.

De quadruplici hominis vita, naturali, peccati, gratiæ, & æterna.

Quinque errores circa animæ originem.
1.
Lib. de hæres. cap. 6. 70.

Ex hoc cognoscimus quantum vulnus per peccatum originis acceperit homo in intellectu, quòd ne sui quidem principium, nec suarum actionum originem pernoscere vmquam potuerit. Et sanè de animæ ortu quot errores emerserunt! Voluerunt nonnulli, Augustino auctore, animas humanas particulas esse diuinæ substantiæ, proinde

inde nec creari, nec traduci à parentibus. Ignoscendum fuisset Stoicis
id opinantibus, sed turpiùs hic error à Philone Iudæo defenditur; qui
etiam Gnosticis, Manicheis, Priscillianistis lampada tradidit. Non mi-
nùs turpiter hallucinatus est Plato, quem diuinum nominarunt, qui
humanas animas à Deo quidem creatas fuisse, & ex nihilo, sed omnes 2.
simul cum Angelis; deinde fastidio quodam affectas bonorum illorum
spiritualium, quibus in cęlo fruebantur, amare cœpisse res terrenas, at-
que à Deo idcirco in corpora tamquam in carceres compingi. Orige-
nes (quod mirere) lapsus est in hunc errorē; eúmque damnauit Conci-
lium Bracarense primum, & D. Leo sanctique Patres reprehenderunt.
Censuerunt nonnulli,[a] animas quidem in cęlo cum Angelis non fuisse,
sed cum iisdem conditas quibusdam locis asseruari, ac deinde modò
vnam, modò alteram ad corpora transmitti. Quàm stultè id quidem, D. a 3.
Hieronymus in quadā epistola satis exprimit. Visi sunt alij ampliùs sa-
pere, asserentes,[b] vti corpora à parentum corporibus, ita & animas ab
eorundē animabus generatione traduci. Hoc insipienter Tertullianus;
quem secutus est Apollinaris, teste[c] D. Hieronymo. [d] *Formauit* enim b 4.
Deus hominē de limo terræ, & inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ; animas
verò bestiarum fecit materiales, dicens, [e] *Producat terra animā viuentem in
genere suo, iumenta, & reptilia, & bestias terræ*. Quæstio de ortu animæ
(fateor) difficilis est; & D. Augustinus censuit originē latere, neque facilè 5.
esse definiendum. Quamquam fides iam dubitandi locum non relin-
quit, asserens nempe[f] animas à Deo creari, & infundi singulorum cor-
poribus dispositis ad animę rationalis susceptionem.

Philo lib. quem inscripsit, Quòd deterius potiori insidiari solet.
Lib. 1. de principijs, cap. 7. tomo 1.
Conc. Brac. c. 6. tomo 2. Conc.
Leo epist. ad Turbium, c. 6.
Epist. ad Marcellinum, inter epistolas August. 27.
c *Epist. cit.*
d *Gen. 2.*
e *Gen. 1.*
August. libris 4. de orig. animæ, tomo 7.
f *Veritas de origine animæ rationalis.*
g *Philosophorū sententia de animæ immortalitate.*

[g] Tota ferè cohors Philosophorum in quæstione de animæ immorta-
litate vel errauit, vel certi aliquid vix statuere ausa est, vacillans in om-
nibus, & multa lumine naturæ comminiscens, quantum excogitare
potuit. De principijs naturalibus sic definiuerunt, vt ne iam quidem
constet de eorum veritate. De vita humana, principio motuum om-
nium, norunt vix aliquid Philosophi. An in corpore fiat concoctio ci-
borum; crescant corpora vi alimenti, decrescant defectu natiui caloris;
vnde potentiæ nascantur; síntne in anima potentiæ aliquæ; qua ratio-
ne moueantur; cuius imperio partes omnes corporis agantur; pauci
cognoscunt. Quomodo ergo nossent in nobis esse vitam spiritualem?
quomodo peccatum principatum interdum tenere? Deum excludi, re-
gnare hostem teterrimum? quod tamen magni refert ad vitam Chri-
stianè instituendam, & maximè ad PERFECTIONEM assequen-
dam, ad discernendos spiritus; qua sine cognitione vita spiritualis ne
quidem potest consistere.

2. Quia verò mortales oculos aperire nolunt; quódque in eo-
rum obtutus sese intrudit atque ingerit, videre recusant; ex vita

naturali ceteras vitas depingere ſtatui.

Vita naturalis deſcriptio.

Nemo ſanæ mentis in dubium reuocat ſe viuere, tametſi normam rationémque viuendi ignoret. Conflatur vita naturalis ex coniunctione corporis & animæ, quæ tamquam forma corpori dat eſſe & vitam.

Potentiæ ex animæ eſſentia confluunt.

Ex animæ eſſentia confluunt potentiæ ſeu facultates; è quibus operationes manant, tum internæ, tum externæ. Ab eadem anima motus omnis oritur; & quòd oculos aperiri, manus contrahi, pedes incedere, hominem flere vides, ridere, emittere voces nunc ſignificantes, nunc omnino nudas & notionis expertes, ſcias hæc ab vna anima latēte produci.

Anima in actionibus conſpicitur.

Sed quomodo latet? cur potiùs non ais eam ipſam in aperto eſſe, ac videri? Prodit omnino ſeſe, &, ſi ſpiritus non eſſet, eam oculis corporeis conſpiceres: ſigna tamen abditæ latentiſque animę ſat ſuperque obſeruas, & eam ratione præſentem eſſe diſcernis. Quanta differentia irati ac pacati, exultantis contractique animi, iocantis ac pugnantis pugilis! pæne in vultu geſtuque corporis annuentem aut renuentem iudicas; & quid intimo latet animo, vultus ipſe ſæpe, vel triſtis vel hilaris, grauior vel leuior, vox remiſſior aut excitatior manifeſtat; vt eleganter Cicero.

Lib. 1. Officiorum.

Ex oculorum, ait, *obtutu; ex ſuperciliorum aut remiſſione aut contractione; ex mæſtitia aut hilaritate; ex riſu; ex locutione; ex reticentia; ex contentione vocis, ex ſubmiſſione; ex ceteris ſimilibus facilè iudicabimus quid eorum aptè fiat, quid ab officio naturaq́ diſcrepet.* Hæc ille. Videmus ergo animi motiones; & quid ex recta ratione, quid ab inordinato affectu oriatur, iudicamus. Intuere vultum infirmi; præſtolare donec animam emiſerit; ſolo oris aſpectu mortuum dicis, animam deceſſiſſe: & neſcio quomodo ipſa in vultu etiam dormientis ſeſe præſentem eſſe denuntiet. Hanc vitæ humanæ harmoniam ex anima & corpore colligatam (quòd in ea lumen quoddā rationis vel ex ipſius corporis officijs effulgeat) Philoſophi diuinam eſſe cenſuerunt: nec modò in hiſce inferioris ordinis rebus conſiderandis occupari, ſed ſupra cælos animam verſari, & cæleſtia quædam rimari in ipſo corpore, idque operibus factiſque demonſtrare. Hinc hominis forma non prona, ſed recta, corpus erectum, vt ſit facilis ad cælos proſpectus: ſicut poëta quidam deſcribit:

Ouidius lib. 1. Metamorph.

Pronaq́ cùm ſpectent animalia cetera terram,
Os homini ſublime dedit, cælumq́ tueri
Iuſſit, & erectos ad ſidera tollere vultus.

Lib. 22. ciuit. c. 24. circa medium.

Quod piè Auguſtinus explicans ait: *In ipſo corpore noſtro, quamuis nobis ſit cum belluis mortalitate commune, multisq́ etiam reperiatur infirmius, quanta Dei bonitas, quanta prouidentia tanti Creatoris apparet! Nónne ita ſunt in eo loca ſenſuum & cetera mēbra diſpoſita, ſpeciesq́ ipſa ac figura atque ſtatura totius corporis ita modificata, vt ad miniſteriū animæ rationalis ſe indicet factam?*

Non

Non enim vt animalia rationis expertia prona videmus esse in terram, ita creatus est homo; sed erecta in cælum forma corporis admonet eum, quæ sursum sunt, sapere. Porrò mira mobilitas quæ linguæ ac manibus attributa est, ad loquendum & scribendum apta atque conueniens, & ad opera artium plurimarum officiorumque complenda, nónne satis ostendit quali animæ vt seruiret tale sit corpus adiunctum? Hæc pauca de multis quæ D. Augustinus adfert in hanc sententiam.

3. Hoc rationis lumen in anima, vitæ naturalis primo principio, posuit Deus, vt solem in mundo, qui microcosmo præluceret, & singulariter hominis vitam inter animalia degentem illustraret. Ex quo noua & plura quidem lumina vt à sole stellæ & astra oriuntur, quibus natura humana miro splendore coruscat. Cùm enim anima hominis sit imago superni Numinis, primique & æterni legislatoris; signatum est quoque super hanc imaginem lumen vultus eius.

Rationis lumen microcosmum, vt sol mundum, illustrat.

Psal. 4.

Ab hoc vultus diuini lumine, quo Deus omnia intuetur & iudicat, leges omnes ortum habent, & in eius imagine, hominis nempe anima, descriptæ sunt. Et primum quidem illud principium ceterorum basis est; *Bonum esse prosequendum, fugiendum malum:* omnes enim hoc norunt, hoc fatentur, hoc prædicant; ex eo omnes naturæ pendent leges: nam quæ bona sint, quæ mala, ipsa ratio, quæ legislatorem agit, non obscurè præscribit ac designat.

Lex naturæ vnde oriatur.

Legum primum principium bimembre.

Et bona quidem, alia vtilia, alia honesta censentur. Eorum quæ vtilia, quædam communia sunt cum viuentibus, qualia sunt viuere, crescere, alimenta sugere; quædam homini cum animalibus, vt conseruatio speciei per sexuum commixtionem; quædam denique soli homini propria, vt est viuere secundùm rationem: est enim proprium bonum hominis, ex rationis norma actiones suas dirigere.

A bono quærendo bonorum quadam vtilia, vtilium genera tria.

Ex hac propensione
prosequendi boni, diuersæ nascuntur leges: vt, Vitam esse conseruan-
dam; & ex hac aliæ, Cibo, alimentis, & somno eandem sustentandam 1.
esse; Si vis inferatur, vim vi esse repellendam. Inclinatur quoque ex 2.
prima & generali lege prosequendi boni ad seipsam in specie conser- 3.
uandam. Hinc lex generis humani propagandi: ex quo principio se- 4.
quuntur leges, Vxores nempe legitimas à nonnullis saltem sibi copu- 5.
landi; Non more pecudum generationem esse debere communem, vt 6.
proles agnoscatur & conseruetur; Prolem esse educandam; Legitimè 7.
denique in parentum hereditatem succedere. 8.
Inclinatur & ad bonum honestum; vnde hoc principium nascitur, Vitam ex rationis nutu esse instituendam.

Leges ab vtili eductæ.

Ex hoc duo noua principia emergunt: Vnum Deum colendum esse; &, Quod tibi fieri nolis, alteri minimè faciendum. Ex priore prodeunt præcepta primæ, vt vocant, tabulæ: Nulli, excepto immortali Deo, diuinos

Leges ab honesto duplices.

Præcepta primæ tabulæ.

diuinos latriæ honores esse deferendos; Et si quem Deum in testem vocaueris, non falsum, sed verum inuoces, cum veritate, iudicio, ac reuerentia; Certum illius cultui tempus attribuas, quo & agnoscas, & venereris, & inuoces. Ex altero principio nascuntur præcepta alterius tabulæ, quibus statuitur, Vt parentes tuos ames, colas, & obserues; Vitam alteri non adimas, non pudicitiam, corporisque decus, non bona temporalia, non famam: & hęc ne voluntate quidem; nam etiam turpe est velle, quod recta ratione cauetur ac prohibetur fieri: hæc enim prudenter nemo volet sibi ab altero irrogari.

Præcepta secunda tabulæ.

In hoc esse semina virtutũ.

a Homil. 9. in Hexamer. ante medium.

4. Sunt & in eadem ratione semina quædam virtutum naturalium, referente [a] Basilio; vt inclinatio quædam ad Religionem, pietatem, iustitiam, veritatem, amorem Dei naturalem & proximi: quæ semina non sunt tantùm desideria pertinentia ad salutem, (vt videtur sensisse Cassianus) sed in intellectu quidem est lumen rationis seu συντήρησις, dictans homini euidenter harum virtutũ officia; & in voluntate, naturalis quędam propensio & incitatio ad hæc obeunda. Dicuntur autem semina virtutum, quia ex his, tamquam primis rudimentis, virtutes oriuntur & succrescunt.

Virtutes quatuor cardinales vnde oriantur.

Prodeunt ex illis quatuor illæ virtutes, quæ velut cardines internam naturæ PERFECTIONEM fulciunt; Prudentia in intellectu, Iustitia in voluntate, in appetitu irascibili Fortitudo, in concupiscibili Temperantia: ex quibus ceteræ virtutes morales propagantur, hominemque ijs vtentem componunt & perficiunt, &, vt Deo & hominibus quod suum cuique est reddat, efficiunt. Si quis ergo rationem ducem audiat ac sequatur, his ornamentis vitam suam illustrat atque componit; in ijs anima ipsa inuisibilis cernitur, & incredibiles amores in internis intuentium oculis excitat. Vt enim res tenuis, exigua, vel obscura per crystallum perspicaciùs conspicitur; & maior illustriorque apparet: sic & anima per illustrissimas virtutum species & illustrior efficitur; & re ipsa inuisibilis in oculis mortalium, visibilis conspicuaque redditur.

Simile.

Vita humana breuitas & miseria.

5. Hæc in vita naturali præclara sunt; & seruient, spero, vt in ea tamquam in speculo ceteras spirituales vitas intueri liceat. Sed quia homo à gratia, in qua stabilitas eius ac consummatio consistebat, excidit; excidit etiam à felicitate vita humana, suasq; habet miserias & calamitates; quas nihilominus amat infelix, & præfert excellẽtiæ amoris diuini, opibusque spiritualis vitæ, in qua sola saluari beariqúe poterit; sine qua omnes mundi sapiẽtes cum omni sua scientia, ingenijs, rebus gestis pręclarissimis, stulti obscuriq; meritò reputabuntur. Ab huius amore Deus nos volens auertere, multa in diuinis litteris memoriæ prodidit, & illud in primis: *In sudore vultus tui vescèris pane tuo, donec reuertaris in terram* de

Gen. 3.

de qua ſumptus es; quia puluis es, & in puluerem reuertêris. Illud, *donec*, bre-
uiſſimum eſt: *omnes* enim *morimur, & quaſi aquæ dilabimur in terram, quæ* 2. Reg. 14.
non reuertuntur. Et quidem à primo ortus noſtri momento dilabi inci-
pimus tamquam aquæ, & abſorpti à terra imbibimur numquam emer-
ſuri. O breuis vita, quæ à ſuo ortu diffluit, & quaſi momento ſpargitur,
nec ampliùs apparet! vnde ſapientiſſimus Iob: *Dies mei velociùs tranſie-* Iob 7.
runt, quàm à texente tela ſucciditur, & conſumpti ſunt abſque vlla ſpe. He-
ſterni quippe ſumus, ait idem Iob, (nam heri nati, hodie morimur) *& ig-* Iob 8.
noramus quoniam ſicut vmbra dies noſtri ſunt ſuper terram. At *vmbra num-* Iob 14.
quam in eodem ſtatu permanet. Amplius dicit Rex Dauid. *Ecce* (ait) *men-* Pſal. 38.
ſurabiles poſuiſti dies meos, & ſubſtantia mea tamquam nihilum ante te. Ita eſt:
exactis enim diebus, ſi eos metiri velimus, & ſubſtantiam noſtram, iam
tranſierunt, & ad nihilum redacta ſunt; vnde nihil ponderis, ne mo-
mentum quidem, in bilance adijcient. Sed graue eſt quod addit: *Om-* Pſal. 89.
nes dies noſtri defecerunt, & in ira tua defecimus. Si enim & diebus & ſub-
ſtantia deperdita deficiamus in ira eius, quid ex nobis ſupererit? Id ſanè
de quo Saluator: *Bonum erat ei, ſi natus non fuiſſet homo ille*. & Sapiens: Matth. 26.
Quid neceſſe eſt homini maiora ſe quærere, cùm ignoret quid conducat ſibi in vita Eccle. 7.
ſua numero dierum peregrinationis ſuæ, & tempore quod velut vmbra præterit?
aut quis ei poterit indicare quid poſt eum futurum ſub ſole ſit? Moritur enim
nobis mundus, dum morimur; &, quaſi non eſſent quæ in eo fiunt, nos
ea ſcire non poſſumus. Denique *numerus dierum hominum vt multum* Eccli. 18.
centum anni: quaſi guttæ aquæ maris deputati ſunt; & ſicut calculus arenæ, ſic
exigui anni in die æui. En comparati anni ſinguli ſingulis guttis aquæ, &
calculis arenæ. Ecquid ergo minus, quid leuius excogitari poteſt?

6. Et hæc vita eſt breuis & miſera, quam adeò amamus, ob quam
conſeruandam omnia exponimus, neglecta animæ vita æterna, & ex
memoria prorſus depoſita; de qua ita D. Auguſtinus: *Labores & pericula* Epiſt. 45. ad
& exitia huius tranſitoriæ vitæ ſi pro eadem vita quandoque finienda ſubeuntur, Arment. Ripa-
vt mors eius non omnino auferatur, ſed paululum differatur; quanto magis pro rium.
æterna ſubeunda ſunt, vbi mortem nec natura ſolicitè cauet, nec ignauia turpiter
timet, nec ſapientia fortiter ſuſtinet! nulli quippe erit, quæ non erit. Habeat
igitur te vita æterna in dilectoribus ſuis. Nónne cernis, hæc vita miſerabilis &
egena quàm vehementes habeat quantumq; ſibi obliget amatores ſuos? qui ta-
men, periculo eius ſæpe turbati, citiùs eam finiunt eo ipſo quo finire formidant,
&, mortem dum declinant, accelerant; veluti ſi quiſquam fluuio rapiendus ir-
ruat, latronem beſtiámve fugiendo. Iactant in mare tempeſtate ſæuiente ali-
quando & alimenta; &, vt viuant, proijciunt vnde viuant, ne citò finiatur quo
vel in labore viuitur. Quantis laboribus agitur, vt longiore tempore laboretur!
& mors, cùm impendere cœperit, ideo cauetur, vt diutius timeatur. Nam inter
tot caſus fragilitatis humanæ quàm multæ mortes timentur! quarum certè vna

cùm venerit, restat ceteras non timeri: & tamen fugitur vna, cùm omnes timeantur. Quibus excruciantur doloribus, qui curantur à medicis, & secantur! Numquid vt non moriantur, sed vt aliquanto seriùs moriantur? Multi cruciatus suscipiuntur certi, vt pauci dies adijciantur incerti. Et nonnumquam ipsis doloribus victi continuò moriuntur, quos mortis timore suscipiunt. Et cùm omnino non eligant vitam finire ne doleant, sed dolere ne finiant, accidit eis vt doleant & finiant: non solum quia & sanati vtique vitam finiunt post dolores, quæ tantis pœnis comparata nec sempiterna esse potest, quia mortalis est; nec diuturna, quia tota breuis est; nec de ipso breui spatio sui secura, quia semper incerta est; verùm etiam quòd aliquando eam dolore finierunt, quam ne finirent, dolore voluerunt. Habet etiam hoc magnum malum, ac vehementer execrandum & horrendum, nimius amor vitæ istius, quòd multi, dum volunt paulo diutius viuere, Psal. 35. *grauiter offendunt Deum, apud quem est fons vitæ: atque ita, dum ab eis frustra qui necessariò futurus est vitæ finis metuitur, illinc prohibentur, vbi sine fine viuitur. Huc accedit, quia vita misera, etiam si posset esse perpetua, nullo modo beatæ vitæ etiam breuissimæ comparanda est: & tamen isti, amando miserrimam ac breuissimam, perdunt beatissimam ac sempiternam; cùm in ipsa hac, quam male diligunt, hoc velint, quod in altera perdunt: quia vtique in ista nec miseriam diligunt, nam beati esse volunt; nec breuitatem, nam eam finiri nolunt; sed tantùm quia vita est, sic amatur, vt sæpe propter eam (licet miseram & breuem)* *Mors naturalis vita contraria.* *beata & sempiterna amittatur.* Hæc Augustinus. Vitæ namque naturalis finis mors est; quæ nihil est aliud, quàm consortij animæ cum corpore initi dissociatio ac dissolutio, & certa quidem & infallibilis: sed separatio hæc neutrius partis interitus is est, qui adimat extinguatque omnia; manet enim animus, nec moritur; nec corporis excitandi spes potest excidere Christiano homini. Quare cùm æterna vita supersit, sic viuamus, vt non frustra nati, non temere naturæ dona tam excellentia à Deo accepisse videamur.

CAPVT XXV.

Vitam peccati immanem esse tyrannidem.

Vita naturalis quid sit. 7. Ex his concipimus quid sit vita naturalis, quæ (vt collectim dicamus) aliud nihil esse videtur, quàm *substantia quædã spiritualis, quæ se spiritualiter & corporaliter mouet ac perficit, quæq; tribuit homini vt sit, estq; facultatum, quibus operatur, origo, illisq; medijs omnium operationum principium*. Videamus nunc an similitudine quadam peccati vitam si non ad viuum describere, saltem aliqua ratione adumbrare valeamus; nam & eius cognitio non paruam nobis vtilitatem adferet.

Est

Est ergo *vita peccati habitudo quædam spiritualis, quæ animum contaminat, facultates occupat & inficit, mouet intellectum, voluntatem, omniaq; corporis organa ac membra: facit vt, qui filius Dei sit, euadat flagitiosus; filius iræ, filius perditionis, filius diaboli; estq; malorum omnium, quæ vel in animo sunt, vel ex homine prodeunt, origo ac principium.* *Vita peccati quid.*

Esse in primis talem in homine vitam, primùm omnium probandum est, ne initio nostra vacillet oratio. Ait enim D. Paulus: *Sicut regnauit peccatum in mortem, ita & gratia regnet per iustitiam in vitam æternam.* At gratia est animæ vita, vbi ipsa regnat: est ergo peccatum animæ vita, vbi regnat in nobis. Verùm non quodlibet peccatum vita letalis est animæ, sed illud quod viuit, quod regnat: concupiscentia enim post Baptismum peccatum est, sed vitam non habet. Vt ergo fides sine caritate aut gratia mortua est in semetipsa, ita etiam concupiscentia dimissa culpa ac voluntate peccati mortua est, & vitam non habet: alioquin & Paulus filius mortis & peccati fuisset; ait enim: *Si autem, quod nolo, illud facio; consentio Legi, quoniam bona est: nunc autem iam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum,* id est, peccati fomes & concupiscentia; quæ quamuis vitam non habeat, & mortua esse censeatur quo ad culpam, non tamen quo ad velitationem, & exercitium nobis relictum. Vt enim serpens dissectus in partes parum quidem nocere; attamen si accesseris, adhuc mordere potest: & sicut candela, extincta flamma, domum quidem non facilè incendet, tamen igniculum fouet adhuc vrentem: sic & concupiscentia, etsi emortua, pungit tamen, & sæpe cruentat, si audiamus; & igniculus vrit, &, si materiam aridam inueniat, etiam flammam in ea excitabit. Quamuis ergo concupiscentia peccatum dicitur, quia à peccato orta ad peccatum inclinat ac proritat; *nihil* tamen *damnationis est ijs qui sunt in Christo* IESV, *qui non secundùm carnem ambulant.* *Esse aliquam peccati vitam, probatur.* *Rom. 5.* *Non omne peccatum censetur dominari ac viuere.* *Iacob. 2.* *Rom. 7.* *Similia.* 1. 2. *Concupiscentia vocatur peccatum.* *Rom. 8.*

Verùm si regnet peccatum, ergo viuit: actus enim vitæ sunt imperare, regere, regnare, leges condere & edere, habere subditos quibus quispiam mandet, & cui obtemperetur. At peccatum regnat; alioqui cur nos hortaretur Apostolus [a] ne regnet peccatum in nostro mortali corpore? [b] Et seruos habet, Christo Domino auctore: [c] *Qui facit peccatum, seruus est peccati.* Ait quoque Apostolus: [d] *Nescitis quoniam cui exhibetis vos seruos ad obediendum, serui estis eius cui obeditis, siue peccati ad mortem, siue obeditionis ad iustitiam?* Diuus item Petrus, de falsis Prophetis loquens, *Libertatem,* ait, *illis promittentes, cùm ipsi serui sint corruptionis: à quo enim quis superatus est, huius & seruus est.* *Peccati seruitus ac tyrannis prima.* a *Rom. 6.* b *Secũda ratio, seruitutis.* c *Ioan. 8.* d *Rom. 6.* *2. Pet. 2.*

Vt ergo Princeps aliquis, varios seruos habens, huic mandat, Fac hoc, & facit; illi præcipit, Vade illuc, & vadit; alteri, arma sumat, & aduersarium interimat, & paret: ita & peccatum dum viuit, dum regnat *Similitudo 1.*

in nobis, præcipit seruo suo, homini peccatori, vt id, quod habet in delicijs, faciat, & facit. Et primò satis illi est fecisse semel: tum duplicat, multiplicat, centuplicat lapsus; initio quidem ita secretò, vt à nemine videatur, &, orta minima suspicione, seruus suffunditur rubore ac verecundia. Deinde mandat fieri sine timore; denique sublata fronte, inuerecundè, impudenter, nullo Dei hominumque respectu. Et hæc quidem in vno genere; sed turpitudo vna aliarum subsidiũ requirit: cœpit ab vna, addita est deinde altera, & tertia, & decima, & centesima; & sic vnico peccato, tamquam domino, centum aut etiam mille alia seruiunt; & toties replicantur, quoties dominus insanit & mandat; & quia semper insanit, (quæ enim sanitas esse possit in morte viuenti?) in peccati obsequio miser homuncio (quem Deus orbis Principem con-
Similitudo 2. diderat) perpetuò versari cogitur. Et vt prædo in ædibus primùm priuatis, & ijs quidem in quibus inhabitat, furti tirocinium ponit, deinde in vicinas ædes irrumpit, tum tota grassatur vrbe, denique etiam vias obsidet regias; ita peccatum, seu voluntas peccato mancipata, timet initio vel in actum Venereum aliúmve consensum præbere; sat illi & abunde est, si cogitando delectetur; id euadit familiare, pergit vlteriùs, optat tantùm, optat (inquã) quod nec ausit nec velit omnino exercere; vult postmodum, sed non audet; verùm mandat dominus seruo, Fac hoc, & facit; Vade, occasiones quære, solicita, ingere te, verecundiam postpone, & vadit. At impediar. Sume, ait dominus, arma, obuios quosque sterne, viribus vtere tuis & meis: & seruus paret. O potentẽ dominum, cui mundi caput ita obsequitur, vt nec Deus ipse, cui omnia debemus, æterna pollicens tantundem obtinere possit! Ideo indigna-
Rom. 6. bundus exclamat Paulus: *Ne exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato*. Proh dedecus ac infamiam! non est facultas in homine vlla, quæ in obsequio peccati non impendat sese, & superimpendat. Intellectus modos malè agendi excogitat: volũtas omni ardore fertur in bonum optatum; mandat phantasiæ, illaque repræsentat permulta; appetitui habenas laxat, & instar equi in fœditatem omnem prosilit: adsunt sensus omnes dispositi delicias domino suo paratas excipere, inducere, ac deferre: adsunt membra omnia, os, dentes, vox, manus, pedes, brachia, lacerti, vt seruiant. Si quis sese obijciat & impediat, erunt & arma, quibus & sese tueantur, aliosque offendant. Si gladius absit, dentes & vngues vices supplebunt. Manus instar mallei collecta tibi caput obtundet, pes furore armatus sicut equus inopinatò impetet calcibus. Denique omnia hæc membra arma sunt, vt misella anima feriatur, confodiatur, trucidetur, & infelicissimè intereat. Quid dementius, quid tetrius dici excogitarique potest? At peccatum hoc
Ibidem. facit, cùm regnat, teste eodem Apostolo: *Exhibuistis membra vestra*

seruire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem.

8. Milites ergo habet peccatum; & sibi repugnantes distinet, atque prehensat, si capere omnino non possit. Cepit orbem vniuersum, & in carcere ac seruitute diutissime tenuit. Cùm autẽ detinet, tot catenis inuoluit atque obstringit, vt etiã soluti, soluti omnino esse non possint. Hoc sit exemplo. Primus parens pactum inijt cum peccati primo auctore ac principe diabolo, qui nos omnes licitatus pretium obtulit vniuersi orbis, voluptatem, quæ colligi poterat ex esu vel etiam morsu vnico pomi vnius. Magni fecit id pretij parens noster, nosque omnes vendidit. Princeps verò mendacij tradidit nos peccato, filio suo primogenito, immanissimo tyranno; cui totus pæne mundus ab exordio seruiuit. Horum seruorum aliqui nouum obsequij stipendium postularunt, vt mancipiorum instar planè adstricti seruirent. Venit postmodum Christus Filius Dei, qui peccatum cruci affixit, vt illud destrueret, & catenas omnes dissolueret. Fecit. *Vetus homo noster*, ait Paulus, *crucifixus est, vt destrueretur corpus peccati*. Item: *Et vos, cùm mortui essetis in delictis, & præputio carnis vestræ, conuiuificauit cum illo, donans vobis omnia delicta; delens quod aduersus nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipsum tulit de medio, affigens illud cruci; & expolians principatus & potestates traduxit confidenter, palàm triumphans illos in semetipso.* Magna potestas Filij Dei, qui tyrannum & patrem eius debellauit, eorumque vires comminuit. Nihilominus sanctus Apostolus, *Lex*, ait, *spiritualis est; ego autem carnalis sum, venumdatus sub peccato: quod enim operor, non intelligo: non enim, quod volo bonum, hoc ago; sed, quod odi malum, illud facio. Nunc autem iam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum. Condelector enim legi Dei secundùm interiorem hominem: video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati. Ego ipse mente seruio legi Dei, carne autem legi peccati.* O dura captiuitas, quam etiam summi Dei amici à tyranno patiuntur! Si iusti iugum ferre nequeunt, quomodo ferent qui alligati iugo seruitutis quasi in incude malleorum ictus sentiunt?

Tertia ratio seruitutis. — *Rom. 6.* — *Col. 2.* — *Rom. 7.*

9. At milites hi carent stipendio? Nequaquam. *Stipendia peccati mors*, ait [a] Apostolus. &: *Quem fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis?* Infaustum stipendium, infausti domini; vt seruus, quia optimè domino seruiuit, ideo cruci infami figendus sit; & viuus, & numquã moriturus, æternùm viuentibus ignibus summa cum infamia ac desperatione debeat conflagrare. O insensati mortales, quis vos fascinauit obedire tam immani bestiæ? tam truculento leoni? tam insatiabili perditionis vestræ gurgiti? Vbi sensus? vbi ratio? vbi vel exiguus humanitatis radius? Si post hanc tyrannidem saltem vos beatos efficeret, vel certè vobis nihil mali contingeret! Non est ita. In omne

Quarta ratio, stipendia peccati. — *a Rom. 6.*

genus malorum præcipites itis, Dei beatiſſimi amicitiam perditis, diſſipatis hereditatẽ cui nulla poteſt comparari, vitam profunditis quæ terminum neſcit vel durationis, vel delectationis, ac feliciſſimę voluptatis. Chriſtus clamat, Reficio; hoſtis clamat, Deficio: & tu reficientem deſeris, deſtruentem ſequeris.

Quinta ratio, immanis dominatus.

10. Sed eò, vnde digreſſa eſt, redeat oratio. Peccatum dominus eſt, & quidem vbique dominari vult, vbique primas tenere; alioquin Apoſtolus non diceret: *Peccatum vobis non* amplius *dominabitur; non enim ſub lege eſtis, ſed ſub gratia.* Dominabatur ergo cùm eſſemus ſub lege. *Sub te erit appetitus eius*, ait Dominus, *& tu dominaberis illius.* Reprehendebat Cain, quòd permiſiſſet appetitum peccati dominari in ſe. Ita enim eſt, vbique dominari vult; quamuis immanis ac barbarus, vbique dominatum obtinere: & inuenit adeò amentes, vt ſe illi ſubijciant? Rationem, ſi poſſit, è ſua ſede deturbat, vel impotentibus deſiderijs, vel graui perturbatione, vel etiam ebrietate & crapula. Cur ita? Quia ſolus dominari vult, nec conſortem admittit imperij. Quid? imò ne quidem Deo vult cedere. E corde hominis, ſi valeat, Deum eiuſque gratiam exterminabit; &, ſi ſedem vmquam fixerit, difficulter inde auelletur. Si modus eſſet, Deum ipſum è cælo deturbaret, protereret, ac deſtrueret: ij enim ſunt peccati conatus, vt Deum perdat, conterat, & in nihilum redigat; quia omnibus dominari vult,

Rom. 6.

Gen. 4.

Solus vt in vacua regnet Baſiliſcus arena.

Sexta ratio, in iuſtis paſſio.

Ad iuſtificatos ipſos venio. Sunt in animis iuſtorum præſtantiſſima dona gratiæ & virtutum: at ſint virtutes intenſiſſimæ, ſit gratia inhærens in ſummo gradu; vna paſſio vehementior, etſi tantummodo reliquiæ ac veſtigium huius domini ſit, & ſeruus quaſi effetus atque emeritus, tamen ſupereminere vult omnibus; pluſque incommodi adfert ſubinde, quàm multorum annorum fructus ex virtutum collectus operibus. Queritur de hoc ſeruo D. Paulus. *Ne* (inquit) *magnitudo reuelationum extollat me, datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ angelus ſatanæ, qui me colaphizet.*

2. Cor. 12.

Septima ratio.

Quid ſi regnet in animo hominis, pulſo gratiæ præſidio? Tum demum ſanè, quantumcumque præſtantia naturæ munera inueniat, toti homini dominatur, rabiem ſuam exerit in homines, in bruta, in rupes. Interdum domum euertit; voce, manibus, calcibus, armis, flamma, furore conuellit omnia, quia dominari vult.

Sint in vna domo mille pacifici; vnius hominis vnica proteruia turbabit omnes, pacem auferet, omnes ſuæ libidini volet ſubijcere. Vnius ſuſurronis maleuolentia aulam Principis ſanctiſſimi, vrbes item, regiones, regna ſubuertet, conuellet, ac ſolo æquabit. Inquieti Religioſi lingua maledica ſanctiſſimos alioquin viros exaſperabit; filij-familias

ebriosi incontinentia, familiæ totius ordinem quietemque confundet. At hi omnes vnicum habent peccatum: & idipsum est quod statuimus, dominum hunc solum præesse velle, nemini cedere, turbare, perdere, sternere omnia, nihil ordinatum, quietum, sartum tectumque relinquere; appetit primas cathedras, & primos accubitus in mensis, & vult in foro salutari, lautè tractari, indui *purpura & bysso, epulari quotidie splendidè*, nihil patitur sibi deesse commodorum. Manus eius contra omnes, & omnium contra ipsum. Habet de singulis quod dicat, reprehendi nullo modo vult; supra modum laudari, quia dominus est, & omnibus dominari appetit. *Dentes leonis, dentes eius, interficientes animas hominum: quasi romphæa bis acuta omnis iniquitas, plagæ illius non est sanitas.* [a] *Molares eius vt catuli leonis:* [b] *sicut rugitus leonis, ita & terror Regis* huius. Nam parem neminem leo, neminem superiorem admittit. Solus Rex dominatur, & rugitu suo cuncta animalium genera prosternit. Quòd si initio blandus catulus est, leonis tamen catulus est, tandemque aliquando *fit leo, & discit prædam capere, & homines deuorare; viduas facere, & ciuitates eorum in desertum adducere*. Talis est peccati dominatus.

Luc. 16. Eccli. 21. a Ioel. 1. b Prou. 20. Ezech. 19.

11. Diximus in vita naturali rationem agere præsidem imperij, actionibusque omnibus tamquam æquam regulam præesse; & bene: at in vita peccati, *sit pro ratione voluntas*; summa rationum esto, Ita placet; totque soles rationis irrationalis sunto, quot voluntatum fluctus, quot passionum monstra, quot cæca desideria. At quid illa operantur præter confusionem & mortem? *Cùm essemus in carne*, ait Apostolus, *passiones peccatorum, quæ per Legem erant, operabantur in membris nostris, vt fructificarent morti*. Hi sunt consiliarij qui consuluntur, quibus creditur, quibus paretur. Exterminant consilium omne sanum & rectum, deliberationem nolunt, iudicium abijciunt, præcipitantiam hisce præferunt omnibus. Sed *si cæcus cæco ducatum præstet, nónne ambo in foueam cadunt?*

Octaua ratio, furor pro ratione. Rom. 7. Matth. 15. Luc. 6.

Est & hic tyrannus legislator, legesque conduntur pro libidine, & quidem conformes illi legi de qua D. Paulus: *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati*. &: *Lex spiritus vitæ in Christo* IESV *liberauit me à lege peccati & mortis*. At quas leges, quas tabulas hic legislator suis condet subditis? Basis omnium hæc est: *Nemo carnem suam odio habuit, sed nutrit & fouet eam*. Lex ergo sit: Curam tui primam soliusque ducito. Statue ædificij tui bases tres, in quibus felicitatem summumque bonum constituas; honores nempe, diuitias, ac voluptatem. Si per ostium nequis intrare, irrue per fenestram, & domus sublimia occupa. Marsupijs plenis, horreis ac penuarijs eructantibus, animæ tuæ gratulare de beatitudine acquisita. Tene quod habes, ne alius accipiat crumenā tuam. Denique *Exiguum*

Nona ratio, iniqua leges. Rom. 7. Rom. 8. *Leges peccati.* Ephes. 5. Sap. 2.

& cum tædio est tempus vitæ nostræ, & non est refrigerium in fine hominis. Venite ergo, fruamur bonis quæ sunt, & vtamur creatura tamquam in iuuentute celeriter. Vino pretioso & vnguētis nos impleamus, & non prætereat nos flos temporis. Coronemus nos rosis, antequam marcescant: nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra. Nemo nostrûm exors sit luxuriæ nostræ; vbique relinquamus signa lætitiæ: quoniam hæc est pars nostra. Opprimamus pauperem iustum, & non parcamus viduæ, nec veterani reuereamur canos multi temporis; sit autem fortitudo nostra lex iniustitiæ. Connubij verò lex Domus Caritatis esto, cuius & proles & parentes communes sunto. *Gen. 1.* *Crescite & multiplicamini, & replete terram.* Ventrem vnicum tibi Deum deligito ac colito. *Schola Machiauellistica præcepta.* *Fidem serua quàm diu tibi vtile est; si inutile, perfidiam nullam puta.*

Iura, periura, secretum prodere noli.

Nullum scelus reputa, quod vel abditum est, vel ad magna viam aperit. Sic versare, quasi potentiam omnem vereri videaris; sic age, vt, si valeas, omnem potentiā tibi substernas, nulliq; pareas. Tibi soli lex esto: iura vel humana vel etiam diuina nulla, nisi quatenus eorum obseruatio honori vel bono sit. Adempti aut etiam tacti honoris, vel iniuriæ tibi illatæ auctorem è medio tollito. Si secretò non poßis, ferto quidem, & vultu beneuolentia simulata occasionem expectato, donec supplicium grauitate pœnæ vindictæ tarditas exaturatæ compensarit. Qui tibi non faueat, ferto neminem.

Decima ratio, coniugium peccati & carnis. 12. Nemo verò mirari debet tales condi leges: ille idem præpotens dominus in thalami sociam carnem sibi coniugauit; ex quo connubio sobolem educit copiosam. Illam amat incredibili amore: & sanè fidelis ei coniux est, complacetque in omnibus. In vtroque coniuge (vti in vita naturali virtutum semina esse diximus) vitiorum semina haud secus quàm in cœnoso bufonum stagno densè volutantur.

Proles. Psal. 7. Isaia 59. Proles sanè copiosa: nec mirum; nam vterque perpetuò parturit iniustitiam, concipit dolorem, quid ni parerent iniquitatem? *Oua aspidum* supponunt ac *rumpunt*, & serpentes ac dracones recludunt. *Qui comederit de ouis eorum, morietur.* Hi enim vesani parentes serpentes sunt & dracones, ouaque in mentibus nostris & ponere & fouere conantur, imò & rumpere atque excludere. Oua sunt eæ suggestiones, ac praua furtiuaque consilia, quæ animis nostris persæpe identidem obtrudunt aut recondunt: & quidem ea fouent in nobis, dum tacitè & ex insidijs nos adoriuntur; rumpunt verò, dum palàm impetum faciunt. De quibus D. Iacobus: *Iacob. 1.* *Vnusquisque tentatur à concupiscentia sua abstractus & illectus: deinde concupiscentia cùm conceperit, parit peccatum; peccatum verò cùm consummatum fuerit, generat mortem.*

Primogenitus peccati. Primogenitus horum coniugum est amor sui inordinatus, & hic superbiam, auaritiam, & immunditiam generat, hi autem serpentium & draconum filij cetera omnia vitiorum portenta; ita enim D. Paulus: *Gal. 5.* *Manifesta*

Manifeſta ſunt opera carnis; quæ ſunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum ſeruitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, diſſenſiones, ſectæ, inuidiæ, homicidia, ebrietates, comeſſationes, & his ſimilia, quæ prædico vobis, ſicut prædixi, quoniam, qui talia agunt, regnum Dei non conſequentur.

13. Hæc omnia homines cæci non vident; næuulos ſanctorum acu- *Sapientia carnis.*
tiſſimè diſcernunt, & defectus naturales iuſtorum exaggerant: vident
aliorum animas in omnibus, in vultu, in manibus, in inceſſu, & eos vi-
uere ſtatuunt, de vita & moribus eorum iudicant, & non vident ſe mor-
tuos eſſe Deo, viuere diabolo, ſe mancipia teterrimo domino ſeruire.
Vbi frons tua, ô ſapientiſſime hominum? vbi prudentia? O quàm ſa-
pienter Apoſtolus: *Prudentia carnis, mors eſt! Væ qui ſapientes eſtis in oculis* *Rom. 8.*
veſtris, & coram vobiſmetipſis prudentes: nam in alienis omnibus eſtis fa- *Iſaia 5.*
tui. *Ipſa claudet oculos veſtros*, ait Iſaias; *Prophetas & principes veſtros, qui* *Iſaia 29.*
vident viſiones, operiet. Item: *Sapientia veſtra & ſcientia veſtra decepit vos*. *Iſaia 47.*
Sed quid ait Scriptura? *Perdam ſapientiam ſapientium, & prudentiam pru-* *1. Cor. 1.*
dentium reprobabo. Nónne ſtultam fecit Deus ſapientiam huius mundi? Sapien- *1. Cor. 3.*
tia huius mundi ſtultitia eſt apud Deum. Scriptum eſt enim: Comprehendam ſa-
pientes in aſtutia eorum. Hæc eſt illa prudentia, quæ omnes peccatorum
actus dirigit. Bene Chriſtus Dominus: *Si oculus tuus* (inquit) *fuerit ſim-* *Matth. 6.*
plex, totum corpus tuum lucidum erit; ſi autem oculus tuus fuerit nequam, to- *Oculus animæ.*
tum corpus tuum tenebroſum erit. Oculus enim purgatus & lucidus res
agendas ac tractandas optimè nobis repræſentat; quod oculus puluere
aut prauo humore aſperſus, aut tectus macula notabili, facere non
poteſt. Intellectus noſter, vt interpretatur D. Chryſoſtomus, oculus *In Lucam.*
eſt, quem prudentia puriorem & clariorem reddit. Hic ſi puluere amo-
ris rerum tranſeuntium, aut humore carnalium deſideriorum, aut deni-
què graui peccati & erroris macula labefactetur; defectu luminis, actio-
num noſtrarum corpus obſcurum erit, & in graues incidemus errores.
Si enim *lumen quod in te eſt, tenebræ ſunt; ipſæ tenebræ quantæ erunt!* & ſi *Matth. 6.*
errore ac mendacio regaris; ipſa opera quæ ex ſe lumen non habent,
niſi ab intellectu & prudentia, quanta obſcuritate atque errore labora-
bunt! Si ſtulto regimen Reipublicæ committas, quid cenſes de illa
futurum?

14. Quare, vt aliquando concludam, *debitores ſumus non carni, vt ſe-* *Rom. 8.*
cundùm carnem viuamus: quid enim ipſa de nobis merita eſt? Quot no- *Monitio de peccati iugo excutiendo.*
bis moleſtias faceſſit! Quid, quòd cum Dei aduerſario fœdus iunxit, in
noſtram coniurauit perniciem? *Si enim ſecundùm carnem vixeritis, mo-*
riemini. In quo ergo debitor es carni? vt ſecundùm eam viuas? Ipſa
pellex eſt peccati, quæ in te mortem operabitur: ille tyrannus eſt, qui
non regere, ſed tibi dominari cupit, & perdere. Memor ſemper eſto

Rom. 6.

Hom. 11. in cap. 6. ad Rom.

consilij Apostolici: *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore. Etenim absurdum planè* (ait Chrysostomus) *atque indecens, ad cælorum regnum vocatos pro Regina peccatum habere; vocatos vt cum Christo regnent, peccati captiuos esse malle: perinde ac si quis, diademate à capite abiecto, intemperijs actæ mulieri mendicæ ac pannosæ seruitutem seruire velit.* Hæc ille, sed elegantiùs alibi ac copiosiùs. *Etsi quis* (ait) *sit diues, etsi genere nobilis; est vilibus & ignobilibus vilior, quando captus fuerit à peccato. Quomodo enim etsi quis regnauerit, fuerit autem seruus, est barbaris omnibus miserior; ita etiam in peccato. Barbarum enim est peccatum, & tyrannidem exercens in animam nescientem parere semel captam, sed in perniciem eorum qui ipsam suscipiunt. Nihil est enim æquè inconsideratum atque peccatum, nihil adeò amens & stultum & violentum. Omnia euertit, & confundit, & perdit quocumque insilierit. Est visu deforme, importunum, molestum, graue: & si quis pictor ipsum effingeret, non mihi videretur aberrare, ipsum sic effingens; mulierem quandam forma belluina, barbaram, ignem spirantem, iniucundam, nigram, quales externi poëtæ depingunt Scyllas: manibus enim innumerabilibus nostras apprehendit cogitationes & ratiocinationes, & ex improuiso ingreditur, & omnia discerpit & dilacerat, sicut canes clanculum mordentes.* Hæc ille: quæ prosequitur elegantissima descriptione auari hominis. Denique cum dæmone peccatum confert his verbis: *Peccatum dæmone peius eijciamus. Dæmon siquidem non omnino spoliat regno cælorum, sed subinde fit vt & prosit modesto & vigilanti: peccatum verò omnino excludit; voluntarius quippe dæmon est peccatum, spontaneaq; insania.* Hæc Chrysostomus. Quibus omnibus pæne cuncta, quæ diximus, complexus est.

Hom. 9. in cap. 3. epist. 1. ad Corinth. ad Verba: Nescitis quia templum Dei estis.

In epist. ad Rom. cap 15. hom. 28. in moral.

Mors peccati.

15. Huic vitæ contrariatur mors peccati: quod secundum genus mortis est, estque separatio letalis peccati ab anima; quæ à morte naturali in hoc discrepat, quòd per solam partium compositi separationem interitus ac mors sequatur. Non est ita in destructione peccati: alia vita introduci debet, quæ vitam illam funestam eijciat; de qua Christus ait: *Cùm fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea quæ possidet; si autem fortior eo superueniens vicerit eum, vniuersa arma eius auferet, in quibus confidebat.* Introducitur verò fortior armatus cum noua vita, per Dei gratiam, aut singulari animi dolore, aut Sacramentorum susceptione, aut martyrij voluntaria perpessione, adhibita aliqua pœnitentia. In Christi Domini morte ac resurrectione forma aliqua mortis huius ac ordinis elucet: *ipse* enim *traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram.* Christus ergo in cruce moritur, & nos peccato morimur: morti succedit resurrectio, & peccati nostri remissioni iustificatio & resurrectio quædam à morte sufficitur, gratia in nobis vitam nouam excitante. At *Christus resurgens ex mortuis iam non moritur, mors illi vltrà non dominabitur. Quod enim mortuus est peccato, mortuus*

Luc. 11.

Per Christi mortem figuratur.

Rom. 4.

Rom. 6.

est

est semel; quod autem viuit, viuit Deo. Ita & vos (subiungit Apostolus) *existimate, vos mortuos quidem esse peccato, viuentes autem Deo, in Christo* IESV *Domino nostro*. Non autem sic viuentes, vt in mortem relabamini; sed viuentes Deo, qui non moritur; & conformes Christo, qui rediuiuus eo à morte remotior est, quo Patri in gloria similior. *Qui enim mortui sumus peccato, quomodo adhuc viuemus in illo? Vetus homo noster crucifixus est, vt destruatur corpus peccati, & vltrà non seruiamus peccato. Qui enim mortuus est, iustificatus est à peccato*. Vis ergo iterum mori, vt iterum crucifigaris? Christus semel crucifigitur, semel moritur, *mors illi vltrà non dominabitur*. Ergo dedecet nos iterum Deo mori, viuere peccato. Et hæc sanè spem æternæ retributionis in nobis excitare debent, & constantiam: *si enim complantati facti sumus similitudini mortis eius, simul & resurrectionis erimus*.

Ibidem. *Ibidem.* *Ibidem.*

Nec verò miretur quis, quòd diximus fortem armatum pelli oportere à superueniente potentiori; ita enim fit. vt namque tenebræ pellantur, superuenientes solis radij id efficiunt; & priùs quidem adueniunt, quàm ipsæ tenebræ recedant: vt verò splendor ipse locum ipsum vestiat ac informet, priùs tenebræ pulsæ concipiuntur. Sic etiam in genere causæ efficientis, vt loquuntur Scholastici, gratia priùs peccati tenebras propellit; sed in genere causæ formalis, obscuritas peccati loco cedat necesse est, priusquam gratia animam ipsam compleat atque exornet. Accedit quòd resurrectio spiritualis sit noua vita, quæ mortem peccati planè sequitur. Ex quibus patet, telum, quo peccatum confoditur, esse Dei gratiam, qua hoste teterrimo pulso nouum regnum inducitur, nouaque vita, quæ resurrectionis nomine exprimitur; quòd homo peccato mortuus, Deo & gratiæ ipsius reuiuiscat: de qua vita modò dicendum erit.

Ad 1.2.q.113.a. 1. & 2.

CAPVT XXVI.

Vitam spiritualem seu gratiæ & dici & verò moueri debere à spiritu, eodemq; ab alijs discerni.

16. VITAM in anima nostra reperiri quæ alia sit à vita naturali, tam Christianis certum esse statuo, vt idipsum sole clariùs videri possit. sed quia pauci in hanc regiam, præsentia summi Regis illustrissimã, ingrediuntur, assueti tenebris mundi huius, nec sine dolore hunc splendorem ferunt, radios verò intueri nullo modo possunt; ideo caligantes oculi laborem fugiunt, dolorem exhorrescunt. Si quando videndum eis est, vtuntur sole qui terram irradiat; vtuntur

Spirituales pauci cur esse velint.

oculis, subinde intellectu & ratione, etsi multi perrarò, imaginatione plurimi, & in plerisque rebus: quid mirum si cæcutiant ad solis interni splendorem, si lippientes præstringantur oculi, si acie palpitent? noctuæ enim sunt, & tenebras amantes lucem fugiunt, laboremque excutientes suauissimo Dei lumine priuantur. Hi ergo iuuandi sunt: idcirco vitam naturalem descripsimus, vt similitudine quadam spiritualem possint agnoscere.

Vitam esse in nobis spiritualem.
a 1. Ioan. 3.
17. Nihil euidentius à Scriptura asseritur, & à Patribus. Dicit enim D. Ioannes, [a] *nos ideo translatos esse de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres*. Mortui enim sumus, non vita corporali defuncti, sed peccati vita decussa in vitam meliorem translati; quod D. Paulus euidentiùs explicat his verbis: *Mortui estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo*. Non ita oculis patet; quia in Deo, qui huius vitæ pars est præcipua, latet: spiritus enim Deus est; & vita hæc spiritualis, non corporalis. *Cùm* autem *Christus apparuerit vita nostra, tunc & nos apparebimus cum ipso in gloria*. At qui sunt huius vitæ auctores? qui parentes? *Ex Deo nati sunt*, ait Ioannes. & alibi: *Nos filij Dei sumus, & nondum apparuit quid erimus*. quia *vita nostra abscondita est cum Christo in Deo*. *nati*, inquam, *non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri*, sed *renati ex aqua & Spiritu sancto*, in vtero matris nostræ Ecclesiæ, quam *Christus* impensè *dilexit, & seipsum tradidit pro ea, vt illam sanctificaret, mundans lauacro aquæ in verbo vitæ, vt exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiusmodi, sed vt sit sancta & immaculata*; & vt nos similiter sancti simus, nati ex sanctissimo patre & sancta matre, sponsa Christi, *columna & firmamento veritatis*.

Col. 3. *Ibidem.* *Ioan. 1.* *1. Ioan. 3.* *Col. 3.* *Ioan. 1.* *Ioan. 3.* *Ephes. 5.* *1. Tim. 3.*

Hæc vita rationalis est; hoc enim supponitur: est namque spiritualis, ornamentũ ac PERFECTIO vitæ naturalis. Hinc nos hortatur Apostolus, vt rationabile sit obsequium nostrum; & addit, *ne conformemur huic sæculo, sed reformemur in nouitate sensus nostri*: quibus verbis indicat naturalem vitam esse deformatam, reformari verò posse ac perfici per spiritualem; sensibus quoque inueteratis nouos sensus substituendos: nam & hæc vita sensus [b] habet; alioquin cur diceret Dauid, [c] *Gustate & videte quoniam suauis est Dominus*? & si odoratum non haberet, cur diceret Sapientia, *Ego quasi vitis fructificaui suauitatem odoris*? & si tactus voluptate non caperetur, cur anima amantissimo suo Domino diceret, *Osculetur me osculo oris sui*? & si auditu non vteretur, cur Dauid se ad audiendum excitaret, dicens, *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus*? Signum item vitæ est motus: mandat autem Deus Abrahamo, *Ambula coram me, & esto perfectus*. Noë quoque, pater eius, cum Deo ambulasse dicitur; sicut & Enoch. Denique Apostolus hortatur nos, vt *in nouitate vitæ ambulemus*; & addit circumstantias, *Sicut in die* (inquit) *honestè*, ne

Rom. 12. *b Vita spiritualis sensus & functiones.* *c 1. Visus.* *2. Gustus.* *Psal. 33.* *3. Odoratus.* *Eccli. 24.* *4. Tactus.* *Cant. 1.* *5. Auditus.* *Psal. 84.* *Gen. 17.* *6. Ambulatio.* *Gen. 6.* *Rom. 6.* *Rom. 13.*

ne vlla nocturna, indecens, & indecora conuersatio intuentium oculis displiceat. Respiratio etiam vitæ indicium est: & Rex Dauid, *Os*, inquit, *meum aperui, & attraxi spiritum*: nempe, *quia mandata tua desiderabam*. *7. Respiratio.* *Psal. 118.* Vt enim animalia in aëre viuentia spiritum cordi refocillando attrahunt ac remittunt: sic ij qui vitam de cælo trahunt, requirunt aërem diuinum, diuini Spiritus refocillationem, quo confortatur hominis cor; quod fit cùm vltro citroque homo Dei voluntati summo desiderio acquiescit, & Deus vicissim voluntatem timentium se facit, deprecationes eorum exaudit, & saluos eos efficit. *Psal. 144.*

18. Qui viuunt naturalem vitam, eam alimento sustentãt. Huic vitæ, quam in Baptismi fonte adipiscimur, paratus cibus est; & animis sua quoque cibi potusque appetentia est. *8. Natiuitas seu Baptismus.* *Qui* enim *edunt me*, ait Sapientia, *adhuc esurient; & qui bibunt me, adhuc sitient*. *Eccli. 24.* Sed pueris cibi molliores conueniunt; idcirco Sacramento Confirmationis muniuntur ac roborantur, atque ideo dicitur paruulis: [a] *Cibus sum grandium; cresce, & manducabis me*. [b] *Ego sum panis viuus, qui de cælo descendi: si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum. Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus*. *9. Cibus paruulorum & grandium, seu Confirmatio & Eucharistia.* *a August. in Confes.* *b Ioan. 6.* Si quis in morbum incidat, ei medicamento opus est: & morbis animi suum remedium est, cum refrigerio spiritus, & solatio spiritualium medicorũ. [c] Insufflauit enim Dominus, medicus orbis, Spiritum sanctum in Apostolos, vt & peccatũ remitterent, & sanarent ægrotos, ac solarentur: & ad abstergendas morborum reliquias Vnctio extrema relicta nobis est; quę etiã vires confert ad hostis insidias detegendas, eumque in extrema lucta debellandũ. *10. Medicina morborum, Penitentia & extrema Vnctio.* *c Ioan. 20.* Sed quid si patres desint, qui spirituales filios generent? Non sanè desunt; cur alioqui Ioannes Apostolus diceret: [d] *Filioli mei, non diligamus verbo neque lingua, sed opere & veritate?* & D. Paulus: [e] *Filioli, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis*. item: [f] *Si decem millia pædagogorum habeatis in Christo, sed non multos patres; nam in Christo IESV per Euangelium ego vos genui*. *11. Filiorum propagatio, Ordo & Matrimonium.* *d 1. Ioan 3.* *e Gal. 4.* *f 1. Cor. 4.* Verùm quia generatio spiritualis naturalem pręsupponit, &, qui nascuntur denuo, primùm nasci corporaliter debent; ideo huic propagationi non deest suus quoque fructus vberrimus, vt & parentes simul naturales sint & Christiani genitores; quam virtutem ac donum in contractu ac Sacramento Matrimonij iusti recipiunt, ad augendam vitam quam in se continent, eamque fouendam in sobole, quam ex aquis Baptismi, submerso peccato originis, tamquam nouam prolem Deique filium susceperunt.

19. Sed ad vitæ huius principia propiùs accedamus. Anima nostra vitæ naturalis primum principium est: propter quod actus primus ab Aristotele definitur. Vt ergo illa iuncta corpori vitam humanam efficit; sic & gratia, iuncta animæ nostræ, vitam spiritualem generat. De *12. Analogia vitæ naturalis & spiritualis, atque huius partes.*

Ioan. 11. hac Christus: *Ego sum resurrectio & vita: qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, viuet; & omnis qui viuit, & credit in me, non morietur in æternum.*
1. Ioan. 4. *Filium suum vnigenitum misit Deus in mundum, vt viuamus per eum.*
Rom. 1. Gal. 2. *Iustus autem ex fide viuit.* Denique, *Viuo autem*, ait Paulus, *iam non ego, viuit*
In Psal. 70. serm. 2. *verò in me Christus.* Hinc D. Augustinus, *Duæ sunt*, inquit, *vitæ; vna corporis, altera animæ. Sicut vita corporis est anima, sic vita animæ Deus. Quomodo si anima deserat, moritur corpus; sic anima moritur, si deserat Deus.*
Lib. de Verbis Apost. serm. 13. cap. 6. Idem alibi: *Vnde viuit caro tua? de anima tua. Vnde viuit anima tua? de Deo tuo. Vnaquæque harum secundùm vitam suam viuit. Caro enim sibi non est vita, sed anima carnis est vita: anima sibi non est vita, sed Deus est animæ vita. Anima ergo debet secundùm Deum viuere: non enim est debitrix carni, vt secundùm carnem viuat. Ergo quæ secundùm Deum debet viuere, si secundùm seipsam viuat, deficit. Tunc autem rectè viuit caro secundùm animam, si anima viuat secundùm Deum.* Et D. Bernardus:
Serm. de Vita & 5. sensibus animæ. *Considera, ô anima, quid impendas corpori tuo, & inuenies sine dubio quòd vitam ei sensumque ministras: & vitam quidem inuenies in toto corpore vniformem, neque enim aliter viuit oculus quàm articulus; sensum verò non ita. Quære ergo vt tibi quoque anima tua (quæ est sine dubio Deus tuus) similia largiatur. Neque enim viuere dicenda est anima, quæ veritatis non habet cognitionem, sed adhuc mortua est in semetipsa; quemadmodum & ea sine sensu, quæ necdum habet dilectionem. Est ergo animæ vita veritas, sensus caritas.* Hæc Bernardus, qui quinque sensibus externis suum assignat etiam sensum spiritualem internum. Denique
In cap. 9. Luc. Coloss. 3. Ambrosius Christum appellat vitam nostram cum D. Paulo. Sic enim Christus vita nostra est, quia nobis gratiam promeruit, quæ vitam animæ tribuit. Cùm enim D. Ioannes dixisset ipsum esse plenum gratia
Ioan. 1. & veritate, adiecit: *Et de plenitudine eius nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia; quia lex per Moysen data est, gratia & veritas per* IESVM *Christum facta est.*
Act. 3. Et Petrus disertè Christum vitæ auctorem vocat.

13. Analogia vitæ spiritualis cum quatuor partibus nobilioribus corporis.

20. Est ergo gratia animæ vita: solet verò anima ad conseruationem vitæ vti partibus quatuor præcipuis; corde, cerebro, hepate, & pulmonibus. Beneficio cordis membra omnia vitali calore fouet anima, ac omnibus spiritus vitales diffundit; hepatis ope sanguinem conficit, ac corpus nutrit; cerebri auxilio mouet corporis membra; pulmonum

I. Corde.

adminiculo cor alioqui natura calidius refrigerat. In corde omnium primùm ac postremùm vita insidet; eoque mortuo, animal non viuit. Animæ spiritualis cor caritas est, quæ spiritus vitæ per omnia membra dispergit; & si spiritus in homine spirituali non sit, certò scias ipsum
Ezech. 36. non viuere. Hinc per Prophetam Ezechielem ait Dominus: *Auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum; & spiritum meum ponam in medio vestri, & faciam vt in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea custodiatis, & operemini.* Spiritus enim est ipsa gratia, seu anima spiritualis,

tualis, qua vita interna constat, quæ facit vt in præceptis Dei ambulemus, & iudicia eius custodiamus. Vbi spiritus non est, ibi certum est nec vitam nec caritatem esse. Imò solemus nuncupari spirituales à spiritu, non vtique humano, sed diuino. Nascimur enim hoc spiritu, teste Psalmista Regio. *Emittes* (ait) *spiritum tuum, & creabuntur.* qui? spirituales, vtique à spiritu. Et D. Paulus originem vitæ huius à spiritu, & quidem infuso, manare testatur. *Non enim*, inquit, *accepistis spiritum seruitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba pater.* Ergo per spiritum hunc filij spirituales sumus. Idem scribens ad Galatas, *Hoc solum*, ait, *à vobis volo discere: ex operibus Legis spiritum accepistis, an ex auditu fidei? Sic stulti estis, vt, cùm spiritu cœperitis, nunc carne consummemini?*

Psal. 103. *Rom. 8.* *Gal. 3.*

Est ergo spiritus qui vitam dat homini internam, qui informat, qui caritatem producit & accendit, vt vim illius spiritus foras tamquam ignis exerat. Illum petit Ecclesia, dum ita orat: *Excita, Domine, in Ecclesia tua spiritum cui B. Laurentius Leuita seruiuit; vt eodem nos repleti studeamus amare quod amauit, & opere exercere quod docuit.* Illud omnium primum à Deo petendum est: ex bono enim spiritu tota vitæ spiritualis sanitas exurgit. Idcirco Salomon hunc spiritum postulauit. *Inuocaui*, ait, *& venit in me spiritus sapientiæ.* Nihil præterea petijt Eliseus à domino suo in cælum assumendo, quàm vt duplex veniret in se spiritus eius. Nec nobis negabitur, quandoquidem & Christus suggerit vt eum gnauiter petamus. *Quanto magis*, ait, *Pater vester de cælo dabit spiritum bonum petentibus se!* Apostolis verò quid primum omnium misit Dominus, & quid spirituales eos effecit? certè Spiritus sanctus: alioquin illitterati & animales erant, rudes & impoliti; spiritu tamen feruentes, ignei, nubibus celeriores, tonitruis haud absimiles euaserunt, accensi nimirum igne quem Deus in terram misit, quem accendi diffundique voluit. Is vnicè nobis petendus est. Hic sufficit vires, hic corroborat animum, hic magna & ardua aggreditur, seque esse in homine factis ipsis testatur. Ita orabat Dauid: *Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innoua in visceribus meis. Ne proiicias me à facie tua, & spiritum sanctum tuum ne auferas à me. Redde mihi lætitiam salutaris tui, & spiritu principali confirma me.* quem si obtineat, paratum se ostendit ad spiritum hunc diffundendum, egregiaque opera patranda. *Docebo*, inquit, *iniquos vias tuas, & impij ad te conuertentur.* Requiritur ergo in vita spirituali cor, & quidem feruens, quod valeat spiritus vitales per corpus transfundere.

In Octaua S. Laurentij. *Sap. 7.* *Luc. 11.* *Psal. 50.*

21. Verùm quid proderit cor homini, si cerebro, id est, lumine ac moderatore, careat, quo motus omnes excitentur ac dirigantur? Vita ergo spiritualis suum cerebrum habet, suas intelligentias, & in primis fidei 22.

Cerebro.

Fidei necessitas. lumen; cuius operatio adeò necessaria est, vt oculorum obtutus in capite: sic intellectus in anima rationali; eiusque defectu, insani & fatui amentesque sapientissimi quique coram Deo reputantur: estque principium spiritualium operationum, sine quo nec Deum amare, nec san-
Habac. 2. ctè operari, nec denique vlla ratione saluari possumus. Ideo Habacuc: *Ecce qui incredulus est, non erit recta anima eius in semetipso*. Ignorat enim natura finem suum, opusque habet directore, qui sursum tendere do-
Psal. 11. ceat; alioquin ad infima semper demergitur, vel *in circuitu ambulat*, in quo nec principium nec finis inuenitur.

Lumina spiritualia, seu oculi. *Primũ lumen, fides.* Ipsa ergo fides est quæ animum attollit supra naturam, ac docet vt interno oculo in cælum intendat, & rationibus nitatur in agendo; non naturalibus modò, sed maximè diuinis: hę enim sunt solidissimę & irrefragabiles; naturales verò pertrahunt in fines humanos, inanes & vanos, actusque ipsos in ordine naturalium actionum relinquunt, qui vel mali vel non meritorij sunt. Accedit quòd hisce frequenter decipiamur, cùm fallaces sint; raró etiam fit vt efficaciter persuadeamus alijs, quòd à Deo moueri debeant homines ad agendum: rationes verò supernaturales efficaciores sunt, iisque nituntur fundamentis, quæ refutari ac conuelli non possunt, & intellectum conuincunt. Iste oculus non fallit; certior est lumine solis, oculo corporis, & quolibet intellectu creato, etiam Angelorum. Obiecta enim subinde possunt aliter apparere, quàm reuera sint; etiam oculus malè affectus malè iudicat: sed lumen fidei, quæ prima nititur veritate, falli non potest, nec fallere.
Matth. 24. *Cælum & terra transibunt, verba* primæ veritatis *non præteribunt*.

Fidei vsus. Verùm cùm ceteris certior sit hic oculus, tamen cur vtimur frequentiùs & assentimur securiùs luminibus hisce corporis mendacibus? Si proficisci lubet, aperio oculos; si de vita, si de re familiari, de defensione honoris agatur, mentem attollo, seriò cogito, voluo & reuoluo; cur interea luminis adeò certi fideique pręsidium negligo? Sanè plurimi mortalium, & quidem qui fidem profitentur, fide non magis vtuntur, quàm si à fidelium grege seiuncti essent, aut certè fides vlla non esset. Signum est ergo eos vel non viuere, vel sponte ruere velle in suum exitium. Longa & periculosa est via quæ ducit ad æternam vitam: quî ibis non apertis oculis? quot putas sunt præcipitia? quot hiatus? quot cauernæ quas fodiunt aduersarij tui? & si cogitas de vita temporali, eiusque subsidiis, cur non de vita æterna? Cur finis hic non assiduè obuersatur animo, cùm vita tua via sit tenebrosa, quæ ad finem illũ tendit, & sine luce in tenebris ambulare non possis? Si fide vt oculo vtereris, Deum vbique præsentem videres, caueres ne quid cogitares, diceres, faceres, quod Maiestatis eius oculos offenderet: si fortè lapsus fuisses, saltem cùm templum ingredereris, crucifixi Christi videns

effigiem, ſpinis coronati, verberibus attriti, vulneribus confoſſi, fide excitatus indubiè dicentem audires hæc pro te Dominum tuum ſuſtinuiſſe, exprobrantem tibi delicias, mollitiem, impietatem, inconſtantiam, ingratitudinem; denique quidquid libidinosè, iracundè, nefariè egiſſes, id tibi diuino Spiritu improperari; vnde tibi calcar ſimul ſubiiceretur vt in te exardeſceres, ad pedes Sacerdotis accideres, & ſanus domum redires. Alioquin, ſi ſopita fidei lampade incedas, allidêris frequentiùs ad enormes ſcopulos; non tibi ſacra, non profana, non verbi Dei fulmina, non Myſteria tremenda (quæ immotus, excors, & inuerecundus, quaſi in foro ſtares, aut coram ſtatua inſenſibili, conſpicis) ampliùs proderunt, quàm ſi tu ipſe ſtatua eſſes inſenſibilis, nihilque de ſuprema illa Maieſtate dignum homine Chriſtiano conciperes.

22. Sed ad alios mentis oculos tranſeo. Præter hanc fidei lucem, caritatem comitatur ſapientia, quæ & fide illuſtrior, & maiores theſauros ſecum deuehit. De hac Salomon cùm dixiſſet ſe ſuper ſalutem & ſpeciem dilexiſſe, & propoſuiſſe pro luce habere illam, addidit: *Quoniam inextinguibile eſt lumen illius; venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa*, (comitatur enim caritatem, quæ virtutes omnes ſuo quaſi ſinu complectitur) *& innumerabilis honeſtas per manus illius*, (omnium enim operum, quæ accepta caritate exercemus, honeſtas à ſapientiæ luce ſplendeſcit) *& lætatus ſum in omnibus; quoniam antecedebat me ſapientia, & ignorabam quoniam horum omnium mater eſt. Infinitus theſaurus eſt hominibus: quo qui vſi ſunt, participes facti ſunt amicitiæ Dei.*

Secundum lumen, ſapientia.

Sap. 7.

Ex hac lex caritatis procedit. Quàm præſtans legiſlator! Si felices putentur reſpublicæ quibus ſapientes imperant; quàm felices animæ quibus præeſt ſapientia, quæ à diuino Spiritu haurit quidquid habet! *Fons ſapientiæ*, inquit Eccleſiaſticus, *verbum Dei in excelſis, & ingreſſus illius mandata æterna.* In homine riuus quidam legis & ſapientiæ æternæ eſt, & mandata æterna cum illo de cælis defluxerunt. *Eccli. 1.*

Agit ergo ſapientia in mente legiſlatorem, & præſidet rebus omnibus diuinis, & luce ſua demonſtrat. Prima eius lex eſt, Deum eſſe diligendum, eundemque eſſe timendum. Vt enim ex ſole calor ac ſplendor promanat; ita ex gratia, ſole animæ noſtræ, ſapientiæ lumen & calor amoris diuini procedit: & quia timor & amor ab eodem vtero manant, & vnus ſine altero eſſe non poteſt, ſoror caritatis eſt timor Domini; qui ſubinde nihilominus amoris mater dici ſolet, ſicut & ſapientiæ. Idcirco Sapiens ait: *Dilectio Dei, honorabilis ſapientia.* &: *Radix ſapientiæ eſt timere Dominum, & rami illius longæui.* Oritur enim ipſa ſapientia ex timore; non tantùm ex germana caritatis ſorore, ſed etiam ex imperfecto timore. *Initium* enim *ſapientiæ timor Domini, & cum fidelibus*

Leges ſapiētiæ.

Eccli. 1.

Ibidem.

in vulua concreatus est. Nobilitatur idem ipse timor Domini & perficitur accessione caritatis & sapientiæ; nec ampliùs timor seruilis, sed filialis est: ita fit vt filij nobiliores sint parente, & ab ijsdē parens nobilitetur ac perficiatur. Hunc præscribit sapientia, internus legislator, in primis, hunc commendat, hunc attollit, vt caritatis fratrem germanum, cum quo perpetuò graditur, & cui inseparabiliter adhæret. Idcirco Sapiens sic eum commendat, vt non radix tantùm, sed corona ac ornamentum

Eccli. 1. sapientiæ sit. *Corona* (ait) *sapientiæ timor Domini, replens pacem & salutis fructum. Timor Domini gloria, & gloriatio, & lætitia, & corona exultationis.*

Luc. 10. Est ergo legum omnium prima & maxima: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, & ex omni*

Matth. 22. *mente tua; & proximum tuum sicut teipsum. In his duobus mandatis vniuersa Lex pendet, & Prophetæ.* Omnes enim leges, tam diuinæ quàm humanæ, ac virtutum omnium, eò tendunt, vt Deo, nobis, & proximo, cuique quod suum est, reddamus. Fert ergo præterea leges omnes, quas Christi gratia, & caritas quam in nos effudit Spiritus sanctus, continet. Caritas quippe secum pertrahit virtutes omnes supernaturales, & infinita dona atque auxilia, quibus anima tum ornatur, tum perficitur, iuuaturque in virtutum exercitijs. Sapientia singulis his virtutibus lumen suum præfert; & quis finis, quod medium, quæ obligatio sit, suo splendore

Rom. 8. commonstrat. Hanc Paulus vocat legem spiritus vitæ. *Lex* (inquit)

1. Ioan. 2. *spiritus vitæ liberauit me à lege peccati & mortis.* & D. Ioannes vnctionem vocat, quòd gratia Spiritus sancti oleo comparetur, quod lucet & vngit; resque impolitas & asperas leuiget, atque instrumenta rubigine obducta abstergat, animæque nostræ facultates incultas, ad virtutis exercitia lentas, ac rebelles, grato quodam lumine atque vnctione demulceat ac inflectat. quod eleganter Regius Propheta expressit, di-

Psal. 18. cens: *Lex Domini immaculata, conuertens animas; testimoniū Domini fidele, sapientiā præstans paruulis. Iustitiæ Domini rectæ, lætificantes corda; præceptum Domini lucidum, illuminans oculos. Timor Domini sanctus, permanens in sæculum sæculi; iudicia Domini vera, iustificata in semetipsa. Desiderabilia super aurum & lapidem pretiosum multum, & dulciora super mel & fauum.* Quibus omnibus & Legis inclinationem & facilitatem ex sapientiæ vnctionisque præsentia in diuinæ Legis obseruatione exaggerat: lenit enim incredibiliter hæc vnctio, & saporem ipsis virtutum exercitijs alioquin

Serm. 85. in Cant. amarioribus infundit. Qua de re D. Bernardus gratiosè (vt solet) super Cantica. *Licet namque* (ait) *& sapientia potens, & virtus suauis existat; vt tamen proprias quibusque reddamus vocabiles significantias, vigor virtutem, sapientiam placiditas animi cum spirituali quadā suauitate demonstrat. Hanc puto*

2. Cor. 6. *ab Apostolo designatam, vbi post multa hortamenta pertinentia ad virtutem adiecit quod sapientiæ est: In suauitate, in Spiritu sancto. Igitur stare, resistere,*

vim

vim vi repellere, quæ vtique in partibus virtutis deputantur, honor quidem, sed labor est. Non est enim idipsum, honorem tuum laboriosè defendere, & quietè possidere: non est idem, virtute agi, & virtute frui. Quidquid virtus elaborat, sapientia fruitur; & quod sapientia ordinat, deliberat, moderatur, virtus exequitur. Sapientiā scribe in otio, ait Sapiens. Ergo sapientiæ otia negotia sunt; & *Eccli. 38.* *quo otiosior sapientia, eo exercitatior in genere suo. E regione virtus exercitata clarior est; eoq́ probatior, quo officiosior. Et si quis sapientiam virtutis amorem definierit, non à vero deuiare videbitur. Vbi autem amor est, labor non est, sed sapor. Et fortè sapientia à sapore denominatur, quòd virtuti accedens quoddam veluti condimentum sapidam reddat, quæ per se insulsa quodammodo & aspera sentiebatur.*

23. Sed ad tertium mentis supernaturale lumen venio, cui pruden- *Tertiū lumen, Prudentia.* tiæ nomen est, cuius tota vis in cōsilijs suggerendis, in actibus virtutum ad finem suum dirigendis, in impedimentis rerum gerendarum detegendis atque amoliendis consistit; vocatur enim à Philosopho *recta ratio agibilium*, à D. Augustino *rerum bonarum & malarum & neutrarum scientia:* [a] estque aurigæ similis, qui currū trahit per vias planiores, fugit cœnosos sinus, vallium stagna, collium rupes, & ad finem deuehit præstitutum; est & nauis gubernator, sedensque in puppi, Syrtes & Charybdes vitans, portum quærit; est denique dux belli, ostendens quid, quando, vbi, qua ratione, cur agendum, confligendum, dissimulandum, fugiendum, aggrediendum, omittendum. De hac ita loquitur Paulus: *Prudentia spiritus, vita & pax.*

Lib. 6. Ethic. cap. 5.
Lib. 83. quæst. in 31. tom 4. & lib. 1. de libero arb c. 13. tom. 1 ex Cic. lib. 1. Officiorum.
a Similia.
Rom. 8.

Hæc prudentia eo nobilior est humana, quòd hæc à natura, illa à Deo inhabitante proueniat. Humana potest fallere & falli; hæc eo certior & constantior, quòd ab eo proueniat, qui nec falli nec mutari potest. Sicut ergo in rebus agendis ea quæ ad cognitionem spectant, à fide, à sapientia peti oportere reputamus; ita consilia ac directiones à prudentia requirenda esse; nec illius infrequentiorem vsum requiri, quàm fidei, si rite, sapienter, perfecteque agere velimus. Parum enim prodest diuina cognoscere, si malè, temere, & imprudenter agamus: quare à Deo nos dependeamus necesse est, in omnibus ad ipsum tamquam ad tabernaculum recurrentes; sæpeque dicamus cum Sapiente: *Emitte, Domine, sapientiam de sede magnitudinis tuæ, vt mecum sit, & mecum laboret; vt sciam quid acceptum sit apud te omni tempore.* omni, inquam, tempore, non vno anno, semel, aut aliquoties; non in die nec in grauibus operibus tantùm, sed in omni opere & tempore. Sic Tobias sapienter filium suum erudiebat. *Omni tempore*, ait, *benedic Deum, & pete ab eo vt vias tuas dirigat, & consilia tua in ipso permaneant.* *Sap. 9.* *Tob. 4.*

24. Varia alia sunt lumina quæ Deus immittit, pro loco, tempore, & necessitate, eaque frequentissima: parum enim iuuarent interna illa *Quartū lumen actuale à Deo missum.*

Matth. 5. dona, si sol iustitiæ, *qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos*, persæpe faciem suam non ostenderet; & verè ostendit: si enim homo attenderet, sanè cognosceret nullum vmquam tentari, quin solis illius radius aliquis diffundatur cælitus, & consilium suggerat; nihil à quoquam agi alicuius momenti, quin diuinus Spiritus, si modò non præcipitemus, viam ad rectè sapienterque agendum aperiat, aut, si quid fugiendum, ad minimum dubitandi occasionem præbeat. Ad quid verò tantillum? vt nempe maius lumen à Deo accipias, si modò petieris. Imò profectò ne cogitantibus quidem consiliorum optimorum lux sæpe oboritur, eaque suggerit, quæ ad Dei obsequium, boni communis vtilitatem, quę ad nostrum priuatorumque cõmodum faciunt. O si oculos non clauderemus! ô si videremus spiritualem illum
Ioan. 1. solem, *illuminantem omnem hominem venientem in hunc mundum*, vbique lucentem longè splendidiùs quàm sol iste corporeus! *In tenebris lucet, & tenebræ eum non comprehendunt*. Ideo tenebræ videntur, quia tenebri-
1. Ioan. 1. cosos habemus mentis oculos: ceteroquin vbique *Deus lux est, & tenebræ in eo non sunt vllæ*.

Certò crede, & nullatenus dubita: frequentiùs Deus internis facibus nostræ mentis oculos perstringit, quàm solem videamus: sed cæci sumus, &, licet oculi non desint, videre tamen vel nolumus omnino, vel certè negligimus. Docet id experientia, quam à sanctis viris discimus. Dauidis mihi sufficiet vnica auctoritas, & Regis quidem in regno
Psal. 15. amplissimo occupatissimi. *Prouidebam*, ait, *Dominum in conspectu meo*
Simile. *semper; quoniam à dextris est mihi, ne commouear*. Similes enim sumus ijs qui in cæco carcere luminis nihil vident; viderent tamen, si egredi vellent; & quia carcerem & tenebras amant, suauissimo solis lumine destituuntur. Et nos, carcere corporis huius detenti, tenebras cum carcere diligimus, diuinum aërem illustratum & latissimè patentem negligimus, & à tenebris in tenebras demergimur.

3. Hepar seu meditatio distribuit cuique virtuti ac facultati suum alimentum ac nutritionem.

25. De corde & cerebro diximus, de hepate dicamus. Hepar conficit sanguinem, ex quo nutritio & naturæ reparatio conficitur, & per totum corpus distribuitur. Sunt enim quædam virtutes omnino necessariæ, sine quibus vita spiritualis ali conseruarique non potest; & in primis meditatio, quæ hepar quodammodo dici potest, quæ sanguinem conficit spiritualem, & eum per totam animam, eiusque facultates, potentias, & virtutes infinitas distribuit: masticat enim diuina pabula, & virtutum exercitia, & coquit calore caritatis, ac singulis virtutum habitibus alimentum incrementique occasionem porrigit. Quare spirituales esse non possunt, qui res diuinas non ruminant, de ijs sedulò cum Deo non conferunt, & verò numquam cogitant. Hinc non bona concoctio, nulla nutritio, καχεξία, malusque habitus, ac animi desperatio:

ratio: non enim aliter vmquam venit in mentem, quid Deo, quid hominibus debeamus, in quo deficiamus, qua ratione ad virtutem excitabimur, quomodo proficiemus, nisi meditationis exercitio; hinc frequentes casus in grauia peccata, subinde etiam letalia. Nihil ergo sic vitam spiritualem consolidat, nihil ita stabilit ac corroborat, sicut pia ac feruens rerum diuinarum meditatio, quæ nobis defectus obiicit, obligationem erga Deum exponit, desideria rerum æternarum conciliat, fœditatem peccati depingit, virtutis pulchritudinem repræsentat, denique vitiorum omnium fibras suadet esse euellendas, Dei caritatem ac virtutum amorem inserendum, & assiduo labore augendum ac perficiendum.

26. Quod de pulmonibus diximus, optimè orationi congruit: quæ 4.
non infrequentior esse debet, quàm pulmonum aspirationes ac respirationes: ijs enim cælesti aëre cor hominis incredibili modo refocillatur; nullusque vmquam ad Deum aspirat, quantumcumque breuiter, quin attrahat nouum spiritum, cor confortet, gratiam augeat, & in Deo, si ita assuescit, conquiescat. *Pulmones orationem designant.*

27. Concludam hanc sententiam cohortatione D. Pauli feruentissima: [a] *Si spiritu viuimus, spiritu & ambulemus*. Multi sunt qui non ambulant: si causa quæritur, ea est, quia spiritu non viuunt. Viuebat Paulus spiritu, qui dicebat: *Viuo autem, iam non ego, viuit verò in me Christus*. &: *Quicumque Spiritu Dei aguntur, hi sunt filij Dei*. Viuunt, inquam; &, si Spiritu Dei acti, Patris nomen inclamant; vnde addit: *Non enim accepistis spiritum seruitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba pater. Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro quòd sumus filij Dei: si autem filij, & heredes; heredes quidem Dei, coheredes autem Christi*. Verùm hæc quidem de anima; quid verò de misero hoc corpore, in quo tamen viuit & imperat ille Spiritus? Respondet Apostolus: *Quòd si Spiritus eius, qui suscitauit* IESVM *à mortuis, habitat in vobis; qui suscitauit* IESVM *Christum à mortuis, viuificabit & mortalia corpora vestra, propter inhabitantem Spiritum eius in vobis*. Et quia in hoc corpore infirmitates multæ sunt, *Spiritus adiuuat infirmitatem nostram: nam quid oremus, sicut oportet, nescimus; sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*; & *per* IESVM *habemus accessum ad Patrem*. at quomodo? *in vno Spiritu*. Magnus thesaurus est hic Spiritus: illum custodite; viuat, ardeat; *Spiritum nolite extinguere*. Tenet in manu Apostolus *gladium Spiritus*, quo deturbat quaquauersum aduersarios; denique *corroboramur per Spiritum in interiori homine*. Bene docet, inquies, Paulus; sed in quo spiritum suum prodit? *Veritatem dico in Christo, non mentior; testimonium mihi perhibente conscientia mea in Spiritu sancto; quoniam tristitia mihi magna est, & continuus dolor cordi meo: optabam enim*

Spiritu viuere & ambulare quid. — a *Gal. 5.* — *Gal. 2.* — *Rom. 8.* — *Ibidem.* — *Ibidem.* — *Ibidem.* — *Ephes. 2.* — *1. Thess. 5.* — *Ephes. 6.* — *Ephes. 3.* — *Rom. 9.*

ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis. Magna sanè vis spiritus, magna caritas. Et postquam multa de spiritu capite octauo ad Romanos dixisset, ita concludit: *Quis ergo nos separabit à caritate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? (sicut scriptum est: Quia propter te mortificamur tota die, æstimati sumus sicut oues occisionis) sed in his omnibus superamus, propter eum qui dilexit nos*. & in fine epistolæ ad Galatas, *De cetero*, ait, *nemo mihi molestus sit: ego enim stigmata Domini* IESV *in corpore meo porto*. & alibi, *Semper*, inquit, *mortificationem* IESV *in corpore nostro circumferentes, vt & vita* IESV *manifestetur in corporibus nostris. Semper enim nos, qui viuimus, in mortem tradimur propter* IESVM, *vt & vita* IESV *manifestetur in carne nostra*. Non ergo tantùm D. Paulus verbis prædicat spiritum ac caritatem, sed factis ipsis probat.

Rom. 8.

Gal. 6.

2. Cor. 4.

Inopia spiritus, defectuũ & vitiorum multorum esse causam.

Si igitur caritas, eiusque vigor & vita, desideretur in nobis, & causam scisciteris; en in promptu est: desideratur enim spiritus. Cur orare nescis, eleemosynam dare, ignoscere delinquenti, laborantibus opitulari? Diuinus, inquam, desideratur ille spiritus, qui se semper operibus manifestat. Cur non sapit lectio spiritualis? cur desipit meditatio? cur in verbi Dei enuntiatione languor & marcor fastidiosè nauseat? Deest verè spiritus. Cur propendes ad obiecta sensuum, lubenter à creaturis solatiola emendicas, otiosus orbem circumcursas, mensis lubens diutius assides, officia diuina vt prolixiora fastidis, labores auersaris, de sanitate solùm cogitas, teque infinitis morbis obsitum opinaris, indulges quantum potes somno, quieti, lusui, recreationibus, de quibus audis auidè, & te in ijs audiri & credi cupis? Hæc omnia ex spiritus indigentia proueniunt. Idcirco graui oratione insistit Apostolus: *Spiritum nolite extinguere*. His verò omnibus spiritus feruoris extinguitur, & reuiuiscit spiritus carnis. Sed *debitores sumus non carni, vt secundùm carnem viuamus: si enim secundùm carnem vixeritis, moriemini; si autem spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis. Nolite errare: Deus non irridetur. quæ enim seminauerit homo, hæc & metet: quoniam qui seminat in carne sua, de carne & metet corruptionem; qui autem seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam. Spiritu ergo ambulate, & desideria carnis non perficietis. Si* igitur *spiritu viuimus, spiritu & ambulemus*. Apparebit nos spiritu viuere, si opera nostra spiritu magno, ardenti, & incenso perficiantur. At vide an vel etiam ambules, num iaceas, num loco hæreas, an lentè ambules, num retrocedas, aut etiam aberres. *Tria sunt* (ait Augustinus) *hominum genera quæ Deus odit: remanentem, retro redeuntem, & aberrantem. Ab his tribus generibus malis, Domino adiuuante, vindicetur & defendatur gressus noster. Iam verò cùm ambulantes sumus, alius tardiùs ambulat, alius celeriùs, ambo tamen ambulant. Excitandi sunt ergo remanentes, retro redeuntes reuocandi, errantes*

1. Thessal. 5.

Rom. 8.

Gal. 6.

Gal. 5.

Lib. de nouo cantico, cap. 4. tom. 9.

errantes in viam ducendi, tardi exhortandi, celeres imitandi. Et infrà: *Quis est qui non proficit? qui se putauerit esse sapientem; qui dixerit, Sufficit mihi quod sum. Qui sunt & retro redeuntes? qui ex continentia reuertuntur in immunditiam, qui ex sancto & singulari bono proposito virginitatis diuertuntur in turpitudines voluptatis, & corrupta mente corrumpunt simul & carnem. Hos increpat Apostolus Petrus, dicens: Melius illis erat non cognoscere viam salutis,* [*2. Pet. 2.*] *quàm cognoscentes retro respicere. O malum respicere retro! Vxor enim Loth, quæ liberata est à Sodomitis, contra præceptum retro aspexit; quòd euaserat, perdidit. Nec immeritò in statuam salis repentè conuersa est, vt fatuos suo etiam exemplo condiret. Qui sunt & aberrantes? Omnes hæretici, qui, relicta veritatis via, errando per desertum latrocinantur, & animas captant in peccatum, præpediuntq; ne quis ad patriam valeat peruenire*. Hæc ille.

Si ergo spiritu viuimus, spiritu ambulemus. Spiritus & ambulare, & [*Vita spiritus vnde appareat.*] celeriter ire, & currere monet & iuuat, ad brauium reportandum: & si quisquam horum nihil faciat, eum quis non concludat non habere spiritum? Animam hominis videmus, non in se, sed in opere. Si quis strenuè, si generosè, si heroicè agat, magnanimum dicimus; si ardua aggrediatur, si ferat labores, si ad difficillima quæque sese obijciat, constantem, fortem, inuictum reputamus, & præclara animi excelsi indicia prædicamus: at si languidè feratur, si marcidè, si inerter, iacentem animum habere, inertem, desidem, torpidum, prostratum, vix denique animum habere, aut pæne emortuum iudicamus. Non agnoscitur spiritualis vita, nisi ex spiritu; nec spiritus, nisi ex operibus spiritus. Prodit se nimis citò animalis homo, qui *nec percipit ea quæ sunt Spiritus* [*1. Cor. 2.*] *Dei*, nec facit quæ sunt Spiritus Dei; nec enim habet Spiritum Dei. *Si quis autem Spiritum Christi non habet, hic non est eius*; non viuit anima illa, [*Rom. 8.*] non spirat diuina, vim spiritualem non exerit, inter eos est de quibus S. Iudas loquitur, *animales, Spiritum non habentes*. At nemo viuens [*Iud. in epist.*] mortuus haberi vult, vitam, actiones, opera, quantum potest, ostentat. Spiritualis verò homo vitam, opera, feruorem probare non potest, nisi spiritu ambulet. *Si* ergo *spiritu viuimus, spiritu & ambulemus*. [*Gal. 5.*]

28. Huic vitæ contrariatur mors animæ spiritualis; quæ nihil aliud [*Mors vitæ spiritualis.*] est, quàm separatio gratiæ seu spiritus diuini ab anima; de qua Ezechiel: [*Ezech. 18.*] *Anima quæ peccauerit, ipsa morietur*. & Sapiens: *Os quod mentitur,* [*Sap. 1.*] *occidit animam*. D. Paulus etiam, *Nescitis*, ait, *quoniam cui exhibetis vos* [*Rom. 6.*] *seruos ad obediendum, serui estis eius cui obeditis, siue peccati ad mortem, siue obeditionis ad iustitiam?* Denique Iacobus: *Concupiscentia cùm conceperit,* [*Iacob. 1.*] *parit peccatum; peccatum verò cùm consummatum fuerit, generat mortem*. Pro hac morte extinguenda Filius Dei mortuus est. Pretium vitæ sanè magnum, quod homines tamen parui faciunt. Nunc de vita æterna disseramus.

CAPVT XXVII.

Quæ sit vera vita.

Vitam peccati & damnatorũ, vitam non esse dicendam.

29. TRES vitas descripsimus; quarum vna sanè mors dicenda est, non vita. Quis enim peccati vitam dixerit vitam? nisi æternis ignibus peccatorem deputatũ viuere censeat æterna vita, quia peccati vita æternùm vigebit, nec supplicijs extinguetur æternis, etsi ipse maximè velit. Verùm talis vita in tormentis, id nominis non meretur; nec eam Scriptura dignatur vitæ nomine, sed mortem æternam indigitat, vt grauiter diserteque Augustinus. *Habebunt*, inquit, *impij in cruciatibus vitam: sed qui viuunt in tormentis, cupiunt (si fieri posſit) finire talem vitam, & nemo eis dat interitum, vt nemo auferat cruciatum. Sed vide Scripturam loquentem & discernentem. Non est dignata talem vitam vocare vitam. In cruciatibus, in tormentis, in ignibus sempiternis, noluit appellare vitam, vt ipsum nomen vitæ laudis sit, non mœroris; vt, vbicumque audis vitam, tormenta non cogites: nam in tormentis esse semper, æterna mors est, non aliqua vita. Ipsam vocant Scripturæ mortem secundam. Post hanc primam, quam omnes humanæ condicioni debemus, & mors secunda & mors vocatur; & nemo ibi moritur: satiùs & meliùs dixerim, nemo ibi viuit. In doloribus enim viuere, non est viuere.* Et paulo pòst: *Ergo illa vita in tormentis, non est vita; & illa vita sola est, quæ beata: nec beata esse potest, nisi fuerit æterna.* Et inferiùs: *Ergo vita, quæ æterna & beata: quia, si non æterna, nec beata; si autem æterna in pœnis, nec vita.* Et alibi: *Vitam æternam dicimus, vbi est sine fine felicitas. Nam si anima in pœnis viuit æternis, quibus & ipsi spiritus cruciabuntur immundi; mors illa potiùs æterna dicenda est, quàm vita: nulla quippe maior & peior est mors, quàm vbi non moritur mors. Sed quòd animæ natura, per id quòd immortalis creata est, sine qualicumque vita esse non potest; summa mors eius est alienatio à vita Dei in æternitate supplicij.* Hæc Augustinus. Si ergo damnatorum vita, quæ æterna est, in qua tamen peccator non moritur, & vermis eius ac ignis non extinguitur, vita non est; quãto minùs vita peccati in hac misera vita dicenda erit vita! Et hæc vita mors prima meritò dici potest: tum quia reuera vita gratiæ per illam opprimitur; tum quia ex illa mors, quam naturæ debemus, profluxit; tum denique quia illam mors æterna, quæ secunda & vltima est, subsequetur. Et hæc omnia æternæ vitæ, de qua deinceps acturi sumus, ex diametro opponuntur.

De diuersis sermone 112. de martyribus qui Massa candida vocitantur, c. 5. tomo 10. edit. Plant.

Apoc. 20.

Lib. 6. de ciuit. cap. vlt.

Marci 9.

Peccati vita mors prima, damnatorum secunda appellatur.

Humana vita, mortalis & breuis, misera, incerta, non est vita dicenda.

30. Vita verò humana, etsi similitudine tituloque vitæ non careat, comparatione tamen spiritualis & æternæ non tam vita quàm mortis via est appellanda. Quòd si eam vitæ nomine velis insignire, mortalem

talem vitam veriùs appellabis quàm vitam: quippe quæ ne momentum quidem vitæ habeat certum; certoque sit certius, hinc esse emigrandū, & quidem incertissima hora; cumque hora illa venerit, non tam vixisse videberis, quàm momento ad mortem euolasse. Quod perpēdens Augustinus, pluribus ostendit vitam æternam solam vitam dicendam esse; & quòd ista vita mortalis, in qua modò sumus, ex illius vitæ comparatione mors esse conuincitur, quippe quæ tanta mutabilitate variatur, & nulla stabilitate firmatur, cursuque breuissimo terminatur: & ideo vera vita dicenda non est, nisi ęterna, quæ sola vita est beata. *Non ergo* (vt concludit sanctus ille Doctor) *est beata vita, nisi vera; & non est vera, nisi beata vita; nec beata vita est, nisi æterna*. Itaque D. Augustinus hanc vitam mortalem non habet pro vera: nec beata esse potest, quia mortalis est, quia perpetua non est; quod enim sempiternum non est, anxietate non caret: vt si in epulis beatitudinem colloces, earumque fruitio finem habeat, illius expectatio exitusque memoria dolorem gignit, ac tristitiam, quæ in beata vita non est. *Serm. 17. de Verbis Domini.*

31. Idem tamen de vita gratiæ statui non debet, quæ à diuinis litteris & vitæ, & beatæ, & æternæ insignibus condecoratur. *Qui fecerit iudicium & iustitiam*, ait [a] Ezechiel, *vita viuet, & non morietur*. & Christus: [b] *Qui verbum meum audit, & credit ei qui misit me, habet vitam æternam; & in iudicium non venit, sed transijt à morte in vitam*. item D. Ioannes: [c] *Qui habet Filium, habet vitam; qui non habet Filium, vitam non habet*. denique D. Paulus, *Semper*, ait, *nos qui viuimus, in mortem tradimur propter* IESVM; *vt & vita* IESV *manifestetur in carne nostra mortali. Ergo mors in nobis operatur, vita autem in vobis*. Meritò enim vita vocatur, quia communicatio est vitæ increatæ: cùm namque de Verbo æterno dixisset Ioannes, *In ipso vita erat*; addidit, *Et vita erat lux hominum*. ergo vita illa nobis communicata est, vtique per gratiam Dei. Deinde D. Petrus gratiam, qua viuimus, vult esse diuinæ naturæ consortium ac communicationem: natura autem diuina, vita est; erit igitur & eius participatio.

Vitam gratiæ esse veram vitam, probatur. 1. *Scripturis.* a *Ezech. 18.* b *Ioan. 5.* c *1. Ioan. 5.* *2. Cor. 4.* *Ioan. 1.* *2. Pet. 1.*

Omnium denique actionum nostrarum supernaturalium meritò Christum auctorem agnoscimus; qui longè plura confert ad vnius actus productionem, quàm humana infirmitas: vitales verò sunt omnes actiones illæ quidem, sed non solius vitæ naturalis; debet ergo in nobis esse vita quæ vitam naturalem excedat; quæque, ea sublata, vt ab ea minimè dependens, superstes maneat, atque interitum nesciat. 2. *Ratione.*

32. Est & beata vita hæc: sed eius beatitudinis excellentia nondum in quiete consistit; in arena, in puluere, in cursu, in labore, in tolerantia tota est: nondum ad metam peruēnit; à carceribus modò soluitur, &, vt currat expeditiùs, ab omnibus se abstinet; quodque est in statu bea- *Eandem esse beatam.*

titudinis omnia possidere, hîc summæ felicitatis est extremè inopem esse. Idcirco dicuntur beati pauperes spiritu, ipsorumque esse regnum cælorum. Item in patria, Regum more, ij audenter loquentur, qui olim humiles fuerunt; tunc enim iudicabunt sancti gentes: hîc verò, *beati mites*. Item *exultant sancti in gloria, lætantur in cubilibus suis*: hîc *beati qui lugent*. Denique in gloria sancti, omnium bonorum vbertate perfusi, malum nullum sentiunt, imò nec metuunt quidem: summa verò hîc beatitudinis nostræ hæc est, *Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam; beati estis cùm maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduersum vos, mentientes, propter me: gaudete & exsultate*. Certè magna beatitudinis tessera est, posse in perpessionibus gaudere; &, si ausim, maiorem dicerem PERFECTIONEM nostræ beatitudinis beatorum gloria: ij enim omni malo carentes, præsentia summi boni circumfusi, gaudendi ansam habent maximam, tristitiæ nullam possunt prætendere; nos, solo ingenti aceruo dolorum locupletes, gaudium, præter spem futuræ mercedis, habemus nullum; & tamen Christus in vitæ spiritualis circumlatrantibus malis, tamquam beatis, *Gaudete*, ait, *& exultate*. Certè vitam aliquam esse in homine beatam hoc argumento Christus comprobare videtur. Idipsum Chrysostomus fusè & eleganter testatur, de catena Pauli disputans, dum explicat illa verba, *Ego vinctus in Domino. Magna*, inquit, *& quæ vim magnam habet, dignitas, & regno, & consulatu, & quibusuis alijs maior; quod quidem dicit etiam scribens ad Philemonem: Cùm sim Paulus senex, nunc autem vinctus in Christo. Nihil est enim æquè præclarum, atque vincula propter Christum, atque catenæ sanctis illis manibus impositæ. Vinctum esse propter Christum, est præclarius quàm esse Apostolũ, quàm esse Doctorem, quàm esse Euangelistam. Si quis amat Christum, nouit quod dicitur: si quis in Dominum insanit, & eius amore vritur, nouit vim vinculorum; maluerit esse vinctus propter Christum, quàm habitare cælos. Quouis auro splendidiores eis ostendebat manus, & quouis Regali diademate: non enim tam splendidum facit caput vitta ex gemmis composita ei imposita, quàm catena ferrea propter Christum. Tum erat Regijs vinctorum carcer præclarior, atque adeò ipso cælo. quid dico Regijs? habebat enim vinctum Christi.* & infrà: *Hoc fortasse est præclarius, quàm sedere à dextris; hoc est magnificentius, quàm sedere super duodecim sedes: & quid dico de humanis? me pudet conferre diuitias & mundum aureum cum vinculis.* Et paulo pòst: *Nihil est illa catena beatius, nihil est melius, quàm malè pati propter Christum. Non tam beatum existimo Paulum quòd raptus sit in paradisum, quàm quòd coniectus sit in carcerem: non tam eum censeo beatum quòd raptus sit in tertium cælum, quàm eum censeo beatum propter vincula.* Hæc ille. Et sanè Chrysostomus iuxta mentem Pauli loquitur, qui in hoc solo gloriabatur. *Si gloriari*, inquit, *oportet, quæ infirmitatis meæ sunt gloriabor.* & meritò:

Matth. 5. — *In quo via beatitudo cõsistat.* — *Matth. 5.* — *Psal. 149.* — *Matth. 5.* — *Ibidem.* — *Homilia 8. in c. 4. ad Ephes.* — *Ephes. 4.* — *2. Cor. 11.*

meritò: nam ſedere ad dextram Dei, opus eſt bene merentis Dei de nobis; non noſtrum, qui à Deo id accipimus: at perpeti aduerſa pro Chriſti gloria, heroicum facinus eſt bene de Deo merentium. ita D. Petrus: *Si quid patimini propter iuſtitiam, beati. Hæc eſt enim gratia, ſi propter Dei conſcientiam ſuſtinet quis triſtitias, patiens iniuſtè. Quæ enim eſt gloria, ſi peccantes & colaphizati ſuffertis? ſed ſi bene facientes patienter ſuſtinetis, hæc eſt gratia apud Deum.* Concludam eiuſdem Apoſtoli verbis: *Cariſſimi, communicantes Chriſti paſſionibus gaudete, vt & in reuelatione gloriæ eius gaudeatis exultantes. Si exprobramini in nomine Chriſti, beati eritis: quoniã quod eſt honoris, gloriæ, & virtutis Dei, & qui eſt eius Spiritus, ſuper vos requieſcit. Nemo autem veſtrûm patiatur vt homicida, aut fur, aut maledicus: ſi autem vt Chriſtianus, non erubeſcat; glorificet autem Deum in iſto nomine.*

1. Petri 3. *1. Pet. 2.* *1. Pet. 4.*

33. At vita beata æterna ſit oportet: quomodo beata eſt vita ſpiritualis, quæ toties amittitur? & ſanè ſi vmquam perpetua atque immutabilis probari debuit, in ijs id profectò accidere decuit, quos Deus præſtantiſſimos in virtutum ſplendore condiderat, aut ad ſibi complacendum delegerat; quales fuerunt Angeli, quales primi parentes, qualis Rex Dauid, quem Deus ſecundùm cor ſuum inueniſſe ſe profitetur; qualis Salomon, cuius ſapientia & animi latitudo arenæ maris comparatur. At Angeli coram eo non fuerunt ſtabiles; quanto minùs filij hominum, eorumque parentes, ex molli carne & luto compoſiti! Nihilominus Scripturæ ſacræ hanc vitam beatam nuncupant. Eſt enim gratia forma huius vitæ: illa verò, Paulo auctore, *vita æterna eſt*. Et qui manducat panem de cælo datum, *viuet in æternum*. Chriſtus deinde dat potum qui iugiter ſatiat, dicens: *Omnis qui bibit ex aqua hac,* (nempe quæ ſcaturit ex fonte Iacob) *ſitiet iterum; qui autem biberit ex aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam.* Fons Iacob perennis eſt: ergo Chriſti gratia iugis erit. *Hæc eſt vita æterna,* ait alibi Chriſtus Dominus, *vt cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti* IESVM *Chriſtum*. quem locum de cognitione per fidem & vita gratiæ intelligunt D. [a] Hilarius & [b] Cyrillus Alexandrinus: & videtur eſſe ſenſus litteralis. Denique [c] *caritas numquam excidit*.

Vitam ſpiritualem eſſe æternam, probatur. *1. Reg. 13.* *3. Reg. 4.* *Iob 4.* 1. *Scripturis.* *Rom. 6.* *Ioan. 4.* *Ioan. 17.* a *Lib. 3. de Trinit. circa med.* b *Lib. 11. in Ioan. cap. 16.* c *1. Cor. 13.*

Dicitur ergo hæc vita ſempiterna, quia æternæ vitæ radix & cauſa eſt: [d] nullus enim æternùm viuet, qui priùs vitam gratiæ & ſpiritus non habuerit. [e] Eſt via ad æternam vitam, ac ratio eam aſſequendi: nemo enim Deum vmquam videbit, nec beatitudinem aſſequetur, qui priùs hîc per fidem Deum non cognouerit. [f] Eſt vita æterna, quia ex natura ſua immortalis eſt, ſicut & natura diuina, cuius eſt participatio; vnde D. Petrus ait: *Qui ſecundùm miſericordiam ſuam magnam regenerauit nos in ſpem viuam, per reſurrectionem* IESV *Chriſti ex mortuis, in hereditatem incorruptibilem, & incontaminatam, & immarceſcibilem, conſeruatam in cælis in*

2. *Rationibus.* d 1. e 2. f 3. *1. Pet. 1.*

vobis, qui in virtute Dei custodimini per fidem in salutem, paratam reuelari in tempore nouissimo.

4. Æterna deinde, quia nullus eam potest nolentibus eripere, non Angeli, non vis humana, non mundus, non tormenta: solum peccatum potest eam dissoluere; sicut & primi parentes immortales erant, solaque transgressio mortales effecit. Ideo D. Paulus constantissimè asseuerat: *Quis nos separabit à caritate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas?* Respondet verò: Nihil vtique poterit. Vita enim spiritualis peccato resistit; à peccato, tamquam peste exitiali, quæ illi mortem adferat, abhorret. Eodem modo loquitur D. Paulus de caritate: *Caritas patiens est, non agit perperam, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate.* quia tantum abest vt inclinet ad vitia, vt etiam omnia persequatur, &, quantum in se est, destruat: quòd coniunctissima sit Spiritui & gratiæ internæ per quam renascimur, & adoptamur in filios Dei. nec à peccato vita illa vlla ratione promanat, teste D. Ioanne. *Omnis*, ait, *qui in Christo manet, non peccat. Qui facit peccatum, ex diabolo est. Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet; & non potest peccare, quia ex Deo natus est.* Quantum ergo est ex parte Dei & gratiæ, numquam peccabimus; nam *Christus*, vt ait idem Ioannes, *apparuit vt peccata nostra tolleret, & peccatum in eo non est:* nos verò ex eo nati naturam parentis sequimur; & semen eius tendit in vitæ conseruationem, sicut & semen diaboli in mortem animæ. Cùm ergo semen hoc & gratia peccatum excludant, sequitur eius vitam esse immortalem & æternam.

Rom. 8.
1. Cor. 13.
1. Ioan. 3.
Ibidem.

5. Denique æterna est vita gratiæ, quia (vt statim dicemus) eadem in cælo perseuerat, cuius in terra cœpit initium. Illic *incorruptibilis, & incontaminata, & immarcescibilis* efficitur non tantùm ex parte gratiæ, sed quia ipsa anima hîc mutabilis & inconstans, illic immutabilitatem, stabilitatem, & constantiam induit.

1. Pet. 1.

6. Simili ratione & corpora nostra numquam moritura dicuntur à Christo, etsi re ipsa moriantur. [a] *Omnis*, ait, *qui viuit, & credit in me, non morietur in æternum.* nempe post resurrectionem: tunc namque homines ampliùs non morientur, in primis morte spirituali: quia gratia, quæ animæ vita est, consummata æternùm consistet; ex animæ verò gloria & immortalitate, in corpus rediuiuum redundante, eam gloriam & immortalitatem induet, quam eis nulla duratio detrahat, nulla æternitas deleat, nulla succedens auferat vita. Nunc verò æternitate dicuntur corpora nostra donata, quia semen immortalitatis attactu gloriosi corporis Christi in Eucharistia acceperunt, & Spiritui illi domicilium præbuerunt, *qui IESVM suscitauit à mortuis:* sed æternitatem illam in spe possidemus, nondum in re. Hinc Irenæus: *Quomodo carnem*

Vita corporum quomodo æterna.
a Ioan. 11.
Rom. 8.
Lib. 4. aduers. hæres. cap. 34.

nem dicunt in corruptionem deuenire, & non percipere vitam, (id est, non resurgere) *quæ à corpore & sanguine Domini alitur?* & infrà: *Corpora nostra, Eucharistiam percipientia, iam non sunt corruptibilia, spem resurrectionis habentia.*

34. Hæc verò etsi vera sint, vt verissima; tamen ex parte nostra nondum securi sumus, cùm *thesaurũ istum habeamus in vasis fictilibus; & homo* 2. Cor. 4. *nesciat vtrùm amore an odio dignus sit, sed omnia in futurum seruentur incerta:* Eccle. 9. & *si iustus vix saluabitur, impius & peccator vbi parebunt?* Iob, quem Deus 1. Pet. 4. laudauit præ ceteris hominibus, asserens non esse ei similem in terra, cùm tamen de suo statu cogitat, ipse, *Quasi tumentes,* inquit, *super me* Iob 31. *fluctus timui Deum:* at timor ille tempestatis, quando fluctus instar montium assurgunt, & naui agitatæ ac capitibus nauigantium imminent, horrendus admodum est. Anxietas igitur illa multum de vitæ nostræ beatitudine detrahit, & meritò ad vitam omnis mali timorisque expertem aspiramus; vnde D. Augustinus: *Tota vita ista intelligentibus* De verbis Domini ser. 42. *tribulatio est: sunt enim duo tortores animæ; non quidem simul torquentes, sed cruciatu alternantes. Horum duorum tortorum nomina sunt timor & dolor. Cùm tibi bene est, times; cùm malè est, doles. Sæculi huius quem non decipit prosperitas, non frangit aduersitas?*

35. Illa nihilominus vita, quam hîc tanto cum timore & tremore ducimus, si conseruata Dei amicitia hinc demigrauerimus, statum æternum accipiet, & in sempiternam commutabitur, eritque æterna ac beata vita. Si enim subiectum vitæ illius, quæ gratia est, spectemus; in- 7. Ratio. corruptibilis est: & in ipsa, vita spiritualis; & in hac, æterna fundatur. Gratiam habitualē remanere in patria, probatur. Si enim PERFECTIONES naturales, vt scientiæ & virtutes humano labore acquisitæ, in cælis remaneant ad ornatum; longè magis charismata cælestia, à Deo infusa, cùm ipsa disponant animam ad statum 1. beatitatis. Hinc Patres dicunt Deum esse vitam animæ, quòd nimirum per gratiam se illi coniungat, & esse planè diuinum tribuat: & illud quidem esse vitæ principium ac fundamentum est, & ex quo potentiæ spirituales virtutesque tamquã ex animæ spiritualis essentia oriuntur; cumque vsus virtutum habitusque in patria remaneant, quis in dubium reuocare possit ipsum fontem ac originem remanere? Gratia deinde 2. illa habitualis nos filios Dei efficit, & per consequens heredes, ipsaque ius illud ad gloriam continet. Deferet ergo ius illud secum anima tamquam pretium salutis suæ, & tesseram beatitudinis, vt, ea visa, coronam 2. Tim. 4. iustitiæ ei iustus iudex restituat. Denique nemo admittitur ad cœnam 3. illam sine veste nuptiali, quæ nihil aliud est quàm caritas, ac gratia hæc, quæ animæ ornat essentiam; sine qua nullum ornamentum in anima a 8. Ratio. Modus quo anima viuit in cælo. remanet. Viuet ergo anima post hanc vitam.

a Sicut igitur, cùm Deus in hac peregrinatione vnitur animæ per gra-

 tiam

tiam & virtutes supernaturales, (qui inusitatus naturæ modus est vnionis, quòd nouo modo in nobis existere incipiat) vitam in homine spiritualem esse censemus: ita & in cælo cùm Deus per eandem gratiam, sed iam consummatam, intimè sese animæ commiscet ac coniungit, incipere animam dicimus veram vitam viuere, quia Deum nouo modo, & quasi nouum esse spirituale recipit; quod est sanè primum fundamentum vitæ beatæ, origo ac fons omnium operationum quæ postmodum sequuntur: illa enim gratia stabilimentum accipit, statum, & firmitudinem. Et vt corpus in die resurrectionis, per nouam informationem animæ, planè diuinum & cæleste, perfectum ac indissolubile temperamentum accipiet: ita & anima per operationem diuinam, qua Deus se illi indissolubiliter adiungit, quasi nouum esse diuinum accipit, in quo, quidquid beatitudinis deinde sequitur, fundatur, & homo cum Deo indissolubili nexu coalescit. Intimè amantium hoc est, vt animo, quatenus fieri potest, conglutinétur; non tantùm præsentia corporali, sed & intima necessitudine. Ita est: Deus namque, qui amicitiam nobiscum nouo fœdere confirmat, non tantùm per amorem ac cognitionem nobis adiungitur, aut per præsentiam suam, sed intima coniunctione cum animæ nostræ essentia, substernendo basim in qua actus beatifici sequentes veluti conquiescant; quæ gratia est confirmata. Vnde sequitur, vnionem illam, per quam Deus ita vnitur nobis, vt beati simus, debere esse aliquam animæ PERFECTIONEM intrinsecam: est enim beatitudo interna & inhærens beati PERFECTIO; aliàs per denominationem solam extrinsecam homines dicerentur beati.

36. Viuit ergo anima post hanc vitam; sed quàm beatè? beatiùs quàm in hac vita mortali, in qua nihilominus omnes beati esse volunt, & multa optant, in quibus, si ea adipiscantur, se beatos futuros putant; quæ tamen vbi adepti sunt, ea minimè sufficere reperiunt. Hinc D. Augustinus: *Omnis homo, qualiscumque sit, beatus vult esse: hoc nemo est qui non velit; atque ita velit, vt præ ceteris velit; imò, quicumque vult cetera, propter hoc vnum velit. Diuersis cupiditatibus homines rapiuntur; & alius cupit hoc, & alius illud. Diuersa sunt genera viuendi in genere humano; & in multitudine generum viuendi alius aliud eligit & capeßit: nemo est tamen, quocumque genere vitæ electo, qui non beatam vitam cupiat. Beata ergo vita communis est omnium poßeßio; sed quà veniatur ad eam, quà tendatur, quo itinere tento perueniatur, in controuersia est: ac per hoc, si quæramus beatam vitam in terris, nescio vtrùm inuenire poßimus; non quia malum est quod quærimus, sed quia non in loco suo quærimus. Alius dicit: Beati qui militant. negat alius, & dicit: Beati qui agrum colunt. & hoc negat alius, & dicit: Beati qui in foro populari claritate versantur, causasq́; defendunt. & hoc alius negat, & dicit: Beati qui*

Dicto serm. de martyribus qui Massa candida vocitantur, c. 2. & 3.

iudicant,

iudicant, & potestatem habent audiendi & discernendi. negat hoc alius, & dicit: Beati qui nauigant multas regiones; discunt multa, colligunt lucra. Videtis, carissimi, in omni illa multitudine generum viuendi non placere vnum omnibus, & tamen beata vita placet omnibus. Hæc ille. Perfecta beatitudo ergo hîc expectari non debet, sed alibi quæri, vbi possit inueniri. In cælis inuenies; in Deo, qui summum bonum & beatitudo nostra est.

Sed quid? otiosi ac quieti erimus in cælis? sufficiet sola animæ vnio per gratiam consummatam cum Deo? ceterùm in pace in idipsum dormiemus & requiescemus? Non est ita: viuemus etenim.

Argumentum vitæ ex operatione metimur; &, si perpetua actio sit, vitam quoque perpetuam esse concludimus. Nec beati essemus, si omni operatione vacaremus: non enim beatitudo nostra consistit in sola vnione habituali, per gratiam consummatam, aut alia dona habitualia; hæc namque ad operationem referuntur, vltimaque animæ PERFECTIO gratiæ ac donorum illorũ intrinseca operatione consummatur, nempe vt homo intelligat, amet, & fruatur. Accedit quòd beatitudo nostra sit participatio beatitudinis essentialis summi æternique Dei: at Deus non censetur beatus qua ratione existit, sed quatenus amat, videt, & seipso fruitur. Id euidentiùs elucet in anima Christi, cuius beatitudo non consistit in vnione hypostatica, licet illa perfectissima sit in genere rei existentis; sed in visione ac fruitione Verbi increati. Illi ergo beati habendi non sunt, qui, præclaris facultatibus ac diuinis muneribus præditi, otiosi quiescunt, sed qui, vt perfectissimus Deus, (qui purissimus actus est) agunt assiduè, & vtuntur donis cælestibus, ad eum finem, propter quem instituta donataque sunt.

9. Ratio, ex operatione beatorum ducta. — 1. — 2.

Nec putandum est operationes illas à Deo infundi, sic vt potentiæ nihil agant, non operentur, sed solus Deus. nam beatitudo nostra in actione mentis consistit: ac de ratione actus immanentis in potentia, & vitalis, est, vt effectiuè procedat à potentia, quam viuificat ac vitaliter informat; viuere enim est ab intrinseco operari, beatitudo verò est actio vitalis, qualis est amor beatificus, visio, fruitio, gaudium. Viuit ergo & beatè viuit homo agendo & vtendo ijs facultatibus, quæ ad beatitudinem capessendam concessæ ei sunt: nam quomodo beatitudo est vita æterna, si homo vitaliter non operatur, & gratia habitualis delitescat otiosa, nec potentias ad agendum moueat? Potentiæ quoque quomodo desides conquiescunt in eo qui infinitè eas amat & beat, tot tantisque donorum aceruis cumulat? Aliter statuit Propheta Regius: *Beati*, ait, *qui habitant in domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te.* *Psal. 83.*
Laudant beati Deum, & incessanter clamant: *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus omnipotens, qui erat, & qui est, & qui venturus est.* *Apoc. 4.*

Operationes beatorum non infunduntur à Deo.

37. Operantur ergo beati, si vmquam; & multa suppetunt quæ videant,

deant, cognoſcant, & exerceant; & (vt ad thronum diuinæ Maieſtatis procedat pedetentim oratio venerabunda) in primis (extra Deum) ſeipſam anima ſtatumque ſuum conſiderat, cælorum latitudinem, terrarum exilitatem, Angelorum ſtudium & induſtriam in ordinandis motibus cæleſtium globorum ſcitè, diſtinctè, tempeſtiuè, ac ſecundùm ſpatia temporum; generationem item ac corruptionem rerum naturalium; hominum curas ac ſolicitudines in tuenda ac conſeruanda vita, rebusque pereuntibus aggregandis.

Operationes beatorũ extra Deum quæ & quales.

Sed nihil ita placet vt beatorum ſocietas, & meritorum ſingulorum conſideratio: hæc tamen nondum animam exſatiant, nec in his beatitudinis natura atque eſſentia conſiſtit. Multi excellentes ingenio, illuſtres ſcientia, docti experientia cælos adeunt. Eo lumine ac viribus, quibus natura præditi, agere poſſunt. Quòd ſi infuſa ſcientia vti velint, ſupernaturalis erit operatio, nondum tamen beatifica; nam beatitudinis eſſentia in conſecutione ſummi boni vltimique finis verſatur: ideo illa ſola operatio pertinere poteſt ad naturam beatitudinis, quæ propriè Deum reſpicit, & circa ſummum bonum verſatur; cetere verò operationes non beatificæ non inutiles propterea ſunt, ſed beatis, qui in omni ſcientia & virtute locupletes ſunt, liberæ ſunt, & ad beatitudinis complementum & ornamentum accidentarium ſeruiunt: verùm comparatione earum quibus beati reddimur, ſimiles ſunt lumini candelæ, lucente ſole meridiano; aut lampadi exiguæ eo loco in quo faces innumeræ collucent; aut ſicut panis aridus famelico quidem, ſed inter menſas dapibus refertas.

CAPVT XXVIII.

Eam veram eſſe vitam, quæ beata eſt; eandemq́ in Dei comprehenſione conſiſtere, ex qua bona omnia profluunt, quæ animam ſatient.

38. QVÆ hactenus diximus, hominem beatum non faciunt. Permitte ergo, Domine, vt (licet indigni, tremebundi tamen, vt decet) propiùs accedamus. Etſi enim populus tuus horruerit acceſſum montis Sinai, dicens Moyſi, *Loquere tu nobis; non loquatur nobis Dominus, ne fortè moriamur:* tamen te auctore, te inuitante laborantes & oneratos, confidenter accedam paruulus, & in numero paruulorum, quos complecteris impensè, dicam, *Oſtende nobis faciem tuam, & ſalui erimus.* Si rubus es incombuſtus, en calceamenta de pedibus de-

Exod. 20.
Matth. 11.
Marc. 10.
Pſal. 79.
Exod. 3.

deposui, inuolucra mundanarũ cogitationum. Ascendam eum Moyse ad montem; &, si facie ad faciem te videre nequeam, nube saltem interlucente, ac *per speculum*, & *in ænigmate*, mihi te contemplari liceat. *1. Cor. 13.* *Tibi dixit cor meum: Exquisiuit te facies mea; faciem tuam, Domine, requiram.* *Psal. 26.* *Ne auertas faciem tuam à me, & ne declines in ira à seruo tuo.*

Primus igitur actus beatificus est visio summi boni, finisque vltimi: *Visio primus actus beatificus.* quo autem pacto hoc fiat, crassiori comparatione accipe. Visio est, à visione corporali ducta similitudine: quemadmodum ergo videamus ea, quæ oculis obijciuntur, considerandum est. Quatuor ad visionem *In visione quatuor requiri.* corporis alicuius requiruntur. [a] Primũ est res obiecta, [b] alterum potentia quæ visionem elicit, [c] tertium applicatio aut vnio rei videndæ cum a 1. ipso organo; vniri enim debet cum sensu res ipsa quæ sensu percipitur: b 2. vt cùm lapidem tangis, manui admoues; cùm panem gustas, palato applicas; c 3. cùm vides, audis, odores percipis, quia duriorum corporum intimam vnionem organi teneritudo non admittit sine suo incommodo ac interitu, species rerum visu, auditu, & odoratu percipiendarum sufficiuntur, quæ potentijs vnitæ sensationem efficiunt. Quartum quod 4. in visione requiritur, est lumen, quod inter rem visam & videntis organum intercedit medium.

Hæc omnia in beata diuinæ Maiestatis visione reperiuntur. Res *In visione beatifica quatuor requiri.* namque quæ conspicitur, est summũ bonum; in cuius possessione finis hominis vltimus consistit. Nihilominus eius excellentiæ est ac ordi- 1. nis, vt infinitis gradibus intellectus humani vires excedat: [d] sublimiorẽ *Obiectũ, quod est summum bonum.* tamen oculum, quo Deum contueamur, non habemus; [e] nam oculus corporis ne per Dei quidem infinitam potentiam eleuari potest ad id d 2. videndum, quod extra obiectum eius constituitur. Vt enim oculus gustare, odorari, audire non potest; nec auditus videre, aut de saporibus *Potentia intellectus.* iudicare; quia id ab eius obiecto secernitur: sic nec oculus corporeus *e Oculo corporis Deum non posse videri.* (auctore [f] D. Augustino, qui in sententiæ suæ suffragium Athanasium, Gregorium Nazianzenum, & Ambrosium adducit) spiritum potest *f Epist. 111.* intueri: de luce enim & coloribus, non de spiritibus, iudicat aut decernit.

Maior difficultas est in tertio, nimirum in vnione rei obiectæ cum 3. intellectu, seu potentia visiua spirituali: non enim species efformari potest Deum infinitè repræsentans, alioquin ea foret infinita. Verùm *Vnio obiecti cum potentia.* nec sapientia, æquè infinita & immensa, hac specie indiget, vt sese videndum præbeat; modos habet sufficientes, vt sese mentium oculis vniat: est namque intimè præsens vt rebus omnibus, ita maximè menti beatorum, suaque præsentia sufficit intellectui seipsam, veram imaginem, formamque viuentem: & quia intellectus humanus imbecillior est, obtusior, ac humilior, quàm vt possit ad tantæ, tam celsæ immen-

ſæque Maieſtatis ſublimitatem aſſurgere, nec modò ad radios illos palpitaret, ſed omnino ab eiuſdem opprimeretur gloria, eleuatur vi quadam diuina operante ac fulciente intellectus inopiam; vt, quod humanis viribus nullo modo poſſet, poſſit tamen diuino ſubſidio, labentes vires ſubleuante & adminiculante. Sicut enim impoſſibile eſt hominem rebus fidei aſſentiri quæ naturæ cognitionem ſuperant; deſerere item parentes, poſſeſſiones omnes; complecti vitam cælibem, cum profeſſione perpetuæ caſtitatis; deteſtari illicitas omnes voluptates ex animo, ſolo Chriſti IESV intuitu, ſine adminiculo gratiæ diuinæ eleuantis hominem ad operanda quæ naturæ vires excedunt: ita omnino impoſſibile eſt intellectum humanũ incomprehenſibilem Deum ſenſu interno apprehendere; niſi ipſe incomprehenſibilis vires modumque ſufficiat, viſibilemque noſtræ infirmitati ſeſe inclinando efficiat.

4. *Lumen gloriæ.* *Simile.*

Quartum quod expetitur in viſione beatifica, lumen gloriæ nuncupatur. Huius munus eſt, potentiæ inſufficientiam adiuuare, & habitu quodam intimè inhærente confortare. Videmus ſculptores, vt res tenuiſſimas perſpicuas ſibi faciant, perſpicilijs multiplicatis res minimas viſibiles reddere, quas nudo oculo non viderent. His potentia viſiua fulcitur & erigitur, vt videat, & quidem cum facilitate, quod alioqui ne videret quidem. Sic & lumen gloriæ illuſtrat oculos, vt inuiſibilis Deus viſibilis appareat. Et ſicut ad res fidei credendum habitu fidei, quo perpetuò & ad nutum vtimur, nobis opus eſt: ita etiam, vt beati Deum videant cum facilitate & delectatione, lumen gloriæ infunditur, & ea quidem menſura, quæ fuit gratiæ & caritatis, quam è terris in cælum quiſque deportauerit. De hoc ita D. Matthæus: *Venturus eſt Chriſtus in gloria Patris ſui cum Angelis ſuis; & tunc reddet vnicuique ſecundùm opera eius.* Id quod reddit operibus tamquam æquam operum mercedem, eſt gloriæ lumen, per quod quiſque eo clariùs & euidentiùs Deum infinitè pulchrum ac bonum intuetur ac participat, quo id pluribus ac maioribus operibus aucta gratia promeruit.

Matth. 16.

Viſio Dei beatifica, & eorum quæ in Deo ſunt.

39. Vbi ergo depoſita corporis ſarcina, ô anima Chriſtiana, omni vitiorum labe deterſa ad beatas illas ſedes perueneris, obſtupeſces primùm mundum ſolemque aſpicere quem numquam videris, baſilicam Imperatoria auguſtiorem, Regem in decore ſuo ſplendentem. Rapieris primo aſpectu incredibili deſiderio poſſidendæ, complectendæ, tenendæ tantæ pulchritudinis; intueberis, inquam, inuiſibilem, complectêris immenſum & incomprehenſibilem; ſummo quod eſſe poſſit bono, toties à te cupito, perfruêre. Quàm admirabile, quàm nouum, quàm lætum, irreuerberato obtutu Deum ipſum aſpicere, ſanctiſſimam Trinitatẽ, Deum vnum natura, perſonis trinum, eiuſque omnes PERFECTIONES, infinitam potentiam, ſapientiam, bonitatem, gloriam,

riam, immensitatem vbique diffusam intueri! Considerabis inexhaustam caritatem, qua omnes beatos complectitur ac beat. Tu rues in amplexus eius, & ipse rursum excipiet te, & ad oscula oris sui amplexusque admittet: intrabis & penetrabis gaudiũ Domini tui: tenebis illum, nec dimittes, in excessu clamans, *Domine, bonum est nos hîc esse*; hîc *Matth. 17.*
in pace, hîc *in idipsum dormiam & requiescam*. O dies, quando illucesces? *Psal. 4.*
quàm tædiosa est lux solis præ tui desiderio! O sol oriens qui nescis occasum! ô lux illa optata, qua tibi dicetur, *In domum Domini ibimus!* O *Ierusalem quæ ædificaris vt ciuitas, cuius participatio eius in idipsum!* O ibimus! *Psal. 121.*
ô idipsum! quàm læto nuntio excipiemini ab anima Deum toto animo diligente! Sed *quando veniam & apparebo ante faciem Dei? Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, Vbi est Deus tuus? Hæc recordatus sum, & effudi in me animam meam; quoniam transibo in locum tabernaculi admirabilis, vsque ad domum Dei. In voce exultationis & confessionis, sonus epulantis.* Nec mirum si in spe lætetur fidelis anima, in spe tristetur: *Psal. 41.*
spes enim *quæ differtur, affligit animam*. In spei tamen suæ certitudine confisa, exultat intimè; & pusillanimitatem suam arguens, blandè sese corrigit ipsa: *Quare tristis es anima mea, & quare conturbas me? Spera in Deo*, ne desperes: videbis mirabilia amici tui, qui fidem suam non fallet. *Prou. 13.* *Psal. 41.*

40. Quamquam verò hæc Dei visio sola sufficiat ad assequendam beatitudinem, etsi nulla alia apparerent; tamen, quia Deus speculum est sine macula perlucidum, beatis res quamplurimas repræsentat.

Ad quæ consideranda ita nos hortatur D. Hieronymus: *Egredere, quæso, paulisper de carcere, & præsentis laboris ante oculos tuos tibi pinge mercedem, quam nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit. Qualis erit illa dies, cùm tibi Maria mater Domini choris occurret comitata virgineis? cùm post rubrum mare submerso cum suo exercitu Pharaone tympanum tenens præcinet responsuris, Cantemus Domino, gloriosè enim honorificatus est, equum & ascensorem proiecit in mare? Tunc & ipse Sponsus occurret, & dicet: Surge, veni proxima mea, speciosa mea, columba mea; quia ecce hiems transijt, pluuia abijt sibi. Tunc & Angeli mirabuntur, & dicent: Quæ est ista prospiciens quasi diluculum, speciosa vt luna, electa vt sol?* *Epist. 22. ad Eustoch. in fine.* *Exod. 15.* *Cant. 2.* *Cant. 6.*

41. Visio Dei etsi fons & origo sit omnis beatitudinis, & copia bonorum omnium quæ in cælis possidentur, inde tamquam ab Oceano effluens; si tamen sola consideretur, sine amore beatifico, beatam animam non facit, nec satiat. Vt autem cognoscas qua ratione anima Deum comprehendat, possideat, & beatitudinem consequatur, concipe primùm ab intellectu eleuato Deum videri tamquam summum bonum: sequitur deinde amor beatificus ex cognitione ac visione beata procedens. Hoc amore beatifico summum bonum impensè diligitur, sicut ipsa quoque visio; vtpote qua tamquam manu seu brachijs *Visio sola nõ satiat sine amore.* *In quo comprehensio cõsistat.*

ſummum illud bonum teneatur. Prima illa viſio nondum hominem beat, quia nondum voluntas amore beatifico, qui ex viſione Dei clara oriri debet, bonum ſummum amauit. At quia illud neceſſariò voluntas amat, mandat intellectui vt illud tamquam ſupremum ac ſummum bonum ſuum retineat, poſſideat, & inſeparabiliter complectatur. Nec ſufficit præceſſiſſe amorem Dei à viatore elicitum: debet enim ſummum bonum, & ſub ea ratione, & æſtimari, & amari; alioquin non comprehendetur cum effectu beatitudinis. Accedit quòd viſio, vt habeat rationem comprehenſionis, præſupponit amorem tamquam diſpoſitionem ſubiecti. Non poteſt autem diſpoſitio quæ præterijt, & non eſt, quidquam actu facere ad hominem beatificandum. Amor ergo beatificus ex viſione emanans, proxima diſpoſitio eſt ad comprehenſionem, in qua beatitudo noſtra conſiſtit.

In comprehenſione duo obſeruantur.

Hæc comprehenſio duo complectitur. Vnum eſt, appetitus noſtri completum eſſe deſiderium, eo quòd iam teneat illud quod ardentiſſimè concupiuit; quodque amet id, quod intimè vnitum ſibi deſiderat. Alterum eſt, quòd res illa amata teneatur, non ab appetitu illo quidem, ſed à manu, brachijs, aut ea facultate quæ apta eſt conſequi ac tenere rem concupitam. Amas opes, & eas deinde conſequeris? appetitus tuus eas non apprehendit, ſed manus. Iacob Rachelem annis quatuordecim optauit; potitus eſt optatis: ſed brachijs vxorem complexus eſt, non appetitu. Teneris concentus muſici deſiderio? cõprehendis non deſiderio, ſed aure. Denique ſuſpiras ad Dei conſpectum? ſatiabitur in bonis deſiderium tuum: at deſiderium illud non tenet, ſed oculus. *In ſtadio currunt omnes, ſed vnus accipit brauium.* quomodo? ſanè coronam reportat in capite, diſcum in manu, torquem in collo. *Sequor*, ait Paulus, *ſi quo modo comprehendam*. Sequeris, Paule, pedibus; comprehendes pedibus? Nequaquam: ſed *videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem*; oculis tenebo, quem deſiderio & affectu proſequor.

Pſal. 102. *1. Cor. 9.* *Philip. 3.* *1. Cor. 13.*

Quòd ſi teneas id quod non diligis, bonum illud præſens minimè te beabit. Si enim muſicam odi, ſi opes, ſi Rachelem, ſi quemlibet hominem; horum mihi moleſta præſentia eſt, infelicem me potiùs quàm beatum efficiunt. Ergo viſio ſola, ſine amore, beatitudinem non efficit. Quis, quæſo, beatus, qui, quod non vult, poſſidet; cuius conſecutio grauis & acerba? Idem omnino eſſet, ſi quis per abſolutam Dei potentiam videret clarè, & tamen Deum non amaret, vel etiam odiſſet. Is profectò per eam viſionem ſummam quandam intellectus PERFECTIONEM eſſet adeptus, beatitudinẽ minimè. Nec profectò beatum ſe reputaret quiſpiam tenendo illum quem odiſſet, & cuius præſentia ſummopere torqueretur. Cur ita? Quia vt bonum ſuum non apprehendit,

hendit, in illud appetitu non tendit, non mandat potentiæ apprehensiuæ tenere quod inuitè possidet. Ideo enim dicimur comprehendere, quòd ex vi appetentis desiderij facultas aliqua teneat simul ac comprehendat bonum suum. Hinc D. Augustinus: *Beatus non est, nisi qui & habet omnia quæ vult, & nihil malè vult*. Ergo velle & amare præsupponitur, vt bonum ipsum teneatur ac comprehendatur. *Lib. 13. de Trin. c. 5. in fine.*

42. Proinde, si rectè ratiocinabimur, etsi comprehensio ex vi sua distinctè non potiùs visionem quàm auditionem aut olfactionem designet, sed solùm habere bonum eo modo quo natum est haberi; sic vt visio aliud non significet aut connotet, quàm claram visionem rei propositæ, possessionem neutiquam; nihilominus tamen manus, seu instrumentum ac facultas, qua voluntas seu amor beatificus cõsequitur summum bonum, est visio. Scriptura namque diuina beatitudinis nostræ coronam per visionem, manifestationem, apparitionem nobis exprimit. *Cùm apparuerit*, inquit D. Ioannes, *similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est*. Et Regius Propheta: *Quoniam apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen*. &: *Satiabor cùm apparuerit gloria tua*. Denique quam mercedem Moysis laboribus respondentem pollicitus est Dominus? *Ego ostendam*, ait, *omne bonum tibi*. Id etiam Patres confirmant. [a] Basilius in primis. *Summi boni*, ait, *contemplatio, & virtutum luculentissima cognitio, Angelorum thesaurus est*. [b] Cyrillus Alexandrinus ita scribit: *Nihil vera Dei contemplatione est pretiosius, quandoquidem nos summæ beatitudinis hæc facit participes*. & mox: *In diuinorum contemplatione nostra felicitas est*. Denique [c] D. Augustinus: *Illa cognitione, illa visione, illa contemplatione*, [d] *satiabitur in bonis animæ desiderium.*

Qui differant visio & cõprehensio.

Visione Deum teneri à beatis.

1.

1. Ioan. 3.
Psal. 35.
Psal. 16.
Exod. 33.

2.

a *In const. Monast. cap. 19.*
b *Lib. 3. contra Iulian. post init. tomo 2.*
c *Lib. de spir. & lit. cap. 33.*
d *Psal. 102.*
e *D. Thom. 1. 2. q. 3. art. 4.*

3.

Huic rei suffragatur ratio [e] D. Thomæ, qua probat in appetitu beatitudinem non consistere. Nam operatio appetitus vel antecedit consecutionem boni, & est desiderium; vel subsequitur, & est delectatio: desiderium verò dici non potest boni consecutio, boniq́ue possessio, quia desiderium boni absentis est; neque potest dici quoque delectatio, nam ea præsupponit consecutionem boni, adeptamq́ue eiusdem possessionem: illius enim obiectum est bonum iam obtentum.

Accedit, possessionem Dei secundùm rectam rationem maximè per se expetendam esse: delectatio verò non est maximè expetenda propter se; dignitas namque delectationis æstimatur ex ea operatione, quam comitatur. Vnde si delectatio beatorum sit bona, id ideo fit, quòd ex comprehensione Dei, quæ optima operatio est, consequatur. Hinc Aristoteles dicit delectationem se habere ad operationem ex qua sequitur, sicut se habet decor ad iuuentutem. Quare optimè statuit D. Thomas operationem esse finem delectationis, non autem ad delectationem, tamquam ad finem, operationem referri; cùm ea quasi vehi- *Lib. 10. Eth. c. 4. post medium.* *Lib. 3. contra Gentes, cap. 26.*

culo quodam vtamur, ad res cum facilitate gerendas. Ideo enim Deus immiſcuit quibuſdam operationibus delectationem, ne ab animantibus negligerentur, cùm eſſent neceſſariæ ad conſeruationem indiuidui vel ſpeciei; vt videre eſt in operatione comedendi & generandi.

Relinquitur ergo, in intellectu eſſe actum illum, quo Deus comprehenditur, tenetur, & poſſidetur; eſſeque viſionem beatificam; præſuppoſito tamen voluntatis imperio, quæ ea potentia vtitur tamquam manu ad retinendum illud bonum, quod ſummum & eſſe, & ſibi eſſe, apprehendit. Quare etſi amor non ſit propriè de eſſentia, tamquam pars eſſentialis formæ ſeu operationis quæ beatificat; tamen eſt quodammodo de eſſentia, quia eſt eſſentialiter requiſitus ad eſſentialem beatificationem: eſt enim veluti diſpoſitio neceſſaria, tum ex parte ſubiecti, vt viſio poſſit beare; tum ex parte Dei tamquam obiecti, vt proponatur, æſtimetur, & teneatur per modum ſummi boni.

Cælitum vitã ſolam beatam eſſe, & ſatiare omni ex parte.

a Pſal. 16.
b Pſal. 102.

I. *Ex parte poſſeſſionis.*

Prou. 15.
Cant. 5.
Manual. c. 7.

43. Beatam ergo vitam quæris? hîc inueniſti. [a] *Satiabor,* inquit Propheta Regius, *cum apparuerit gloria tua.* [b] *Satiabitur* verè *in bonis deſiderium tuum.* Quid vis? quid optas? quid deſideras? viuere vis, non vis mori? ſic viue, vt aliquando beatè viuas: nam viuere, & non beatè viuere, genus mortis eſt, vel via ad mortem. In cælis viues non moriturus. Illic beatè viues: nam nec mala patieris, nec pati poteris; quia nulla ſunt. Ibi quod optabis poſſidebis, & poſſidere deſiderabis; pelli poſſeſſione non poteris: & hoc te ſatiabit, hoc te recreabit. *Secura mens quaſi iuge conuiuium. Comedite amici,* dicit Dominus cæli & terræ, *& bibite, & inebriamini cariſſimi.* Conuiuium hoc finem non habet: nihil illi triſte ſuccedet: quod hodie eſt, æternum erit. Ideo exclamat Auguſtinus: *O vita ſempiterna, & ſempiternè beata, vbi gaudium ſine mærore, requies ſine labore, dignitas ſine timore, opes ſine amiſſione, ſanitas ſine languore, abundantia ſine defectione, vita ſine morte, perpetuitas ſine corruptione, beatitudo ſine calamitate; vbi omnia bona in caritate perfecta; vbi ſpecies & viſio facie ad faciem; vbi plena ſcientia in omnibus & per omnia; vbi ſumma Dei bonitas cernitur, & lumen illuminans à ſanctis glorificatur; vbi præſens Dei Maieſtas conſpicitur, & hoc vitæ cibo ſine defectu mens intuentium ſatiatur; vident ſemper, & videre deſiderant; ſine anxietate deſiderant, & ſine faſtidio ſatiantur; vbi verus ſol iuſtitiæ mira ſuæ pulchritudinis viſione omnes reficit, & ita vniuerſos cæleſtis patriæ ciues illuminat, vt luceant ipſi ſuper omnem ſolis ſplendorem, immortali adhærentes deitati, & per hoc immortales & incorruptibiles facti, iuxta promiſſionem Saluatoris: Pater, quos dediſti mihi, volo vt vbi ego ſum, & illi ſint mecum, vt videant claritatem meam.* Ex parte ergo Dei, qui ſummum bonum eſt, omne genus boni complectens, & malorum omnium pericula excludens, ſatiatur beata vita.

Ioan. 17.

2. *Ex parte loci.*

44. Sed quid locus ipſe? Tria video à diuina prouidentia hominibus aſſignata

assignata esse commorandi domicilia: quorum à secundo præstantia & magnitudine primum, à tertio verò secundum multis partibus superatur. Primum est maternus vterus, angustijs & condicione miserabilis, in quo sine matris tuisque incommodis, & vitæ discrimine, vix delitescere potes, nec vltra paucos menses commorari; luce cares; fœdo alimento sustentaris, non humano solitoque terrigenum more. Alter locus magnitudine & præstantia tantum exsuperat priorem, vt vix cum eo comparationem admittat; estque tota mundi huius latitudo. Si tamen tertium consideres, nimirum beatorum sedem, certè angustior mundus est eidem collatus mulieris vtero, matrice fœdior, ac impuris menstruis deterior. Hinc exclamat [a] Propheta: *O Israël, quàm magna est domus Dei, & ingens locus possessionis eius! magnus est, & non habet finem; excelsus & immensus.* Quòd si numerum perpendis electorũ, pauci sunt ad reprobos comparati; qui nihilominus in angustissimum locum compinguntur. Quàm ergo spatiosè habitabunt beati, tam ingenti circumfusa immensaque cælorum amplitudine!

Tria domicilia hominibus à Deo destinata. 1. *Vterus maternus.* 2. *Mundus.* 3. *Beatorum sedes excellens.* 1. *Quia amplissima.* a *Baruch 3.*

Excellens quoque locus est, si situm spectes, qui mirabilis, excelsus, & commodus est. Quid enim mirabilius, quàm globum intueri medium, qui à nullo sustentetur? Ecquis enim orbes sustentat, præter Dei manum fortissimam? Quid mirabilius, quàm cælum diuersis contrarijsque motibus cieri, eosdemque mortalibus tempora definire, vt ne hilum quidem inordinatum tot annorum millibus reperias, vereque dixerit Rex sanctus, *Ordinatione tua perseuerat dies, quoniam omnia seruiunt tibi?* Quia verò locus altus est, ab omni morborum contagione malorumque discrimine ac timore incolæ liberantur. Nullæ turres, scalæ, machinæ, tormenta bellica, telaque, vlla vi, eò possunt torqueri aut pertingere. Muri ac portæ ex lapidibus pretiosis compositi ac vallati.

2. *Ob situm excellentem.* 1. *Mirabilem.* *Psal. 118.* 2. *Altum.*

Commodissima etiam mundi parte locus ille situs est, nempe in capite mundi: nos hîc in pedibus volutamur. Capiti, vt corporis humani præsidi, hæc tria deferri solent: honos, cura, ac delectatio. [b] Hinc corona capiti imponitur, & in faciem primùm honoris causa oculos conijcimus. [c] Cura maior, quàm ceteris partibus, in eo, vtpote principe, tuendo fouendóque ponitur, ex quo salus corporis pendeat. [d] In capite denique vigent omnes sensus, & omnium sensuum delectationes. Cælum empyreum caput est mundi. Beatis itaque honos defertur, & quidem cuique pro meritis; ab omnibus sanè qui in cælesti palatio degunt, vt & generatim à mortalibus; speciatim tamen quibusdam qui beatitudinis suæ maiora hîc monumenta reliquerunt. Cura quoque maior est: nam in brachijs diuinis conquiescunt. Omnes denique delectationes, quibus sensus humanus capitur, affatim circumfluunt, eosque perfundunt. Pauca D. Ioannes de loci huius præstantia

3. *Commodum.* *Tria capiti deferri solita.* b 1. *Honor.* c 2. *Cura maior.* d 3. *Delectatio.*

Apoc. 21. pro dignitate ita scribit: *Duodecim portæ, duodecim margaritæ sunt, per singulas; & singulæ portæ ex singulis margaritis: & platea ciuitatis aurum mundum, tamquam vitrum perlucidum: & templum non vidi in ea; Dominus enim Deus omnipotens templum illius est, & Agnus: & ciuitas non eget sole neque luna, vt luceant in ea; nam claritas Dei illuminauit eam, & lucerna eius est Agnus.*

3. Ex parte sociorum. 45. Quid de societate beatorum dicam? ne vnus quidem dyscolus est, qui alios perturbet; omnes boni, omnes perfecti. Communicatio item est meritorum ac gloriæ, bonorumque omnium; vt, qui minor sit in gloria, omnium aliorum laudibus bonisque perfruatur nullo eorum detrimento. *Ibi*, ait Gregorius, *hymnidici Angelorum chori: ibi societas supernorum ciuium: ibi dulcis sollemnitas à peregrinationis huius tristi labore redeuntium: ibi prouidi Prophetarum chori: ibi iudex Apostolorum numerus: ibi innumerabilium martyrum victor exercitus, tanto illic lætior, quanto hîc durius afflictus: ibi confessorum constantia præmij sui perceptione consolata: ibi fideles viri, quos à virilitatis suæ robore voluptas sæculi emollire non potuit: ibi sanctæ mulieres, quæ cum sæculo & sexum vicerunt: ibi pueri, qui hîc annos suos moribus transcenderunt.* Hæc Gregorius.

Hom. 14. in Euang.

4. Ex parte beatorum. Duplex amor, beneuolentiæ & concupiscentiæ: Vtrumque satiari. 46. At quid ex parte beatorum? an illi satiantur? omnino satiantur: duplex enim in illis est appetitus seu amor; alius beneuolentiæ seu amicitiæ, alius concupiscentiæ. Hi perpetuò, dum in via sumus, anhelant ad fontem illum, de quo Dauid: [a] *Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum, quando veniam & apparebo ante faciem Dei?* &: *Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus.* Hac siti tenentur, qui etiam hîc beati esse dicuntur; nempe *qui esuriunt & sitiunt iustitiam*, & quibus promittitur *quoniam saturabuntur*. Amor caritatis & beneuolentiæ est, quo non nobis sed amico amamus & diligimus. Hoc flagrabant tres pueri in fornace Babylonica, in medijs flammis cantantes: *Benedicite omnia opera Domini Domino, laudate & superexaltate eum in sæcula.* Alter amor Deum complectitur quidem, sed sibi; vt illo fruatur summo bono, sed suo.

a Psal. 41. Matth. 5.

Daniel. 3.

Beatorum ergo amor & sitibundum desiderium satiatur in cælis visione Dei, summi boni; ibi enim est fons vitæ, auctore D. Ioanne. *Et ostendit mihi fluuium aquæ vitæ, splendidum tamquam crystallum, procedentem de sede Dei & Agni.* Ibidem fluuius instar *torrentis* decurrit, *lætificans ciuitatem Dei*; quo potantur omnes. at quomodo? haud secus quàm mater sitienti filio porrigit vbera; quibus visis, puer ore manibusque irruit in papillas, ac brachijs nunc matrem, nunc vbera complectitur ac detinet. O quàm suauiter potat, qui à diuinis illis vberibus pendet, summoque complexu adhæret! Suge sitibunde, fons ille exhauriri non potest. Sicut ergo infantis desiderium expletur vnione ac fruitione

Apoc. 22. Psal. 35. Psal. 45. Simile.

vberum

vberum maternorum: ita & cælites omne suum desiderium fruitione tanti tamque immensi boni exsatiant.

Id clarius in internis animi actibus elucescet. Sicut enim is qui scientiam summo ardore prosequitur, eam demum tenet ac possidet intellectus operatione; nec alius explendi desiderij in nobis relinquitur modus: (ea enim est natura potentiæ cognoscendi, vt rem cognitam sibi vniat, & in se quodammodo detineat per cognitionem, & maximè per visionem, quæ est perfectissima cognitio) sic & desiderium nostrum expletur Dei conspectu ac complexu, & quidem amoris amicitiæ: quia ideo beati esse volumus, vt non tam nobis beatitudo nostra bono sit, quàm amico; omneque bonum nostrum, tam internum quàm externum, eidem optamus. Hinc Angeli cum senioribus perpetuò concinunt Deo laudes in conspectu throni: *Benedictio, & claritas, & sapientia, & gratiarum actio, honor, & virtus, & fortitudo Deo nostro in sæcula sæculorum, Amen*. Optant etiam amici præsentiam: nisi enim præsens sit cum omnibus bonis suis, amor iste nec quietus est, nec satiatur. Per hanc præsentiam bona dilecti quodammodo fiunt amantis, etsi eam non ob suum, sed dilecti commodum appetat; præsentia verò hæc statuitur per visionem: quare visio explet desiderium amoris amicitiæ.

Simile. — *Amor amicitiæ expletur.* — *Apoc. 7.*

Exsatiat quoque eadem amorem concupiscentiæ: quod enim hoc amore maximè appetimus, est, perfectam habere præsentiam vnionemque infiniti boni, quam nobis præsentem efficit visio beatifica. Appetit denique quilibet summam sui PERFECTIONEM in omni rerum genere: at visio Dei maxima est hominis PERFECTIO, fons & origo reliquorum; de ea enim certissimè dici potest, *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa*. Ex hac nẽpe amor beatificus oritur, in beatitudinis consecutione ac perpetuitate necessarius: ex eadem & lætitia incomprehensibilis, quæ est decor beatitudinis & vltima PERFECTIO necessariò resultans ex possessione boni amati. Et quia vera beatitudo perpetua est, & immutabilis; ideo perpetuum & immarcescibile gaudium beatorum sit, necesse est.

Amor concupiscentiæ expletur. — *Sap. 7.*

CAPVT

CAPVT XXIX.

Vitam beatam eam demum solam esse, quæ æterna sit: eandemq́ esse finem vltimum, virtutis ac PERFECTIONIS *præmium.*

47. VITAM, qua cælites perfruuntur, esse beatam, sat constat ex dictis, si modò ęterna sit: nam, vt D. Augustinus ait, *Tum verè viuam, quando nihil potero timere ne moriar. Ipsa enim & sine vllo additamento dicitur vita, nec intelligitur nisi æterna & beata vita, tamquam sola dicenda sit vita; in cuius comparatione ista, quam dicimus, mors potius appellanda quàm vita. Neque ait hic Propheta, In æternum viuam; vel, Beatè viuam: quasi aliud non sit viuere, quàm sine vllo fine & sine vlla miseria viuere.* Hæc Augustinus. Hanc autem beatam vitam æternam esse, & testatur & promittit nobis, qui mētiri non potest, qui dicit[a] se ouibus suis vitam æternam daturum. Quid namque huic vitæ beatæ finem allaturum putatis? an quia anima ipsa interitum patiatur? nequaquam: ipsa immortalitate & incorruptibilitate prædita est. Nec gratia amitti poterit, quia[b] *caritas numquam excidit*; quæ in cælis stabilietur & consummabitur. Illius quidem amissio primum parentem ex paradiso ablegauit: sed non sicut donum, ita etiam præmium; hæc namque consummatio ciues æternæ patriæ nos constituet.

Aug. in Psal. 118. serm 19. tomo 8.

Calitū vitam æternam esse.

1.

a *Ioan. 8.*

2.

3.

b *1. Cor. 13.*

4. Ex parte Dei mutatio nulla esse potest: est enim ens entium, *α & ω*, immortalis & incorruptibilis. Quomodo enim deficiet is, qui omnibus & esse & vitam tribuit? qui bonorum operum remunerator, verax vtique in promissis haberi vult, nec fallere potest, cùm ipse prima sit veritas.

5. Accedit quòd status illius vitæ stabilis sit, & vocetur[c] *terra viuentium*, quòd in æternum stet, &, qui in ea pedes figunt, infernè non labantur, nec à vita excidant. Sed & vitæ huius status nexus indissolubiles multi sunt, ac sola dirimuntur morte; quemadmodum in hac vita qui legibus matrimonij, vel votorum sollemnitate roborantur. Imò elementa, si centrum suum sortita fuerint, non mouentur vmquam; petunt verò omnia supremum suum locum vbi conquiescant. Cur ergo homini sua quies summa non esset, & quidem legibus cælestis cōnubij, quod hîc contractum sollemni fide est, teste Apostolo Paulo. *Homines*, ait, *per maiorem sui iurant; & omnis controuersiæ eorum finis, ad confirmationem, est iuramentum. In quo abundantiùs volens Deus ostendere pollicitationis heredibus immobilitatem consilij sui, interposuit iusiurandum; vt per duas*

Status æternæ patriæ vnde pendeat æternitas.

c *Psal. 26.*

Heb. 6.

res

res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimum solatium habeamus.

Est quoque status hic non modò beatitudinis, sed & finis vltimi. Si finis, non est quò tendas; si vltimus, non superest quò vlteriùs adspires. Hic ergo quies est, & æterna quidem; quæ quia beata, vita æterna dicenda erit.

At fortè hominis titubabunt pedes, & inconstantia vacillabunt, vti viatoribus contingit. Nequaquam; *stantes* enim *erunt pedes nostri in atrijs tuis Ierusalem*: nam tunc homo assecutus erit summum bonum, quod per visionem detinebit; ex ea enim amor summi boni necessariò sequitur: quod nobis non contingit ex cognitione naturali, vel fidei, quia nondum possidetur summum bonum; nec etiam ex spe, quæ quia repræsentat futurum, & per varias quidem & arduas difficultates acquirendum, & obscurè, in speculo, in ænigmate, non ita necessariò diligitur; at in patria beato intimè præsens est, illud ipsum tenet, possidet, clarissimè condiciones eius cognoscit, nullaque difficultas assecutionis conseruandæ intercurrit. Idcirco voluntas impetu quodam ruit in eius amplexus, tenet, & indissolubiliter ei adhæret.

6. *Psal. 121.*

Deus in cælo amatur necessariò, non ita in terra.

Adde neminem esse qui velit esse miser: omnes volunt esse beati, & quidem propensio hæc naturali quodam pondere necessariò omnibus à natura impressa est: & si aliter quis loqueretur, contra mentem se loqui facilè sentiret ac conuinceretur. Verùm magni refert in quo beatitudinem tuam colloces. *Trahit sua quemque voluptas*, sua beatitudo. Si veram proponas, si summum & verum bonum, quia eius acquisitio ardua est, & difficilis; amabit quidem quispiam summum bonum, sed oderit adiunctum malum, laborem nempe & difficultatem, sine qua summum bonum acquiri non potest. Hic verè beatitudinem suam & absolutè non amat: si enim amaret, amaret & media illa, sine quibus illam acquirere nullo modo potest. Ceterùm quilibet necessariò vult esse beatus. Quid si fuerit? vult & permanere, & quidem necessariò. Nec beatus permanere potest, nisi Deum diligat: ideo necessariò vult & diligit & Deum, & beatitudinem suam. Si Deum non amaret verè, non esset perfectissimè beatus; quia bonum quod non amatur, non potest perfectè beare.

7. *Beatitudinem necessariò amari.*

Deinde lætitia sequitur possessionem illam præsentis summique boni, qua etiam fit vt seiungi nolit beatus: nam etsi beatus non desineret esse beatus videndo solum & amando summum bonum, decor tamen & vltima PERFECTIO beatitudinis desideraretur.

8. *Lætitia beatorum.*

Constat insuper promitti fructus corollasque eximias ijs qui in arduis atque heroicis actibus excelluerunt, lætandi videlicet exultandique ansam singularem. Fructus illi promittuntur à Propheta Isaia:

9. *Fructus cælestes.* *Isaia 9.*

Lætabuntur sicut qui lætantur in messe, sicut exultāt victores capta præda, quando diuidunt spolia. & à Vate Regio: *Euntes ibant, & flebant, mittentes semina sua; venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos.* Duplex enim causa lætandi occurrit; de labore emenso, & de fructu laborum qui percipitur abundantiùs: & quidem omnibus beatis id continget, diuerso tamen gradu; promittit enim Dominus singulis *denarium diurnum*, seu præmium essentiale, ac præterea laborum quorundam atque operum specialium fructus; alijs *centesimum*, alijs *sexagesimum*, alijs *trigesimum*. Qui enim spiritu illustriores fuerunt, & à carnis illecebris remotiores, vti virgines, (nam operatio carnis hebetiores animos in spiritualibus facit) centesimum; qui verò sese nonnumquam miscuerunt corporis voluptatibus, minusque ideo spirituales fuerunt, quales viduæ, sexagesimum; qui denique continentiæ dumtaxat coniugalis immaculato toro contenti, vt coniuges, castè vixerunt, trigesimum fructum reportabunt. Sed & ij qui *euntes* generosè *ibant, & flebant, mittentes* doctrinæ *semina*; *venient cum exultatione, portantes* laureolam & *manipulos* collectarum spicarum in manibus suis; animas, inquam, multas, quas Deo adiunctas secum in horreum summi Patris-familias deportabunt. Simili lætitiæ laurea donabuntur martyres, & ea admodum illustri ac præstanti; sua quoque virgines, qui se, mundum, ignitaque hostis nequissimi tela peruicerunt: gloriosè denique omnes beati perpetuis trophæis de hostibus triumphabunt.

Psal. 125.

Matth. 20.

Matth. 13. Vnde fructus oriantur.

10\. *Laureola. Psal. 125.*

48\. Est ergo cælestium sors & condicio vita, eaque vera, eademque beata, denique æterna; ideoque sola vera, quia præter eam nulla æterna est. Illud tamen omitti non debet, quòd non modò ea possessio beatitudo nostra sit, sed & finis vltimus. Beatitudo causam non dicit: nam & Deus beatus est, suaque beatitudo, sed causam finemque non habet; ipse est sua beatitudo, & finis omnium. Finis enim includit rationem causæ: *finis* quippe *dicitur, propter quem omnia fiunt, quæcumque aliquo fiunt officio*, vti definit Augustinus; & addit [a] alibi, duobus modis finem dici, *vel quo fit vt non sit quod erat, vel quo fit vt perfectum sit, quod inchoatū erat.* Sic beatitudo nostra finis est vitæ nostræ, finis miseriarum; & [b] *cùm venerit quod perfectum est, euacuabitur quod ex parte est.* Hæc scribo PERFECTIONIS studiosis, vt prospiciant quid tandem sibi obtentum velint in fine. [c] *Deus reddet vnicuique secundū opera eius*, non amplius. Si quis nihil egerit, nihil obtinebit; & lugebit in inferno, se nihil egisse, cùm exiguo labore vitam æternam promereri, æternas pœnas posset effugere.

Finis hominis quis, & vt differat a beatitudine.

Lib. 2. contra aduersarium Legis & Proph. c. 7. ante med. tomo 6.

a *In Psal. 30. côc. 1. de principio Psal. in initio.*

b *1. Cor. 13.*

c *Matth. 16.*

Qui verò socordia sua post adeptam iustitiam in purgatorium ignem se delabi permiserit, cùm nonnullo studio tam horrendas pœnas euadere potuisset, incredibili dolore ipse suam ignauiam accusabit. Dicunt

eunt plerique: Velim esse in locis purgatorijs. Quid optas, miser? optas vt sis miserior: si quid optare velis, opta vt in cælis sis, ibi eris beatus. Malum est esse in locis infernis, Dei visione vel tantisper priuari, acerbissimis pœnis detineri. Finis tuus ille non est; non centrum illud est animæ, sed alicuius corporis grauioris. Malum est ergo illic versari: nam ab eo petimus liberari, & Ecclesia supplicibus votis & sacrificijs à Deo id postulat. Respice finem: oculis intentis brauium intuere.

Si purgatorium incendium euadere non potes, conare saltem; si potes, bene est. Et sanè si PERFECTIONEM toto animo persequaris, id tibi certò sperare licet: te pœnas ignis purgatorij neutiquam experturum; aut, si fortè locis illis remanendũ sit, te præter desiderij sitim & dilationis beatæ patriæ pœnam nihil perpessurum. Tales fuerunt, quos Beda commemorat in visione Driethelmi. Quis enim credat, benignissimum IESVM animas, amantissimas sponsas, quæ omni conatu minima delicta deuitant, &, vt hoc possint, multis pœnis corpora sua afficiunt, paratæ interim pro Dei gloria infinitis mortibus constantiam suam vel ad minimum peccatum vitandum probare, sponsas, inquam, suas pro verbulo otioso, vel distractione in oratione irrepente, acerbissimo igne combusturum, sicut latrones hîc comburuntur pro enormibus sceleribus?

Purgatorium duplex: alterũ ignis, alterum desiderij.

Lib. 5. cap. 13. hist. tom. 3.

Malè etiam te quodammodo habebit in cælo, quòd post te pæne nullum reliqueris, te præuertant omnes, & longior à supernis gradibus excelsi throni tua socordia atque incuria remanseris. Itaque age quod tunc actum velis, & tunc gaudebis, tibiq; sancti omnes gratulabũtur de tui victoria, de animi magnitudine, de rebus fortiter & præclarè gestis. Magna res PERFECTIO; labores, afflictiones, & lacrymas multas requirit, abnegationem sui, mortificationem sensuum, perpetuam pœnitentiæ crucisque baiulationem, curam & vigilantiam indefessam; denique *quoniam mortificamur tota die, æstimati sumus sicut oues occisionis:* sed merces magna est; *nec enim oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus ijs qui diligunt illum.*

Psal. 43. & Rom. 8. Isaiæ 64. & 1. Cor. 2.

Hisce tam sublimes opes, tam excellens gloria, tantum regnum emitur & comparatur. *Venale est*, ait Augustinus, *venale est, quod habeo. Dicit tibi Deus: Eme illud. Quid habes venale? Requiem, inquit, venalem habeo; eme illam. Dicis ei: Quantum valet? Pretium eius labor est. Quanto labore digna est requies quæ non habet finem! Si verum vis comparare, & verum iudicare, æterna requies æterno labore rectè emitur. Verum hoc est: sed noli timere; misericors est Deus. Si enim haberes æternum laborem, numquam peruenires ad æternam quietem. Ergo, vt aliquando peruenias ad id quod emis, non in æternum laborandum est; non quia non valet tanti, sed vt possideatur quod emitur. Digna est quidem emi labore perpetuo, sed necesse est vt labore temporali ematur.*

In Psal. 93. post medium.

Decies centena millia annorum habent finem; quod tibi dabo, dicit Dominus, non habet finem. Qualis misericordia Dei! nec dicit, Decies centena millia annorum labora; non dicit, Vel mille annos labora; non dicit, Quingentos annos labora; sed, Cùm viuis, inquit, labora in paucis annis. Inde iam requies erit, & finem non habebit. Et adhuc audi. Domine, secundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo exhortationes tuæ iucundauerunt animam meam. Et paucos annos laboras, & in ipsis laboribus non deest consolatio, non desunt gaudia quotidiana: sed noli gaudere in sæculo, gaude in Christo. Ecce quantum pretium damus: quodammodo vnam siliquam ad accipiendũ thesauros sempiternos. & alibi: *Quia amant homines viuere in hac terra, promissa est illis vita; & quia multùm timent mori, promissa est illis æterna. Quid amas? Viuere. Hoc habebis. Quid times? Mori. Non patieris. Hoc sufficere visum est humanæ infirmitati; vt diceretur, Habebis vitam æternam. Capit hoc mens humana; vtcumque ex hoc quod agit, quod futurum est capit. Sed quantum capit ex hoc paruo quod agit? Quia viuit, & mori non vult: amat vitam æternam, vult semper viuere, numquam mori. Sed & illi qui torquebuntur in pœnis, vellehabent mori, & non possunt. Non ergo magnum est diu viuere, aut semper viuere; sed magnum est beatè viuere.* & capite sequenti: *Amemus vitam æternam, & ex eo nouerimus quantum pro vita æterna laborare debemus; cùm videmus homines amatores præsentis vitæ temporalis atque finiendæ sic pro illa laborare, vt, quandò venerit mortis metus, quidquid possunt faciant, non vt auferant, sed vt differant mortem. Quantum laborat homo, quando mors imminet, fugiendo, latendo, quidquid habet dando, & se redimendo, laborando, cruciatus molestiasq́; sustinendo, medicos adhibendo, & quidquid aliud homo potest! Videte quàm consumptis laboribus & facultatibus suis, vt aliquantum viuat, potest facere; vt semper viuat, non potest. Si ergo tanto labore agitur vt aliquantulum plus viuatur, quomodo agendum est vt semper viuatur! Ponamus ergo nobis ante oculos talem vitam, cùm promittitur æterna, vt remoueamus ab illa quidquid hîc molestum patimur: faciliùs enim inueniemus quid ibi non sit, quàm quid ibi sit. Et tamen venale est. Eme, si vis. Nec multùm exæstues de re magna propter pretij magnitudinem. Tantum valet, quantum habes. Noli quærere quid habeas, sed qualis sis. Res ista te valet; tantum valet, quantum es tu. Te da, & habebis illam. Quid exæstuas? quid turbaris? numquid quæsiturus es te, aut empturus es te? Ecce tu qui es, qualis es, da te illi rei, & habebis illam. Sed malus sum, inquies, & fortè me non accipit. Dando te illi, bonus eris. Vt huic fidei promissioniq́; te des, hoc est bonum esse. Cùm autem bonus fueris, pretium ipsius rei eris, & habebis non quod dixi solùm, salutem, incolumitatem, vitam, & sine fine vitam: non hoc solum habebis, adhuc alia tollo. Non enim ibi erit lassari & dormire, esurire & sitire, crescere & senescere; quia nec nasci erit, vbi numeri integri manent. Numerus qui est, ipse est: nec opus est vt augeatur, quia non ibi fit vt minuatur. Ecce quanta tuli, & nondum*

De Verb. Domini ser. 64. c. 1.

Ibid. cap. 2.

dixi quid ibi erit, quia illud nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit. Vnde enim ascenderet in cor meum vt dicerem, quod in cor hominis non ascendit. *1. Cor. 2.*

Concludam denique Doctoris eiusdem verbis: *Omnia si oporteret nos quotidie tormenta perferre, si ipsam gehennam longo tempore tolerare, vt Christum in gloria sua videre possemus, & sanctis eius sociari, nónne dignum esset pati omne quod triste est, vt tanti boni tantæq; gloriæ participes habeamur? Insidientur ergo dæmones, parent suas tentationes, frangant corpus ieiunia, premant carnem vestimenta, labores grauent, vigiliæ exsiccent, clamet in me iste, inquietet ille vel ille, frigus incuruet, conscientia murmuret, calor vrat, pectus ardeat, corpus doleat, infletur stomachus, pallescat vultus, infirmer totus; deficiat in dolore vita mea, & anni mei in gemitibus; ingrediatur putredo in ossibus meis, & subter me scateat; vt requiescam in die tribulationis, & ascendam ad populum accinctum nostrum. Quæ erit enim iustorum gloria, quàm grandis sanctorum lætitia, cùm vnaquæque facies fulgebit vt sol! cùm ordinibus distinctis populum Dominus in regno Patris sui cœperit recensere, & meritis ac operibus singulorum promissa præmia restituere, pro terrenis cælestia, pro temporalibus sempiterna, pro modicis magna præstare!* *In Manuali.* Hæc Augustinus: quibus addam quod refertur in gestis Fratrum Prædicatorum de duobus iuuenibus, qui pari adipiscendæ PERFECTIONIS ardore excitati, relicta patria à qua simul oriundi erant, Religioné inierunt. Vterque & constantiã, & virtutem, & pietatem probauit suam. Altero tamen eorum morbo decumbente, spemque euadendi nullã relinquente; alter, cùm se in aliena regione destitutum iri solatio existimaret, nutabundus tum demum insinuauit infirmo, sibi admodũ fore difficile perseuerare. Æger verò solari pusillum animum, quòd Deo ita visum esset: polliceri deinde ne vel à morte quidem se ei defuturum; reuersurũ quoque, & de statu suo certiorem redditurũ. Decessit ergo, & oranti post mortem socio apparuit subtristi specie. Quærenti verò quemadmodum se haberet, Non optimè, ait. causamque sciscitanti, Patior, inquit, quippiam, non aliam ob causam, quàm quòd, cùm noui socci de more darentur Fratribus, acceptis nouis veteres occultabam, contra Regulæ statutum, puritatemque paupertatis religiosæ. dixit etiam eosdem latere etiamnum ad pedes lecticę; rogare se vt eos ad Superiorem deferat, isque reatum in Capitulo expositum absoluat, ac orationibus sacrificijsque expiari faciat. Factum hoc est, vt petijt. Lætissimus demum apparuit socio, magno splendore coruscans, eductumque foras ad planitiem dum solatur, & ad constantiam hortatur, ecce fulgentissimorum hominum cohors, summo ordine magnas cruces humeris deferentiũ, in montem traijciens, cælum conscendebat. Nouitius in admirationem raptus, illico in felicissimam illam turbam oculos conijcit; &, dum eos aspectu prosequi-

Ita Gerardus de Fracheto in Vitis Fratrum Prad. probatis ab Humberto Ord. Mag. Gener. in comitijs Parisijs celeb. anno 1266.

» tur, ſuccedit deinde alius cuneus beatorum, geſtantium manibus trium-
» phales cruces, quas nulla difficultate geſtabant. Auxit admirationem
» iuxtà ac lætitiam hic ordo militum, priores ponè ſequentium, cælo-
» rumque celſa petentium; ſed continere prę gaudio ſeſe vix potuit, cùm
» tertius ordo ſucceſſit, duplo maior: nam ſingulis ſua crux à florentiſſimo
» quodam iuuene præferebatur; cumque præcedentes turmas ſequeren-
» tur, & Angelus defunctum nouitium cum ſua cruce ad iungendum ſeſe
» alijs accerſeret, ſocius eius, Non ita, inquit, abibis, priuſquam rei geſtæ
» ſeriem, triumque glorioſorum ordinum triumphos explicueris. Bea-
» tus iuuenis, Quoſcumque vidiſti, ait, tribus hiſce diſtinctos ordinibus,
» omnes beata ciuitate donatos eſſe certò ſcias. Qui primi comparuere,
» inſignes crucibus quas baiulabant humeris, ij ſunt, qui ætate proue-
» ctiori ſeſe Dei obſequio manciparunt; ideo longas latasque cruces,
» præteritarum ſcilicet conſuetudinum velut onera quædam, deportare
» coacti ſunt. Secunda cohors eſt eorum qui media ætate virtutem com-
» plexi ſunt; & ij cruces geſtant manibus, vtpote portatu leuiores. Qui
» verò agmen clauſerunt, nec cruces nec laborem ſeſe tuliſſe inſinuant;
» quia in tenera ætate, ſpretis mundi illecebris, PERFECTIONIS ar-
» cem ingreſſi, Angelicè vixerunt, totũque iugi Dominici pondus eorum
» Angeli ſuſtinuerunt, non ipſi. Si perſeueraueris, nobis adiungêris, &
» beatus eris: ego verò Dei gratia cum illis aſcendo. Bene vale. Quibus
» dictis, alios ſecutus eſt, Angelo ſuo duce, eiusque crucem ferente.

Ex his facilè cognoſcimus, quæ vita, quæ ſit vera, quæ beata; & ſanè eam ſolùm eſſe beatam, quæ æterna eſt; vnicamque illius vitæ capeſſendę viam ac ratione͂ eſſe, quam Chriſtus & verbis & vita ipſa nos docuit; nimirum virtutis PERFECTIONISque ſtudium. Quòd ſi ea labore non careat; exiguus tamen labor eſt, qui tanto præmio compenſatur. Nec virtutis ac PERFECTIONIS in hac vita nobiliſſimũ atque ampliſſimum præmium deſiderari poſſe videtur, cùm ipſa amatores ſuos diuitijs cæleſtibus, ornamentis, honore, gloria, excellentique voluptate copioſè beet ac cumulet. Si enim ſola virtutis cognitio incredibiles amores excitat, ob eiuſdem pulchritudine͂ ſingularem; quid PERFECTIONIS ipſius non viſio modò, ſed poſſeſſio, ſenſus, ac cõplexus, quæ virtutum omnium venuſtates ac voluptates continet? De ea meritò dici poteſt, quod milites Holofernis viſa Iudith pulchritudine dicebant: *Quis contemnat populum Hebræorum, qui tam decoras mulieres habent; vt non pro his meritò pugnare contra eos debeamus?* Nulla virtus eſt, quæ venuſtatem Iudith decore ac forma non ſuperet. Quid ergo ipſa PERFECTIO, quæ virtutum omnium venuſtates ſplendoremque continet? nónne meritò pro illa contra omnia impedimenta, labores, difficultates, tentationes pugnabimus? Si amanda beatitudo; hæc viæ bea-

Iudith 10.

beatitudo à sacris Doctoribus appellatur: qua qui fruitur in hac vita, præstantissimum quod hîc haberi potest consecutus est. Sed de hac modò prolixiùs dicendum.

CAPVT XXX.

PERFECTIONEM *non consistere in Dei Inactione in animæ nostræ essentiam delapsa, omni humana actione exclusa: amorem etiam concupiscentiæ non esse* PERFECTIONEM.

NEOTERICI quidam PERFECTIONEM constituunt in Inactione seu actione Dei, *delapsa in essentiã animæ Deo prorsus derelictæ veluti in prædam, vt de ea, quod libuerit, faciat. Qui actus diuinus amoris infinitus vbi in animam illapsus est, omnem actus nostri imperfectionem pellit; regnatq́;* PERFECTIO, *quæ in actu nostro consistere non debet, sui proprij boni plus æquo appetentiore.* Duo namque illa Inactio connotare videtur. Primò, exclusionem nostræ actionis, tamquam imperfectæ,& obnoxię cupiditati amoris proprij; vt Inactio idem sit quod non actio, seu actionis negatio. Secundò, solius Dei actionem in animæ nostræ essentiam illapsi, ibique agentis.

Neotericorum sententia de quæstione Perfectionis.

Inactiō Dei quid.

Quare *actus fidei, spei, odij proprij, resignationis perfectissimæ, caritatis quantumcumque intensæ, & quidem quæ omnem defectum excludat, omnium virtutum desiderium, mandatorum quoque diuinorum votum contineat, ardorem denique ac zelum profundendi temporalia omnia, & vitam, patiendo quantumlibet grauia tormenta, ad illustrandam Dei gloriam, dispositiones tantùm sunt ad* PERFECTIONEM; *nec caritas illa* PERFECTIO *est, sed sola Inactio quæ subsequitur, cælitus demissa in centrum animæ desertæ liberrimo Dei beneplacito. Quæ quidem Inactio non est actus amoris elicitus, qualis esset adspiratio, aut ardens in Deum desiderium, aut oblatio actualis sui totius in obsequium diuinæ Maiestatis; sed simplex sui desertio ac derelictio veluti proiecta alicui, qui animam abripit, solo deserentis sese præuio consensu, ex quo de cetero anima passiuè se habeat, solaq́; remaneat passio simplex sanctæ operationis, amorisq́; infiniti. Et hæc Inactio omnium actionum, quantumcumque perfectarum, finis est, non medium; sine qua* PERFECTIO *vera non est.* Explicant hoc similitudine puelli brachijs paternis contineri portarique gestientis: in quo puerulo duo requirunt; *desiderium hoc primum dumtaxat, &* *Simile.*

consensum deinde, dum rapitur amore ac brachijs paternis: atque hæc tantùm initio; quod superest, actus Dei est, filium suum exosculantis: in filio tamen lætitia resultat ingens, & complacentia duorum, basia, amoris indicia, vltro citroq; deferentium.

Henrici de Gādauo sententia de beatitudine. Quodlib. 13. q. 12.

Lib. de cal. hier. cap. 7.

2. Arbitror hos sententiam quorundam de beatitudine conari ad viatores transferre, dicentium hominem fieri beatum per quandam vnionem diuinæ essentiæ cum essentia animæ, quam vocant illapsum; eamque conflari vi amoris, qui amantem in amatum transformandi efficacitatem habet maximam, auctore D. Dionysio Areopagita. Modum verò hunc præscribunt: primùm enim aiunt, *animam Deum videre, illico in amorem rapi; ex quo amore sequi intimam essentiarum vnionem, essentiamq; animæ vi amoris trahi in essentiæ diuinæ abyssum; hanc inuadere ac penetrare, vt & ipsa à Deo inuaditur ac penetratur: quo fit, vt anima perfectiùs videat & amet, quàm ante vnionem hanc essentiarum. denique concludunt beatitudinem propriè non esse aliquid existens in beato, sed Deum ipsum esse beato vnitum.*

Refert Capreol. in 3. dist. 14. quæst. 1.

Pæne simile est quod hi beatitudini viæ adscribunt: in hoc tamen differunt, quòd hi nullam operationem ponant post vnionem illam, sed potiùs quietem, fruitionem, ac delectationem, non vt suas, sed vt Dei actiones; illi verò & ante vnionem illam beatificam, & post, eosdem actus visionis amorisque requirunt, quamquam perfectiores post vnionem. In illo quoque conuenire videntur, & maximè cum Ioanne à Ripa, qui beatitudinem vult in quadam operatione consistere, sed ea increata & infinita, intellectui communicata; ipsam namque visionem increatam, qua Deus se videt & possidet, communicari & vniri intellectui nostro, vt Deum videat: hi verò amorem communicari animæ essentiæ; tumque hominem perfectum censeri, quando operari sua operatione desinit. quod mirum tamen dictu est, cùm in essentia animę nulla possit esse talis operatio, quæ solis potentijs tribuenda est. Verùm actu increato non minùs concinnè Deus operabitur, si quidem id fieri possit, in essentia animæ, imò in aëre, quàm in potentijs: nam actio increata Deus est, qui nec à loco, nec à potentia nostra dependet.

3. Frequens est hic loquendi modus apud quosdam spirituales viros, qui de Theologia mystica scripserunt: *Deum animæ essentialiter vniri; eam in Deum transfundi & transformari; vnionem cum Deo fieri sine medio.* Quæ commodè intellecta Catholicum sensum admittunt; pariunt tamen nonnullis, qui distinguere nesciunt, non paruas tenebras, & contentionibus ansam præbent non minimam, dum in modo loquendi quisque in suo sensu vult abundare. Hac occasione illud explicabo quid sit, *animam Deo essentialiter vniri*. Multa magnaque primo aspectu dici videntur, nihil tamen vel magni, vel noui. Quid illud?

Animam Deo essentialiter vniri, quid.

Deum

Deum essentialiter ac realiter esse vbique, ac omnibus intimè adesse, *Id fit 3. modis.*
essentiam, existentiam, vitamque rebus tribuere: & hic est primus mo- 1.
dus, quo Deus animæ, vel anima Deo coniungitur. Altero modo Deus 2.
vnitur animę rationali per donum aliquod supernaturale, quo illam naturæ suæ participem facit; non tamen proximè & immediatè essentialiter vnitur, sed interiacente gratiæ adminiculo. Sic Patres ac Scholastici aiunt nos Deo vniri per fidem & caritatem. Vnitur denique 3.
Deus actibus internis virtutum, quibus anima Deo appropinquat, & affectibus ac desiderijs sese ei deuincit, sicut duo amici vnus animus esse dicuntur. Etsi ergo per solam gratiam habitualem quispiam Deo coniunctus esse censeatur; multo tamen magis per actus, qui vita partim diuina, partim humana, sunt ab habitibus infusis (qui ad actionem referuntur, tamquam vltimam suam PERFECTIONEM) eliciti; & quidem cùm à nobis, tum à Deo, qui ad actus singulos supernaturales singulariter concurrit. Hoc autem (vt rem paulo altiùs repetamus) duplici ratione fieri posse videtur. Vna ordinaria est: cùm nempe diuinum lumen intellectum nostrum præuenit, & Deus singulari gratia excitat voluntatem atque concursu suo cooperatur agendo; tum vt causa prima & vniuersalis in ordine rerum naturalium; tum vt auctor gratiæ, causaque vniuersalis in genere rerum supernaturalium. Et quidem, quoad illam illustrationem intellectus, aliquando momentanea est: sed tunc Deus, magnus artifex, tam multa tamque sublimia ac stupenda eo momento suggerit, vt ea multis diebus litteris mandari haud facilè possint. Item tam efficaciter voluntatem breuissimo illo spatio mouet, tantamque animus haurit lætitiam ac voluptatem, vt nec verbis exprimi, neque cogitatione possit vllo modo comprehendi. Hi actus eliciuntur à potentijs humanis: sed liberi non sunt, eo quòd præueniant rationem, & nobis non aduertentibus, imò subinde repugnantibus, adueniunt; vt patet in D. Pauli Christum persequentis conuersione. Eliciuntur tamen à potentijs humanis; quia repugnat, actum nostrum existere, & eundem non esse vitalem. Visio namque, intellectio, cognitio, item timor, desiderium, spes, actus vitæ omnino censendi sunt: intellectus tamen lumine illo vti non potest sine vsu imaginationis, tamquam instrumenti sui; vnde statim recurrit ad phantasmata, vt res concipiat; sicut oculo vis imaginatiua vtitur ad res corporales recipiendas; & manu vtimur ad res apprehendendas ac continendas, quæ aliàs exciderent. Illustratio quoque illa aliquando est diuturnioris durationis, non momentanea, omninoque à Deo pendet, & gratuita eius bonitate; ideoque illam vel impertit, vel remouet, quando vult. Nihilominus etiam tunc non censetur homo supra consuetū sanctorum modum eleuari; & vt diuina illa & abdita mysteria concipiat, necessariò

Auxilium ac concursus Dei in actibus supernaturalibus duplex.

1. Ordinarius.

Est aliquando momentaneus.

Aliquādo longioris durationis.

Intellectum indigere phãtasmatibus. indiget adminiculo imaginationis, sicut in omnibus actibus fidei, caritatis, & aliarum virtutum; ita enim D. Paulus: *Videmus nunc per speculum in ænigmate.* Prophetæ quoque subinde in reuelationibus suis res imaginario modo conspiciunt, siue in somnis, siue vigiles; vt cùm [a] Ieremias vidit ollam succensam, virgam vigilantem; & [b] Ezechiel quatuor animalia, quorum quatuor facies vni, quatuor facies alteri; & [c] Daniel statuam ex varijs metallis conflatam; [d] Ioannes equos, album, rufum, aut nigrum: eæ namque species erant rerum corporalium & corporales. Hæc tamen non è potentia intellectus vel phantasiæ eruuntur, sed diuino miraculo intellectui repræsentantur. Altera ratio stupendo plena miraculo, moræque longioris est: cùm Deus aliquem auocat à sensibus, immittens species atque imagines, non ex rerum corporearum colluuie concretas, sed planè cælestes ac diuinas. Gratis enim dicitur, excludendas in raptu omnimodas figuras, species, ac imagines, sine quibus ne Angeli quidem spiritualia, resque tam naturales quàm supernaturales, cognoscunt. Verùm longè sublimiori modo tunc hominem subleuat, quàm priori. Sic D. Paulum ad tertium cælum siue in corpore, siue extra corpus, abreptum putamus. Lumen tamen illud, aut species intelligibiles supernaturales, non sunt actus, (quod aliqui imaginantur) sed obiecta actuum, iuncta cum gratia adiuuãte ac subleuante infirmitatem potentiæ nostræ, quæ naturalibus viribus ad tam sublimem statum nullo modo potest assurgere. Similiter cùm voluntas excitatur atque inflammatur cælesti hac visitatione ac solatio, putandum non est ipsam actum non elicere, aut ipsam gratiæ abundantiam & influxum esse actum hominis; auxilium istud est, quo actus perficitur, non autem actus infusus. Perspicuum verò est, animum sic eleuatum facillimè imò sine labore agere, ob copiam auxilij, & vbertatem gratiæ; suauiter enim equitat, quem gratia Dei portat: nihilominus actus illi eliciuntur ab intellectu & voluntate, in quibus formaliter inexistunt, & à quibus vitaliter promanant: & per huiusmodi actus homo Deo coniungitur, eique firmissimè adhæret; animusque quasi brachijs duobus Deum, vt summum bonum, modo aliquo præsentem complectitur ac detinet. quod Sponsa in Canticis his verbis exprimit: *Tenui eum, nec dimittam.* Hæc tamen vnio non est essentialis; quia nón potest essentialiter anima Deo vniri, vt statim dicemus. Nec etiam est in essentia animæ; nam essentia animæ, vt à potentijs distinguitur, nullam habet operationem, estque velut humanum corpus, quod detractis brachijs femoribusque, atque euulsis sensibus, instar trunci remanet. Differt tamen hæc secunda ratio à priori: quòd in ratione ordinaria intellectus vi imaginaria vtatur, seu phantasmatibus; secunda verò præter species intellectuales, supernaturali virtute infusas, nullam imaginem haustam à sen-

Marginalia: *1. Cor. 13.* — *Prophetarum visiones imaginariæ.* — a *Ierem. 1.* — b *Ezech. 1.* — c *Dan. 2.* — d *Apoc. 6.* — 2. *Extraordinarius.* — *Raptus quid.* — *2. Cor. 12.* — *In raptu actus non infundi, sed à potentijs elici.* — *Quomodo homo passiuè se habeat.* — *Cant. 3.*

à ſenſibus, aut ex phantaſiæ fonte depromptam, accipiat. Vtraque tamen agendi ratio perficitur in animæ potentijs, & per earum actus homini Deus arctiſſimo vinculo vnitur, vt ſolent amicorum animi interna quadam neceſſitudine conglutinari; & quo diuturniores atque intenſiores ij fuerint, eo nos feliciores. Vnde ſancti in cælo beati ſunt, quòd actu perpetuo Deo adhæreſcant; meritóque Rex pius exclamat: *Beati qui habitant in domo tua, Domine, in ſæcula ſæculorum laudabunt te.* Pſal. 83. Per ſolam verò animæ eſſentiam hominem eſſentialiter Deo vniri, nulla ratione intelligi poſſe videtur.

4. Præter tres ſupradictos modos, & ex his conflatas vniones, alia aſſignari non poteſt, qua Dei eſſentia eſſentialiter vniatur cum anima noſtra. Vt enim duo aliqua ſimul exiſtentia, & veluti ſeſe penetrantia, proximè vniantur, neceſſe eſt illorum alterũ ſuum eſſe alteri communicare, & ex vtroque tertium quoddam conflari, vti videre eſt in calore aquam, in anima corpus, & in Verbo diuino naturam humanam penetrante; hæc enim non habent nouam aliquam vnionem cum ijs quę ab ipſis penetrantur, niſi quia ſuum eſſe illis communicant: at Deus proprium eſſe ſuum animæ non communicat, neque ex vtroque quippiam vnum exſurgit.

Naturam diuinã non vniri proximè eſſentia animæ noſtræ, rationibus oſtenditur.

1.

Adde fieri non poſſe vt vnio diuinæ eſſentiæ cum eſſentia animæ ſit ſubſtantialis; non enim eſſentialis eſt, qualis inter corpus & animam: non eſt etiam hypoſtatica, qualis eſt Verbi cum natura humana: neque poteſt eſſe accidentalis; quia anima non poteſt immediatè à diuinitate accipere eſſe accidentale, cùm ipſa ſit perfectiſſima ſubſtantia: qualis ergo erit vnio illa eſſentiæ diuinæ cum eſſentia animæ? 2.

Denique ſi illis enthuſiaſmis Deus de nouo vniatur animæ noua vnione eſſentiali, id fieri debet per mutationem Dei aut animæ: non Dei vtique, quia immutabilis eſt; fit ergo per mutationem animæ, ac proinde neceſſe eſt aliquod donum gratiæ animæ aduenire, Deum verò eſſentialiter non vniri. 3.

Dices fortè mutari animam, non quòd fiat aliqua in ea qualitas, ſed quia nouo modo ſeſe habet, dum ab eſſentia diuina magis penitiuſque inuaditur ac penetratur. Verùm aliter res ſe habere videtur; nam penetratio per intimam præſentiam & veluti inexiſtentiam mutuam perpetuò exiſtit, (*In ipſo enim viuimus, & mouemur, & ſumus*) & quidem Act. 17. tanta, quanta eſſe poteſt maxima. Sicut in myſterio incarnationis, ſi humana natura exſtitiſſet ante aſſumptionẽ à Verbo, & nulla fuiſſet in ea facta mutatio, nec accepiſſet aliquem nouum modum intrinſecum, non potuiſſet nouo modo vniri Verbo, quod antea erat ei intimè præſens.

Hanc veritatem clariſſimè atque appoſitiſſimè explicat D. Augu-

Lib. 2. contra Maximinum, cap. 12. tomo 6. *a Matth. 5.* *Act. 17.* *Ephes. 5.*

stinus his verbis: *Cùm dicit Dominus,* [a] *Estote perfecti, sicut & Pater vester cælestis perfectus est: non vult illos Deo in vnitate naturæ coniungere, tamquam illorum & illius vna eademq́ natura sit; sed perfectos vult esse in natura sua, sicut Deus perfectus est in sua, quamuis diuersa, non vna. Quod, nisi in ipso simus, omnino esse non possumus. Non sicut in illo sunt omnes, quia ipse continet omnia quæ creauit, propter quod dictus est non longè positus ab vnoquoque nostrûm; sed sicut in illo sunt tales, qualibus dictum est, Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* Hæc Augustinus. Ex quibus patet, impropriam esse locutionem dicentium, animam, cùm Deo fruitur, & solatio ac visitatione cælesti exardescit, vniri Deo essentialiter; cùm ne quidem de natura Christi humana id asseri possit: non enim natura humana in Christo essentialiter vnita est naturæ diuinæ proximè, sed Verbo. Quòd si ergo ne Christi quidem naturæ id concedi potest, multo minùs nostræ.

Infundi à Deo actum amoris in essentiam animæ, tribus modis posse intelligi.
1. Modus. Perfectionem non consistere in auxilio supernaturali.

5. Videtur etiam admodum impropriè dici, infundi animæ actum amoris infiniti. Actus enim ille, qui Inactio dicitur, aut actus erit elicitus à Deo infinitus; aut creatus extra potentiam seu voluntatem hominis; aut elicitus quidem à voluntate humana, sed singulari Dei concursu. Si hoc postremum: non tantùm Inactio illa erit summa hominis PERFECTIO, sed etiam actus caritatis obedientialis, imò & actus fidei, & (quod amplius est) actus timoris Dei à grauissimo peccatore elicitus: non enim humana virtute, sed planè diuina ope, in ani-
1. mam infusa elici debet. Non ergo pij illi homines de auxilio ac
2. concursu supernaturali intelligunt illam Inactionem: alioquin aut nihil noui diceretur; aut certè verum non esset, Inactionem esse hominum PERFECTIONEM. Accedit, subinde in recenter conuersis,
3. nondum excussis passionibus ac infinitis defectibus, plus voluptatis ac quietis, plus ardoris subsidijque, indiciorum beneuolentiæ diuinæ, quàm in ijs qui in PERFECTIONIS statu prouecti sunt, quique pæne omnes defectus ac animi perturbationes exuerunt, inueniri: erunt ergo ij statim perfecti, quia Inactionem illam perfectiùs recipiunt?
4. Quid dicam de peccatoribus grauissimis, meretricibus, & concubinarijs, qui tanto æstu & voluptate illico rapiuntur, vt nullo suo pæne labore pœnitentias grauissimas subeant, lacrymas vbertim fundant, sponte ruant in flagella, à pedibus Confessarij auelli non possint? hinc censendi erunt assecuti PERFECTIONEM; quia signa longè maiora diuinæ beneuolentiæ, quàm iusti quidam, experiuntur? Aliud ergo per Inactionem significatur, quàm auxilium speciale, quod omnibus actibus supernaturalibus tribuitur: nam morum mutationem, euulsionemque omnium imperfectionum, actum caritatis, ac resignationis perfectissimæ, tamquam necessariam dispositionē prærequirunt.

6. His addo, complexus illos diuinos, ſi ſpeciali tantùm concurſu fiant, nihil eſſe aliud, quàm delectationem prouenientem ex præſentia Dei amantiſſimi Patris, ſingulari quodam lumine ac perfecto amoris ſeu caritatis actu apprehenſi; atque ad eam omnes virtutū & habituum actus referri volunt. Atqui delectatio & quies in finibus conſtitui non debent; cùm omnium Theologorū iudicio, maximè a D. Thomæ, aut medijs miſceantur, aut certè obtineri non poſſint, niſi cum eo quod vt finis expetitur atque acquiritur. Quare quies & delectatio percipiuntur in illa viſitatione cæleſti; quia anima hominis per veram caritatem, in qua hominis conſiſtit PERFECTIO, Deum præſentem habet, eumque talem apprehendit & experitur ſuperueniente incredibili ſolatio, immenſo gaudio & quiete, teſtibus illius præſentiæ ac beneuolentiæ mutuæ. Ergo quies illa, ſeu Inactio, PERFECTIO noſtra eſſe non poteſt.

Perfectionem non conſiſtere in quiete & delectatione.

1.

a Lib. 3. cont. Gent. cap. 23.

2. Accedit quòd gaudium, vulgi opinione, propter inſignem ſenſus voluptatem longè pluris fieri ſoleat, quàm actus ille per quem acquiritur: effert enim (ſi magnum eſt) hominem ac tranſmutat ſecundùm affectum, & diffundit ſeſe; ſubinde etiam pæne mentem eripit. Sicut enim dolor ita afficit internos externoſque ſenſus, vt ad ſe totum hominem rapiat: ſic & vehementius gaudium cogitationem affectumque abripit; pluſque ſeſe exerit, quàm res ipſa quæ delectationem illam induxit. Verbi gratia: qui edit famelicus, de comeſtione ipſa non cogitat; & quod ægroto eſſet moleſtum edere, illi non eſt; imò ne per imaginationem quidem moleſtiam illam apprehendit, edendive laborem: & tamen, ſi non ederet, voluptatem non ſentiret. Sic qui rem amatam videt, qui tangit, qui audit, non ſolet reflectere ſuper actione ſua, quæ tamen cauſa eſt voluptatis exertæ; eaque actione ſublata, omnis voluptatis corruit ſenſus. Ex quo patet, vulgò & pluris fieri voluptatem quæ ex aliquo actu percipitur, quàm actum ipſum; & oculos in delectationem homines ſolere conuertere, etiamſi ſæpe ignorent vnde quibúſve rationibus ipſa delectatio oriatur. Ita fit in diuinis illis viſitationibus. Ideo finem in delectatione vulgò conſtituunt, non in actione quæ delectationem parit & quietem. Ex vehementi enim amoris vi, qua anima Deum ſibi deuincit ac conglutinat, oritur quies & delectatio: tolle amorem, tolle actum illum quo Deus tenetur, corruet omnis delectatio ac ſuauitas quam experiris. Pono exemplum hominis ſic eleuati & abſorpti cęleſti voluptate, vt ſimile quid numquam expertus ſit. Illo rerum ſtatu data opera deſinat ipſe cogitare de Deo, deſinat amare, vel animo ſolo pecuniam attentè numeret; tota illa ſpiritualis fabrica momento abripitur, ſicque ruit, ac ſi numquam fuiſſet. Non igitur quies illa ac voluptas pro fine habenda eſt, nec PERFECTIO di-

Voluptatem pluris fieri vulgo, quàm actū per quem ipſa generatur.

cenda, sicut nec in beatitudine gaudium quod ex possessione summi boni nascitur: nam gaudium non est finis hominis, nec eius beatitudo; omnis quippe eius dignitas ex operatione illa pendet, qua Deus possidetur. Hinc fit vt in actibus amoris vesani delectatio ac quies turpis sit, quia amor ipse turpis est. Iudicium ergo de quiete ac delectatione quasi finibus actionum nostrarum, vulgi iudicium est ex sensu iudicantis. Aliter rem sese habere conuincunt ea quæ diximus.

2. Modus. Inactionem seu Perfectionem non esse actum creatum.

7. Ad alterum venio: quòd cùm illa Inactio non sit solùm auxilium speciale, ac eximius quidam concursus diuinæ visitationis, (nihil enim noui diceretur, idque esset vel etiam cum peccatoribus cõmune) discutiendum est, num fortè esse possit quidam actus à Deo creatus, & animæ vehementer amanti benèque dispositæ infusus, quo tamquam diuina ac infinita agendi vi, sine suo vllo labore ac operatione, Deo optimo Patre perfruatur; ne, si operatione vtatur propria, sese quippiam humani commodi immisceat. Primùm peto an Inactio hæc actio sit. Actio est. Peto iterum cuius illa sit, Dei an hominis. Dei vtique est, non hominis. Peto tertiò quî vocetur, visio an amor. Non visio, quia visio hominis est, illuminatio Dei: atqui actus iste actus Dei est; non est ergo visio. Accedit quòd visio sit in intellectu, Inactio verò in animæ essentia esse dicatur: non est ergo Inactio visio; sicut gratia habitualis, quæ est in essentia animæ, non est cognitionis actus. Non etiam est amor, quia & iste excluditur. Estne quies? Est. Peto vlteriùs an omnimoda quies, vt nulla sit cogitatio aut amoris actus in homine. Si nullus actus in anima remaneat, credibile non est quippiã superesse, ipsamque planè esse otiosam, innascique illud quod Doctores vocant in spiritualibus otium perniciosum; quæ stupiditas quædã est animæ nihil cogitantis. Et gratis dicitur, posse animam sine cogitatione amare: nam, cogitatione omni sublata, corruit omnis actus voluntatis, vt iam diximus; multo magis si anima omni planè actu suo careat: nam anima sine potentijs instar trunci est; sicut corpus sine vllis sensibus, somnoque sopitum: videretur ergo potiùs dicendum, quietem illam esse amici possessionem ac fruitionem, & per consequens esse actum voluntatis; nam fruitio & gaudium actus sunt voluntatis ab ea eliciti: non ergo Inactio illa erit actus creatus & infusus, sed gratia singulari cum potentia concurrente productus.

8. Verùm redimus ad priorem modum, qui non videtur esse ex mente illorum auctorum, vtpote qui hominis actum omnem eliminant.

An Deus actũ creare possit.

Sed intelligi non potest quomodo Deus actum vitalem creare possit sine cuiusquam vita ac potentia viuente, quam vitaliter informet: fruitio enim & delectatio sunt actus vitales. Ex quo ergo prodeunt? Si enim Deus infundere potest talem actum vitalem in animam hominis,

(vti

(vti censet [a] Occam, [b] Marsilius, & [c] Paludanus de actu beatitudinis) eundem in aëre poterit constituere; sicque aër dicetur videre, amare, & frui; sicut & caput hominis, si actus ille in illud velut globus deuoluatur: quod omnino absurdum est, & inintelligibile, vt statim dicemus.

a *In 1. dist. q. 2.*
b *In 3. q. 10. a. 2. in dub. incid. concl. 4. & 6.*
c *In 4. dist. 49. q. 1. a. 2. concl. 3.*

3. Modus. Inactionem seu Perfectionem non esse actum increatum.

9. Illud ergo, quod tertio loco supererat, constituendum est, nimirum Inactionem illam non esse actum creatum, sed increatum & infinitum, quo benignissimus Deus in animã hominis illabatur, solusque operetur, & sua creatura pro arbitrio ac beneplacito tamquam suo instrumento rationali vtatur. Verùm hic loquendi modus non est admodum cõformis definitioni Concilij Tridentini, quo contra Lutherum & Osiandrum definitur, *nos non esse formaliter iustos per iustitiam Christi*. At si PERFECTIO nostra consistit in Inactione seu actione Dei increata, non est in nobis iustitia, sed in Deo: nec inhæret; nam si perturbatio superueniat, desinimus esse perfecti, quia nulla quies superest. Deinde, quantumcumque perfectus, potest amittere iustitiam: at Dei actus infinitus cessare non potest, sicut nec Deus mutari. Accedit quòd fruitio infinita sit ipse Deus: at implicat contradictionẽ, *Deum per seipsum supplere effectum operationis seu actus vitalis*, idque duplici de causa: quarum prima est, quòd in actu vitali includatur esse causam formalem, seu informare potentiam: debet enim actus vitalis informare potentiam à qua elicitur; vita namque debet esse in viuente: Deus verò rationem causalis formæ absque controuersia supplere non potest; id enim summæ imperfectionis est, vt antè declarauimus. Altera causa est, quòd actus vitalis non possit dare esse potentiæ, neque eam informare, nisi ab ipsa effectiuè procedat; quod repugnat fruitioni ac delectationi increatæ.

1. *Sess. 6. can. 10.*
2.
3.

Deus supplere non potest effectum operationis vitalis, duplici de causa.

1.
2.

Inactio Dei septem modis concipi potest.

10. Quid ergo est demum illa Inactio, in qua consistet PERFECTIO? Si quidem de actione Dei in nobis operantis agatur, septem Inactiones notare possumus.

Vna est, quam Deus operatur per gratiam præuenientem etiam in grauissimis peccatoribus. Et sanè si quæstio sit de Dei actione operantis sine cooperatione voluntatis; præuentio illa qua Deus animam nostram præoccupat, siue lumine immisso, siue impulsu voluntatis, præ ceteris maximè Inactio dicenda erit: nulla enim actio est supernaturalis in qua minùs operamur, in qua Deus magis solus operetur; nam primi illi motus liberi non sunt, sicut nec in peccati seu fomitis motibus primò primis: vnde meritò, præ ceteris, præmotiones istæ Inactionis merentur nomen. 1.

Agit deinde Deus in nobis, cùm pœnitentiæ gradibus sensim ad iustitiam tendimus, fide, timore, spe, amore seruili, detestatione peccatorum: 2.

torum: his enim Deus concurrere debet, & nobiſcum operari; ideoque Inactiones illi virtutum actus dici poſſunt, & multo magis (quod
3. tertium Inactionis genus eſt) actus virtutum ſpei, caritatis, odij ſuiipſius, adepta iam iuſtitia.

4. Illæ quarto loco ponendæ ſingulares Dei viſitationes, de quibus
Cant. 5. Sponſa in Canticis: *Anima mea liquefacta eſt, vt dilectus meus locutus eſt.* Molleſcit enim cor durum, imò inſtar ceræ liqueſcit, ac in ſuauiſſimas lacrymas reſoluitur, Deoque quodammodo miſcetur, ob affectus excitati teneritudinem; quod viris perfectis ſubinde accidit: non negat tamen idipſum benigniſſimus Deus etiam bene imperfectis. Cur ita? quia Dominus eſt, quia ita placet, quia tironem ſuum hac eſca velut hamo ineſcare vult, & ſenſim ad PERFECTIONEM adducere. Inactio eſt, fateor; non tamen tollit liberum arbitrium: nec Deus ſolus agit; anima enim tunc & amat, & gaudet, & Deo fruitur, non magno quidem ſuo conatu, abundantia nempe gratiæ pondus ſarcinæ noſtræ velut equo ſubleuante ac deportante: agit tamen homo, & actus vitales elicit.

5. Omitto pro quinta actum Dei creatum in animam illapſum. Omit-
6. to & pro ſexta actum increatum; qui ſi infundi poſſet animo, veræ eſſent Inactiones, & quidem propriè dictæ.

7. Vltimus eſt raptus, ſub quo aliquæ prophetiæ & reuelationes ſublimiores comprehendi poſſunt. Hoc homo ſuper ſe eleuatus, nec ſenſibus vtitur, nec phantaſmatibus ad operationes intellectus eliciendas: his enim Deus ſufficit quaſdam ſpecies intellectuales, quibus mens illuſtrata videt, guſtat, audit Dei arcana, quæ non licet homini loqui; & quo clariùs ea intuetur, eo amat ardentiùs, eo ſuauiùs delectatur. Hæc Inactio non eſt actus creatus infuſus, nec etiam increatus, ſed vbertas quædam & profuſio diuinæ benignitatis ſeſe amiciſſimæ Sponſæ communicantis.

II. Præter has ſeptem in hac mortali vita nullum Inactionis genus reperio: his enim homo paſſiuè ſe habet, ſed diuerſis gradibus. In quo

Perfectionem non conſiſtere in raptu.

tandem horum PERFECTIO conſtituenda eſt? Non in raptu primùm; nam raptus nuſquam proponitur tamquam PERFECTIO noſtra,
1. vt qui non ſit in hominis poteſtate: eſt enim miraculum manifeſtum, vt homo abſque phantaſmate intelligat; nec ſpecies illæ intellectuales, quę à Deo communicantur, in hominum ſunt poteſtate. PERFECTIO deinde nobis debet inhærere, nec temporum varietate di-
2. uelli, vt, qui iam perfectus eſt, illico nulla ſua culpa deſinat eſſe perfe-
3. ctus. Denique deſperarent omnes, ſi hæc Inactio proponeretur tamquam PERFECTIO noſtra; cùm plurimi ſint, qui nec id capiant quidem; nec Deus etiam ſtatuit eum fauorem elargiri, vt patet experientia:

rientia: si enim omnes rapti essent, desciscendum esset ab omni opere, & sine cibo viuendum; nulli essent agricolæ, nulli pistores, nulli sartores: quæ viuendi ratio futuræ vitæ reseruatur; paucis exceptis,

——— *quos æquus amauit* *Virgil. lib. 6. Æneid.*
Iuppiter, aut ardens euexit ad æthera virtus.

12. PERFECTIO non consistit in diuinis excitationibus; non in actibus pœnitentium; non in plerisque actibus virtutum, vt fidei, spei, ac cuiusuis caritatis, quia hæc non excludunt maximas imperfectiones; nec in actibus quoque creatis extra potentiam, nec etiam increatis, quia tales nullos esse probauimus; [a] nec denique in illa vnione cum Deo, ac quiete, quam quarto loco collocauimus, si eam ab actu veræ caritatis separes, quod pij auctores faciunt: [b] nam fruitio illa Dei nihil aliud est quàm decor atque efflorescentia amoris, & ab ea pendet velut à causa. [c] Separatur deinde delectatio in hac miseriarum valle frequentissimè ab anima, actusque summæ caritatis ab illa suauitate. Perfectus erat Iob, & tamen horrendè Deum timebat, sensumque nullum delectationis aut quietis fortè toto tempore afflictionis suæ expertus est. Perfectus Dauid, & tamen, *Seruite*, ait, *Domino in timore, & exultate ei cum tremore*. Christus denique in cruce derelictus à Patre nullam perfectæ caritatis dulcedinem percipiebat vt viator. Et tamen hi omnes erant perfecti. Adde, experientia teste, inueniri non paucos, qui, etsi puritati ac PERFECTIONI diligentissimè incumbant, tamen tota vita sua consolationes illas eximias experti non sunt. Certè, si cetera non desint, nemo negabit, tales perfectos esse censendos: solatia enim illa à Dei benigna manu promanant; nec à nobis dependent, nec in nostra sunt potestate, quidquid egerimus. Interdum diuina solatia arbitramur motiones naturæ, sensus delectationum, meditationis ac orationis temporibus: quæ in complexione sanguinea sæpius excitantur quàm in melancholica; etsi fortè PERFECTIONES longè maiores sint in hisce durioribus quàm mollioribus corporibus. Scriptura sacra, Patres, ipsa demum Ecclesia Catholica non est admodum solicita nos excitare ad Inactionem tamquam PERFECTIONIS culmen, sed ad bene agendum. *In mundo*, ait Christus, *pressuram habebitis; sed confidite, ego vici mundum*. Hortantur ergo hi ad pugnandum, ad multa patienter toleranda pro Christo, ad fiduciam in Dei benignitate reponendam, ad constantiam in Dei lege seruandam. Illud omitti non debet, Inactionem illam multis esse incognitã, obscuram, ac difficilem intellectu; imò præmissis nihilominus hisce omnibus vixdum constare quid sit. Nemo verò fertur in incognitum. Clara, obuia, perspicua debet esse PERFECTIO, vt appeti possit: alioquin tirones despondebunt animum sola ignotæ PERFECTIONIS recordatione. Ad metam

Perfectionem non consistere in excitationibus ad virtutẽ, non in actibus pœnitentiæ, nec plerisque virtutum actibus.
a Delectationẽ non esse Perfectionem.
b 1.
c 2.
Psal. 2.
3.
4.
Ioan. 16.
5.

tam mihi currendum eſt; brauium agnoſcam oportet, quod ad currendum me inuitet. Delectatio denique, vt diximus, actionum noſtrarum finis eſſe non poteſt, cùm ad amorem conſeruandũ eiusque vſum referatur, non amor ad delectationem; ſicut in beatitudine gaudium non eſt finis hominis, ſed decor quidam ex eo reſultans, ſeruitque inhæſioni ac poſſeſſioni vt conuenienter illi ſtatui fiat.

6.

Gaudium qua ratione vocetur beatitudo.

13. Non negauerim tamen gaudium vocari beatitudinem, quia gaudium conſummatum ſupponit conſecutionem ſummi boni: eſt enim ſuauiſſima quædam affectio ac quies inde proueniens, ex præſentia nempe & poſſeſſione ſummi boni; eſtque vltima PERFECTIO reſultans ex beatitudine, non tamen in qua conſiſtat beatitudinis eſſentia. Quòd autem animus non quieſcat abſente gaudio, eſt; quia, quando gaudium abeſt, ſummum bonum non poteſt eſſe præſens: eo enim præſente, non poteſt non naturali quadam dependentia illa affectio emicare. Ita & in beatitudine viæ; eo tamen excepto, quòd, quia ſummum bonum nondum clarè poſſidetur & in ſuo fonte & termino, ſpeque tantùm ſalui facti ſumus, videamus illud in ſpeculo tantùm, & in ænigmate. Ideo fit vt non ſemper reſultet delectatio, nec emicet decor ille, qui ex beata viſione neceſſariò exoritur. Si tamen per diuinam potentiam reſtingueretur gaudium in beatis, permanente viſione & amore, (vt Melchior Canus improbabiliter factum eſſe exiſtimat in Chriſto tempore paſſionis) tunc homo verè adhuc beatus eſſet, & ſummi boni poſſeſſionem haberet; careret tamen veluti quadam beatitudinis naturali condicione, ſeu propria paſſione. Multo ergo magis in viatore non neceſſariò reſultat ex beatitudine viæ illa ſenſibilis delectatio, quæ tentationibus multis obnoxia eſt, ideoque minùs digna vt excellentia PERFECTIONIS in ea conſtituatur.

Lib. 12. de loc. c. 14. in fine.

14. Quare, etſi ſcientiam myſticam (quam pæne à prima ætate colui) amem, ſuſpiciam, vehementer laudem, & ad cælos vſque extollam, vtpote quæ multas ſpirituales opes contineat, ipſamque PERFECTIONEM in ſuo fonte deguſtet; exercitio quoque omnium virtutum infuſarum, heroicis conatibus, mundo, carne, dæmone, amore proprio, paſſionibus ſubactis, caritatis finem (quatenus fieri poteſt) in omnibus aſſequatur, ad eumque omnia referat: in multis tamen falluntur tirones; nec ij modò, ſed perſæpe & nonnulli ſæculares, qui directioni nullius ſubiecti, etſi in ea prouecti, ſuo tamen ingenio plus æquo tribuunt atque indulgent: qui niſi humiles ſint, & ſeſe ſpirituali directori regendos lubenter committant, incidunt in tentationes varias, in deſideria vana & inutilia, illuſiones funeſtas, contentiones varias, quæ mergunt hominem in interitum, vt in [a] Erone aliiſque ſpiritualibus viris antiqui Patres obſeruarunt.

a Palladius in Lauſ. hiſt. ſect. 29. 30. 40. 42. tomo 7. Bibl. ſacræ.

15. Ex

15. Ex quibus patet, PERFECTIONEM in Inactione à perfecto actu caritatis separata constitui non posse, sed in ipsa potiùs caritate; non tamen omni: est enim quidam Dei amor qui ad spem, virtutem Theologicam, pertinet; ex quo desiderium nascitur, ac intentio, timor item non acquirendæ beatitudinis, spes demum adipiscendæ suo tempore. Hic amor non est PERFECTIO: *timor* enim (nempe seruilis, qualis est spei) *non est in caritate, sed perfecta caritas foras mittit timorem*. Amat deinde amor iste Deum tamquam bonum, non Dei, sed suum: non quòd inordinatè Deo abutatur, quem ad se tamquam medium transferat; sed cùm indigus sit & imbecillis, Deus verò perfectè liberalis & opulentus, eius benignitate vtitur ad inopiam suam subleuandam, imbecillitatem stabiliendam, omneque bonum suum assequendum. At nobilius est Deo merere proprijs expensis, amicitiæ Dei solo intuitu; qui amor beneuolentiæ est, non cõcupiscentiæ: quæ caritas amicitiæ in Deum tendit vt summum bonum, cui in omnibus, etiam sine præmio, imò cum summis infinitisque incommodis adhærescere, eique in omnibus nititur complacere. De qua ita Bernardus: *Non sine præmio diligitur Deus, etsi absque præmij intuitu diligendus sit. Vacua namque vera caritas esse non potest; nec tamen mercenaria est, quippe non quærit quæ sua sunt: affectus est non contractus, nec acquiritur pacto, nec acquirit; sponte afficit, & spontaneum facit. Verus amor seipso contentus est: habet præmium, sed id quod amatur; nam quidquid propter aliud amare videaris, id planè amas quò amoris finis pertendit, non per quod tendit. Paulus non euangelizat vt comedat, sed comedit vt euangelizet; eo quòd amet non cibum, sed euangelium. Verus amor præmium non requirit, sed meretur. Præmium sanè necdum amanti proponitur, amanti debetur, perseueranti redditur.* Hæc Bernardus. Amor verò concupiscentiæ, licet bonus & sanctus, (tendit enim in Deum, illumque honorat, dum ab illo sese dependere & sine eo consistere non posse profitetur, sensimque ad verum amicitiæ amorem inducit) mercenarius tamen est, eumque proprij commodi cognitio, merces ac lucrum progignunt, atque ex natura sua ad bonum amantis inclinant. Adde quòd talis amor sine caritate non sufficiat, nec amantem saluare possit; magnæque præsumptionis sit, eum sperare atque exspectare, quem vera caritate non diligas. Quod de spe seu amore concupiscentiæ statuo, idem de ceteris virtutibus constituendum est, quæ sine caritate mortuæ sunt.

Amorem concupiscentiæ non esse Perfectionem.

1.

1. Ioan. 4.

2.

Lib. de diligendo Deo, ante medium.

3.

CAPVT XXXI.

PERFECTIONEM *in Caritate consistere.*

Præclara res non sine labore acquiruntur.

16. NIHIL Deus in hoc mundo præclari hominibus proposi-
tum esse voluit, cuius assecutio non insigni labore consta-
1. ret, ac industria. Non eruuntur auri argentíve de fodinis
2. metalla, nisi & labore, & expensis innumeris: & *qui addit scientiam*, quæ
Eccle. 1. in præclarioribus mortalium bonis censenda est, *addit & laborem*. Quis
3. denique sceptra & diademata virtute consecutus est, quin priùs vires
exhauserit, facultates suas effuderit, vitã denique mille periculis expo-
suerit? Virtute nihil est præclarius, nihil illustrius PERFECTIONE:
quæ si mortalibus cognita foret, atque obuia, omnium ad se animos ra-
peret; nec quisquam vllis laboribus, pœnis, ac doloribus ad eam asse-
quendam parceret. Sæculi huius homines, vmbram eius concipien-
tes, quid non faciunt?

Exercitia seu ludi in campo Olympico quinque.
Natalis Comes lib. 5. cap. 1.

Olim in campo Olympico ludi fuerunt instituti ab Hercule, excitandis ad virtutem hominum animis: in quibus quinque exercitia præcipuè vigebant, de quibus Homerus Iliade penultima; quæ Simonides hoc carmine comprehendit:

Ἅλμα, ποδωκείην, δίσκον, ἄκοντα, πάλην.

Georg. lib. 3 & Æneid. lib. 5.

Cæstus vnde dictus.

Primus est saltus; alter cursus; tertius discus, qui proijciebatur ad metam; quartus iacula seu pugna quam cæstum vocat Virgilius; vltima erat lucta. Hi incredibilia patiebantur, præsertim qui lucta vel cæstu gloriam præmiumque quærebant; &, vt reliqua omittam, quanta immanitas in cæstuum ludo! Cæstus, à cædendo dictus, claua erat instar flagelli, ex loris bubulis congestis, globis plumbeis aut ferro grauibus, quibus athletæ sese mutuò diuerberabant, aut (vt veriùs dicam) membra vicissim comminuebant: vni namque iam caput obtundebatur, iam effractis maxillis, aut cranio, dentes cerebrúmve excutiebantur; alter, conuulsis scapulis, ictus immanitate succumbens sub onere fatiscebat;

Virgil. Æneid. lib. 5.

Quid mũdani homines patiãtur pro inani & corruptibili præmio.

alius denique, fracta ceruice, ruebat mortuus. Describit hæc Virgilius eleganter, & quidem de Entello sic ait:

——— Sic deinde locutus
In medium geminos immani pondere cæstus
Proiecit, &c.
Obstupuere animi tantorum. ingentia septem
Terga boum plumbo insuto ferroq; rigebant.

Et post pauca, de pugna disserens:

Ostendit dextram insurgens Entellus, & altè

Extulit:

Extulit: ille ictum venientem à vertice velox
Præuidit, celeriq; elapsus corpore cessit.
Entellus vires in ventum effudit, &c.

Sed læsum aliquem audiamus:

Ast illum fidi æquales, genua ægra trahentem,
Iactantemq; vtroque caput, crassumq; cruorem
Ore reiectantem, mistosq; in sanguine dentes,
Ducunt ad naues.

Qua vi autem percuterent, ex hoc collige, quòd victor Entellus suo cæstu taurum victoriæ præmium interfecerit.

Dixit, & aduersi contra stetit ora iuuenci,
Qui donum adstabat pugnæ; durosq; reducta
Librauit dextra media inter cornua cæstus
Arduus, effractoq; illisit in ossa cerebro.
Sternitur exanimisq; tremens procumbit humi bos.

Deus bone! quis mortalium gloriari potest se pro Deo tanta aut talia fecisse? *Nondum vsque ad sanguinem restitistis*, ait Paulus. Sed quod præmium? quæ merces? Respondet Paulus: *Et illi quidem vt corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam.* Horum exercitiorum meminit Paulus; omnium quidem in generali, cùm ait: *Omnis qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet.* Tum enim nec bibendi censebant esse tempus, nec edendi; non procurabant opes; non indulgebant voluptatibus; omnia postponebant; hoc vnicum sibi proponebant, *Age quod agis.* In particulari verò Paulus non meminit saltus, nec disci ad metam proijciendi; expresè cursus meminit. *Nescitis*, inquit, *quòd ij qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed vnus accipit brauium? sic currite, vt comprehendatis.* Luctæ meminisse videtur nomine agonis & contentionis, cùm ait: *Omnis qui in agone contendit.* Exuebantur nudi, omnique veste abstinebant; ne teneri, vel deijci, aut prosterni possent. Sed cæstuum modum expressit euidenter, dicens: *Sic pugno, non quasi aërem verberans.* Summa enim ars atque industria athletarum erat, declinare ictum, vt cassus vel in terram caderet, aut aërem verberasse diceretur. Paulus hoc exercitium flagellationi corporis accommodat, & modum pugnandi nos docet, flagellum tamquam cæstum se apprehendisse asserit: sæuiebat, tamquam generosus athleta, non in alium, sed in proprium corpus; quod quia ictus diffugere non poterat, non verberabat aërem, sed egregiè tundebat corium suum. *Castigo*, inquit, *corpus meum, & in seruitutem redigo.*

Heb. 12. *1. Cor. 9.* *Ibidem.* *Ibidem.* *Ibidem.* *Ibidem.*

Quid ergo miseros illos pugiles accendebat, vt adeò dura suscipe-rent, exponentes se malis innumeris, ac euidenti vitæ periculo? Corona, lausque aliqua spectantium; & quidem corona corruptibilis: sed

vnicus accipiebat brauium, verbera quamplurimi multa & horrenda. Quod inſani homines pro vmbratili corona ac laude ſubibant, nos à diuina edocti ſapientia ſubeamus (Deo Agonotheta vidente) ad PERFECTIONEM conſequendam. Merces noſtra amplior ac nobilior

1. Cor. 12.

eſt. Ideo D. Paulus: *Æmulamini chariſmata meliora; & adhuc excellentiorem viam vobis demonſtro*. Quam? Caritatem. Quomodo viam, cùm PERFECTIONIS vinculum Caritatem eſſe velit? Eſt vtrumque, & vinculum PERFECTIONIS, & via excellentior; ſed de viæ PERFECTIONE agimus: viatores enim ſumus, &, quidquid agimus in

Caritatis via maximè ſublimis.

via, ambulantes agimus. Non eſt tamen via ſublimior, nec ſtatus (ſi ſtatus in via eſſe poſſit) cęlis vicinior, Caritate; quę demum in cælis, etſi

Eccli. 1.

cetera deſint, nos in Dei throno collocabit. Ideo Sapiens loquens de timore, qui ex riuo eodem, quo diuinus Amor, exoritur, *Timor Domini*, inquit, *gloria, & gloriatio, & lætitia, & corona exultationis*. En coronā quam Deus ſummus Agonotheta noſter promittit ijs qui PERFECTIONI aſſequendæ inſignem operam nauabunt. Idcirco, ô generoſe Chriſti

1. Cor. 9.

athleta, de Caritatis laudibus diſſero, ne curras in incertum, ne corpus tuum flagellando fruſtra agere videare, ſicut is qui aërem verberat; ſed ſcias quid in meta ſis inuenturus, quid conſecuturus, quid tecum in cælum deportaturus.

Caritas quid.
a *Lib. 3. de doctrina Chriſt. cap. 10. ſub fin.*
In Caritate Perfectionem conſtitui probatur.

17. Hanc *coronam exultationis, gloriam, & gloriationem*, ſeu PERFECTIONEM noſtram, arbitramur eſſe Caritatem; quam [a] D. Auguſtinus deſcribit *motum animi ad fruendum Deo propter ipſum, & ſe atque proximo propter Deum*. De hac virtute adeò illuſtria ac præclara diuinæ paginæ Patresque prædicant, tot rationibus illam extollunt, vt meritò in ea huius vitæ PERFECTIONEM eſſe conſtitutam nemo inficias ire audeat.

I. *Scriptura.*
b *Col. 3.*

Et primùm quidem, quòd virtutum ſit perfectiſſima, diuinæ litteræ conſtituunt. *Super omnia*, ait [b] Paulus, *Caritatem habete, quod eſt vinculum* PERFECTIONIS. Præfert etiam idem Apoſtolus Caritatem ſpei & fidei, quæ tamen Theologicæ virtutes ſunt; aſſerens ceteras virtutes nihil ſine Caritate prodeſſe. [c] Hinc [d] Diuus Cyprianus: *Caritas fraternitatis vinculum eſt, fundamentum pacis, tenacitas & firmitas vnitatis; quæ & ſpe & fide maior eſt*. [e] Diuus Irenæus *maximum* vocat *præceptum à Patre perfecto datum*. [f] Diuus Chryſoſtomus item, *Quid*, inquit, *Caritate ſublimius eſſe poterit, cùm ipſa Caritas Deus ſit? ſicut* [g] *Ioannes Apoſtolus loquitur, Deus Caritas eſt. vt, etiamſi quid comparaueris, parum ſit; ſi quid ſociaueris, minus; dum Caritas Deus eſt, cui comparabile nihil eſt. Inchoatur in mundo, perficitur in cælo; quæritur in ſæculo, inuenitur in regno. Hîc enim nec fides cœpta perficitur, nec ſpes propoſita conſummatur. Eſſe enim fidelem, Caritatis eſt bonum: ſperare quod promiſſum eſt,*

c 2. *Ex Patribus.*
d *Lib. de bono patient.*
e *Lib. 4. aduerſ. hæreſ. cap. 25.*
f *Serm. de Fide, Spe, & Carit. qui ſubiungitur hom. in epiſt. S. Pauli ad Cor. tom. 4.*
g *1. Ioan. 4.*
Sine Caritate ceteras virtutes non prodeſſe, ijs maiorē eſſe, & cum ea ceteras dari.

amare est Christum. Caritas enim est quæ & fidem adiuuat, & spem sibi sociat, & vtrãque secum Deo muneranti assignat. Sola est, inquã, quæ & fidem excitat, & spem longanimem reddit, & vtrique semet sociam exhibet & magistrã: cum ipsis ad Christum peruenit: ipsis tunc PERFECTIONE *cessantibus, sola in sanctis regna cælestia possidebit.* Denique Augustinus: *Apostolus Paulus, cùm contra opera carnis cõmendare vellet fructum Spiritus, à capite hoc posuit.*[a] *Fructus, inquit, Spiritus Caritas est. ac deinde cetera tamquam ex isto capite exorta & religata contexuit, quæ sunt gaudiũ, pax, longanimitas, benignitas, bonitas, fides, mansuetudo, continentia. Quis autem bene gaudet, qui bonum non diligit vnde gaudet? quis pacem veram nisi cum illo potest habere, quem veraciter diligit? quis est longanimis, in bono perseueranter manendo, nisi ferueat diligendo? quis est benignus, nisi diligat cui opitulatur? quis bonus, nisi diligendo efficiatur? quis salubriter fidelis, nisi ea fide quæ per Dilectionem operatur? quis vtiliter mansuetus, cui non Dilectio moderetur? quis ab eo continet vnde turpatur, nisi diligat vnde honestatur? Meritò itaque Magister bonus Dilectionem hîc sæpe commendat, tamquam sola percipienda sit; sine qua non possunt prodesse cetera bona, & quæ non potest haberi sine ceteris bonis, quibus homo efficitur bonus.* Hæc Augustinus.

In Euang. S. Ioannis tract. 87. in initio, tomo 9.

a *Gal. 5.*

Perfectissima ergo virtutũ[b] est Caritas, & sine ea (vt ait D. Thomas) ceteræ[c] esse non possunt.[d] Excellentissimo namque modo quo potest in hac vita Deum attingit: etenim sic Deum amat propter seipsum, sic eius honorem ac gloriam quærit, optatque vt ei bene sit, vt nihil admixtum proprij habeat commodi; vnde proximè ac purissimè nos Deo bono increato, vt in se consideratur, vnit atque agglutinat. Ex quo sequitur, spe perfectiorem esse, vtpote quæ Deum amet vt est hominis bonum, cum hoc nempe respectu, quòd hominis rationibus conducat. Præstantior etiam est fide, quæ Deum, vt est prima veritas, tantùm attingit, & id quidem obscurè. Non enim Deum cognoscit vt in seipso est, sed vt à nobis apprehendi potest per figuras & ænigmata; Caritas verò tendit in Deum quodammodo vt in seipso est, eiusque honorem, gloriam, & bonum super omnia procurat & promouet. Hæ tres virtutes Theologicæ vocantur, quòd eorum obiecta circa Deum versentur; ceterisque virtutibus, quæ vel ad eius cultum, vel ad cuiusque PERFECTIONEM, aut aliorum bonum communemque vtilitatẽ referuntur, dignitate præstent & antecellant. Quare cùm Caritas obiecti dignitate ac præstantia ceteris præferatur, in ea PERFECTIO, non in aliarum aliqua, reponenda videtur.

b *D. Thomas 1. 2. q. 66. a. 6.*

c *1. 2. q. 65. ar. 2. & 4.*

d *3.*

Rationibus 4.

Prima ratio principalis.

Caritatem ex obiecto esse virtutum perfectissimam.

18. Accedit, nihil esse inter dona cælestia, quæ mortalibus concessa sunt diuinitus, quod ad naturã Dei propiùs accedat, quàm gratia, quæ naturæ diuinæ quædã participatio est. Nihilominus Caritas nobilior gratia est, ac præstantior; est enim actus ipsius gratiæ, eiusque finis &

Secunda ratio principalis.

PER-

PERFECTIO. Hinc Doctores tradunt, Caritatem, qua Deum formaliter diligimus, esse quandam participationem diuinę Caritatis, quæ Deus est: &, Caritatem nos facere Deiformes; supra hominem conuersari in cælis, & conuenire cum Deo & Angelis. Quidquid verò di-
a *Durandus in 2. Sent. dist. 27.* uinæ litteræ ac Patres gratiæ habituali tribuunt, tribuunt ijdem & Cari-
b *Alex. de Ales* tati: vnde concludunt [a] nonnulli, gratiam & Caritatem aut solo no-
in Sum. Theol. mine distingui; aut, [b] si differentia sit, eam realem non esse, sed tantùm
p. 3. q. 69. memb. formalem. Censent denique alij, nec realiter nec formaliter, sed sola
2. a. 4. & alij. ratione distingui.

Gratiæ & Caritatis collatio. Gratia nos Deo gratos efficit; efficit & Caritas. [c] *Ego*, inquit Sapien-
1. tia, *diligentes me diligo*. &: [d] *Qui diligit me, diligetur à Patre meo*.

c *Prou. 8.*
d *Ioan. 14.*

[e] Gratia à peccato iustificamur; iustificatio quoque Caritati adscribi-
e 2. tur. [f] *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm*, ait Christus.
f *Luc. 7.* & [g] Concilium Tridentinum formalem causam iustificationis Caritati
g *Sess. 6. cap. 7.* mentibus nostris infusæ acceptam refert.

3. Gratia vocatur animę vita, vti peccatum mors eiusdem; de Caritate
1. Ioan. 3. sic scribit D. Ioannes: *Qui non diligit, manet in morte*. &: *Scimus quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres*. Gratia nos in
1. Ioan. 4. Dei filios regeneramur & adoptamur: idem efficit Caritas; nam *omnis qui diligit, ex Deo natus est*.

4. Gratia nos à peccato præseruat, & inter Dei ac diaboli filios discernit: præseruat quoque ac discernit Caritas; nam *omnis qui natus est ex*
1. Ioan. 3. *Deo*, (ait Ioannes) *peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet; & non potest peccare, quoniam ex Deo natus est. In hoc manifesti sunt filij Dei, &*
Super canon. epist. S. Ioan. hom. 7. tom. 9. *filij diaboli*. Hinc D. Augustinus: *Qui non diligunt Deum, alieni sunt, Antichristi sunt; & quamuis intrent Basilicas, non possunt numerari inter filios Dei, quia non pertinet ad illos fons ille vitæ. Habere baptismum & malus potest; accipere Sacramenta corporis & sanguinis Domini & malus potest; habere nomen Christi, & vocari Christianus, & malus potest; habere autem Caritatem & malus esse non potest*.

5. Gratia donũ illud est, per quod Spiritus sanctus in nobis habitat: at
Rom. 5. *Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritũ sanctum, qui datus est nobis*.

6. Gratia fons est & radix omnium virtutum; est & Caritas, Apostolo
Rom. 13. teste. *Plenitudo*, ait, *Legis est Dilectio*.

7. Gratia in extremo iudicio filios regni à filijs damnationis separabit; nullus enim cum gratia perit, nullus sine gratia saluatur: at Iacobus
Iacob. 1. Apostolus statuit coronã vitæ repromissam esse diligentibus Deum; ac
Lib. 15. de Trin. cap. 18. tom. 3. D. Augustinus, *Sola*, inquit, *Caritas diuidit inter filios regni, & filios perditionis æternæ*.

8. Gratia donum Dei omnium est maximum: at Apostolus anteponit
1. Cor. 13. Caritatem omnibus alijs donis; & monet nos vt super omnia Caritatem

tatem habeamus, *quod est vinculum* PERFECTIONIS. Hinc Diuus *Col. 3.*
Augustinus: *Nullum est isto Dei dono excellentius.* & paulo post: *Dantur* *Lib 15. de*
& alia per Spiritum sanctum munera, sed sine Caritate nihil prosunt. & alibi: *Trin. cap. 18. tom. 3.*
Adde Caritatem, prosunt omnia; detrahe Caritatem, nihil prosunt cetera. *De Verbis Do-*
Quale bonum est Caritas ista, fratres! Quid pretiosius? quid luminosius? quid *mini ser. 50. c.*
firmius? quid vtilius? quid securius? & alibi: *Quisquis habet Caritatem, vt* *2. & 3.* *In Psal. 149.*
quid illum mittimus longè vt videat Deum? Conscientiam suam attendat: si *paulo post ini-*
ibi Caritas habitat, Deus ibi habitat. Vult illum fortè videre sedentem in cælo: *tium.*
habeat Caritatem, & in eo habitat sicut in cælo. Quod incredibili verbo-
rum pondere idem D. Augustinus exaggerat diuersis locis, & maximè
in quadam epistola. *Caritas in omnibus Dei donis,* inquit, *ita excellit, vt* *Epist. 143. ad*
etiam Deus dicta sit. Explicans autem verba D. Ioannis iam citata, *Deus* *Iulian, tom. 2.* *1. Ioan. 4.*
Caritas est, addit: *Quid amplius dici potuit, fratres? si nihil omnino disceremus* *In epist. can. S.*
per ceteras paginas Scripturarum, & solum hoc vnum audiremus de voce Spiri- *Ioan. tract. 7.*
tus Dei, quia Deus Caritas est, nihil amplius quærere deberemus. Et post mul-
ta: *Nescio vtrùm magnificentiùs nobis Caritas commendari possit, quàm vt di-* *Ibidem tract. 9.*
ceretur, Deus Caritas est. Breuis laus, & magna laus; breuis in sermone, &
magna in intellectu. Quàm citò dicitur, Deus Dilectio est! Et hoc breue est: si
numeres, vnum est; si appendas, quantum est! Deus dilectio est. Et qui manet
in Caritate, in Deo manet, & Deus in illo manet. Sit tibi domus Deus, & esto
domus Dei: mane in Deo, vt maneat in te Deus. Manet in te Deus vt te con-
tineat, maneas in Deo ne cadas; quia sic de Caritate dicit Apostolus, Caritas *1. Cor. 13.*
numquam cadit. Hæc Augustinus.

Gratia nihil maius efficere potest, quàm vt hominem Deo coniun- 9.
gat arctissimè: coniungit & Caritas; vnde D. Paulus, qui dixit, *Quis* *Rom. 8.*
nos separabit à Caritate Christi? dicit etiam, *Qui adhæret Domino,* nempe *1. Cor. 6.*
per Caritatem, *vnus spiritus est* cum eo. Hoc latissimè explicat, sed ad
viuum, D. Bernardus. *Iam verò,* ait, *animæ reditus est conuersio eius ad* *Serm. 83. in*
Verbum; reformandæ per ipsum, conformandæ ipsi. In quo? In Caritate. Ait *Cant. circa me-*
etiam: Estote imitatores Dei, sicut filij carissimi, & ambulate in Dilectione, sicut *dium.* *Ephes. 5.*
& Christus dilexit vos. Talis conformitas maritat animam Verbo, cùm, cui vi-
delicet est similis per naturam, similem nihilominus ipsa se exhibeat per volun-
tatem, diligens sicut dilecta est. Ergo, si perfectè diligit, nupsit. Quid hac con-
formitate iucundius? quid optabilius Caritate? qua fit, vt, humano magisterio
non contenta, per temet, ô anima, fiducialiter accedens ad Verbum, Verbo con-
stanter inhæreas, & Verbum familiariter percuncteris, consultesque de omni re;
quantum intellectu capax, tantum audax desiderio. Verè spiritualis sanctique
connubij contractus est iste. Parum dixi, contractus; complexus est: complexus
verè, vbi idem velle, idem nolle, vnum facit spiritum de duobus. Hæc Diuus
Bernardus.

19. Gratia amicitiam cum Deo conciliat: at numquid legimus, *Vos* 10.

 amici *Ioan. 15.*

Sap. 7. *amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis? Infinitus*, ait Salomon, *est thesaurus sapientiæ*; (hæc tamquam lucifer præsentem Caritatem denuntiat, à qua lumen suum accipit) *quo qui vsi sunt, participes facti sunt amicitiæ Dei*. Talem sponsa in Canticis vocat Dominum, cùm ait: *Talis est dilectus meus, & ipse est amicus meus, filiæ Ierusalem*. Hanc ob causam Propheta Regius in spiritu Apostolos vocauit amicos. *Nimis*, ait, *honorificati sunt amici tui, Deus*. quod & Christus postmodum verbo confirmauit. *Iam non dicam vos seruos*, inquit; *vos autem dixi amicos*. Passim anima sponsa vocatur; alijsque nominibus, quibus amicitia arctissima includitur, vt filiorum, fratrum, domesticorum, sociorum Dei. In quo sensu Concilium Tridentinum iustos vocat simpliciter Dei amicos. Amicitia namque amicorum, est mutua beneuolentia in bonorum quadam communicatione.

Amicitia inter Deum & homines. Cant. 5. Psal. 138. Ioan. 15. Sess. 6. cap. 10.

Et hæc inter Deum & homines reperitur: nam Deus fluenta gratiæ suæ ac seipsum diuersis modis homini communicat, & vicissim homo in Dei bonum & obsequium, quidquid accepit, refundit ac retribuit; in quo amicitiæ natura consistit.

Lib. 3. Offic. cap. 16. in fine. *Amicitia condiciones.*

20. Quin & D. Ambrosius testis est, cõdiciones amicitię inter Deum & hominẽ reperiri: quarum [a] vna est, ex duobus vnum efficere, & quasi in duobus corporibus vnicam animam collocare. Hinc amicus dimidiũ animæ dicitur; quod [b] D. Augustinus de Nebridij amicissimi amissione scribit pijssimè. *Mirabar*, inquit, *ceteros mortales viuere; quia ille, quem quasi non moriturum dilexeram, mortuus erat: & me magis, quia ille alter eram, viuere illo mortuo mirabar. Bene quidam dixit de amico suo, Dimidium animæ meæ. nam ego sensi animam meam & illius vnam fuisse animam in duobus corporibus: & ideo mihi horrori erat vita, quia nolebam dimidiũ viuere; & ideo fortè mori metuebam, ne totus ille moreretur, quem multùm amaueram*. Hæc ille; ex quo vis amoris vnitiua elucet: rapit enim amor cogitationẽ, rapit & affectum; quid demũ superest? sed de hoc in Priuilegijs Caritatis.

a 1. *Ex duobus vnũ facere.* b Lib. 4. Confess. cap. 6.

2. *Amicitiæ condicio, mutua beneuolentia indicia.*

21. Altera condicio est, quòd inter amicos mutua beneuolentia intercedere, eaque officijs varijs internæ amicitiæ testibus constare, foueri, augerique debeat; & amor ipse exteriùs vltro citroque intimæ necessitudinis quasdam scintillas exerat, & voluntatis propensæ semina diffundat: alioquin multæ suspiciones, quæ inter amantes se facilè oriuntur, haud rarò prosilirent, amicitiamque dissoluerent; quis enim eum amauerit, à quo vtrùm & quemadmodum ametur dubitet? hinc Aristoteles apertos debere esse ac cognitos asserit amantium animos; vt se & amari, & vicissim amare, vtrique testatum sit. quod & in Dei hominumque Caritate vsu venire constat: quis enim de Dei in nos beneuolentia queat dubitare, cùm eius misericordia plena sit terra? *qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo*. Et certè, si Deum dili-

Lib. 8. Ethic. c. 2. in fine. Psal. 32. Apoc. 1.

diligimus, certi sumus nos ab eo diligi: nam & Amor iste Amoris in nos diuini fructus est. Sacræ demum litteræ nos bene sperare iubent. *Si cor nostrum non reprehenderit nos,* (ait Ioannes) *fiduciam habemus ad* 1. Ioan. 3. *Deum; & quidquid petierimus, accipiemus ab eo: quoniam mandata eius custodimus, & ea, quæ sunt placita coram eo, facimus.* Accedit hanc esse amici vocem: *Ego diligentes me diligo.* &: *Qui diligit me, diligetur à Patre meo;* Prou. 8. *& ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum.* Deus etiam sat scit an ipsum Ioan. 14. diligamus, cui arcana animorum nostrorum notissima sunt.

Id tantùm in nobis forsan dubitationis vmbrã mouere potest; quòd, an Deum verè diligamus, certi esse non possimus: *nescit* etenim *homo* Eccle. 9. *vtrùm Amore an odio dignus sit.*

Multa nihilominus indicia sunt, quibus Dei Caritas & beneuolen- *Amicitiæ diuinæ in nos indicia.*
tia nobis innotescit: illud in primis, pro virili eam diligentiam adhi-
buisse *Sacramentis* obeundis, quæ iudicio Confessarij prudentis sufficit: 1.
firma deinde voluntate *peccatum detestari*; malle etiam tormenta omnia 2.
mundi subire, quàm Dei amicitiam perdere. *Testimonium* quoque 3.
conscientiæ maximum ad id momentum habet: sicut & *visitationes cælitus* 4.
emissæ; ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro quòd sumus filij Rom. 8.
Dei: studium orationis ac familiaritatis cum Deo in spiritualibus exerci- 5.
tijs: *mortificationis* domandarumque passionum inexplebilis fames: 6.
odium sui non vulgare: *desiderium ingens videndi Christum* amantissimum 7. 8.
Dominum: *zelus ardens* persequendorum vitiorum ac peccatorum, 9.
tum in se primùm, tum & in alijs: PERFECTIONIS *assequendæ stu-* 10.
dium inextinguibile: *Amor Christi tenerrimus* & insatiabilis: Deumque 11.
honorãdi atque eius *gloriam promouendi ardor* ac cura singularis: *martyrij* 12.
subeundi, multaque pro nominis diuini illustratione patiendi, eximia 13.
propensio ac cupiditas. In vulgaribus item [a] *timor* peccandi filialis: fre- *Alia indicia*
quentatio vsusque [b] *Sacramentorum* continuus iuxtà & religiosus, cum *conscientiæ*
desiderio profectus spiritualis: magna ac [c] *frequens cum Deo communicatio* *mundæ, Deóque grata.*
in oratione: experientia [d] *prouidentiæ diuinæ* prolixa super nos, cùm in a 1.
prosperis tum in aduersis rebus: longo tẽpore letali [e] *peccato caruisse*: lu- b 2.
benter animũ suum spirituali [f] *directori manifestare*, ne quid lateat quod c 3.
oculos diuinæ Maiestatis offendat: longissimè abesse à [g] *proprio iudicio &* d 4.
voluntate: Amor singularis erga [h] *res diuinas*, Ecclesiastica mysteria, Dei e 5.
verbum ac conciones. Hæc sanè moraliter certos faciunt, nos à Deo f 6.
diligi, & vicissim nos Deum diligere: quamuis infallibiliter nemo sciat g 7.
[i] *vtrùm Amore an odio dignus sit*; ea enim condicio amicitię viatorum est, h 8.
vt, quia cognitio obscura est, etiam Amor sua formidine non careat. i Eccle. 9.
Sed quis amicorum in humana amicitia certus est de alterius beneuolentia? cùm natura se quærat in omnibus, & pauci sint qui intus ij sint, quos exteriùs sese produnt. Ecquis deinde hominum, corda aliorum

 intueri

intueri potest? quid ergo mirum si in diuina, cùm ne in humana quidem amicitiâ certi simus de mutua beneuolentia, qui & de nostra ipsorum erga alios nonnumquam ipsi certi esse non possimus, & dubitandi secretas occasiones habeamus?

3. Amicitiæ condicio. Amici pauci deligantur.

Vult etiam Aristoteles, (quæ tertia amicitiæ condicio est) legem amicitiæ esse, vt ea ad paucos deriuetur, &, si fieri potest, singularis sit. Hoc & Caritas præscribit, & ex parte nostra magnam non habet difficultatem, qui omnem nostrum Amorem in vnum Deum transfundimus; &, si quid diligamus, illud in ipso ac propter ipsum diligimus. nec etiam in Deo (cuius Amor infinitus est) difficultas potest inueniri: etsi enim omnes diligat, nihil decedit alteri, quod vni vel pluribus elargitur; nec in eo id locum habet, *Pluribus intentus minor est ad singula sensus*, quia infinitæ intelligentiæ est, & in eo infinita sunt omnia.

4. Amicitiæ condicio, æqualitas inter amicos.

22. Æqualitas in amicitia, quarta condicio est, eamque desiderat Aristoteles. Certè nonnulla esse debet, etsi non deceat nimis exiguè & exiliter ad calculos omnes amicitiæ condiciones vocare. Nihil tamen obest, nec decoro amicitiæ refragatur, si inferior dignitate cum superiore amicitiam conglutinet: quod eleganter Lęlius apud Ciceronem amicitiæ cultoribus præscribit. *Sed maximum est in amicitia*, inquit, *superiorem parem esse inferiori: sæpe enim excellentiæ quædam sunt, qualis erat Scipionis in nostro (vt ita dicam) grege. Numquam se ille Philo, numquam Rutilio, numquam Mummio antepofuit, numquā inferioris ordinis amicis. Quintum verò Maximum fratrem, egregium virum, omnino sibi nequaquam parem, quòd is anteibat ætate, tamquam superiorem colebat, suosq́ omnes per se esse posse ampliores volebat. Quod faciendum imitandumq́ est omnibus: vt, si quam præstantiam virtutis, ingenij, fortunæ consecuti sint, impertiant eam suis, communicentq́ cum proximis: vt, si parentibus nati sint humilibus, si propinquos habeant imbecilliores, vel animo, vel fortuna, eorum augeant opes, eisq́ honori sint & dignitati. Vt igitur ij qui sunt in amicitiæ cōiunctionisq́ necessitudine superiores, se æquare cum inferioribus debēt: sic inferiores dolere non debent se à suis amicis aut ingenio, aut fortuna, aut dignitate superari.* Hæc ille.

Lib. de Amicitia.

Nolim in amicitiæ personis tantum esse discrimen, vt mancipium Regis amicum esse vocandum putem: nisi Rex ipse seruo, qui multis erga Regiam maiestatē officijs fidem, ingenij præstantiam, virtutemq́; suam abundè probauit, singulari gratia manumisso, nobilitatis insignia, opes, dignitatesque conferat, aut etiam in filium adoptet. Quod non rarò accidisse historiæ testantur. Sicut nihil vetat, quin Princeps aliquis ignobilem puellam in focariam primùm, deinde in pedisequam suæ matris, denique nobilitatam, & dignitatibus auctam ac ornatam, etiam in sponsam associet. Impares sumus, & inæquales, si naturam nostram peccato inquinatam & seruituti mancipatam spectemus;

lon-

longeque maior est inæqualitas vt cum Deo amicitiam contrahamus, quàm mancipij cum Rege: verùm *an oculus tuus nequam est, quia ille bonus est?* *Matth. 20.* quos vult, nobiles facit, dignitate præstantes, & sanctitate illustres, immensa eius bonitate nostræ disproportionis & inæqualitatis defectus supplente. Quid si ergo nobilitatos cælesti gratia, si ditissimis celestium donorum ornamentis inclytos, ad regni sui cõmunionem, ad filij adoptiui decora, hereditatis portionem, vel etiam in sponsam adscribat? quis contradicet ei? vnde D. Bernardus cùm dixisset, *Nec verendum ne disparitas personarum claudicare in aliquo faciat conuenientiam voluntatum, quia Amor reuerentiam nescit; ab amando quippe Amor, non ab honorando, denominatur: honoret sanè qui horret, qui stupet, qui metuit, qui miratur; vacant hæc omnia penes amantem: Amor sibi abundat; Amor, vbi venerit, ceteros omnes in se traducit & captiuat affectus; propterea quæ amat, amat, & aliud nouit nihil;* *Serm. 83. in Cant. post initium.* adiungit paulo pòst: *Adde quòd iste sponsus non modò amans, sed Amor est. numquid honor? contendat quis esse; ego non legi, legi autem quia Deus Caritas est; & non quia honor est, aut dignitas, legi: non quia honorem non vult Deus, qui ait, Si ego pater, vbi est honor meus? Verùm id pater; sed si sponsum exhibeat, puto quia mutabit vocem, & dicet, Si ego sponsus, vbi est Amor meus?* *1. Ioan. 4.* *Mal. 1.* Hæc & plura Bernardus in hanc sententiam.

Est namque Deus, & Dominus, & pater; sed nos quoque & fratres, & sorores, & matres esse voluit: hi enimuero ad amicitias contrahendas idonei sunt. Hinc Diuus Hieronymus: *Amicitia parum accipit aut facit.* *In cap. 7. Michaæ, super verba, Nolite credere in amicos.*

Adde quòd admodum inæquales esse possint æquales, si, qui superior est, se demittat, & inferiorem attollat. Demisit se summus & immensus Deus; & *propter nos egenus factus est, cùm esset diues.* *2. Cor. 8.* Dominus omnium, se seruum fecit: *qui in forma Dei*, Deoque æqualis, *obediens factus est vsque ad mortem, mortem autem crucis:* *Phil. 2.* qui optimus, & ab omni peccati labe immunis, *cum sceleratis reputatus est.* *Isaia 53. & Luc. 22.* Quid? se *a* *vermem & non hominem* esse asserit, *opprobrium hominum, & abiectionem plebis.* *a Psal. 21.* Si mundi sapientes requiras, hi non modò talem Deum nobis dicent superiorem non esse, sed multis mortalibus inferiorem, nihilque ad æqualitatem desiderari. In hoc rerum statu se constituit, vt mendicam naturam nostram, peccatorum cœno contaminatam, *lauacro aquæ in verbo vitæ mundans sanctificaret, sibiq; gloriosam exhiberet; non habentem maculam aut rugam,* *Ephes. 5.* dignam quæ in sponsam deligatur. En verba sponsi mendicam inuitantis: *Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliuiscere populum tuum, & domum patris tui, & concupiscet Rex decorem tuum.* *Psal. 44.* Audiuit: quid secutum est? ornata est mendica in modum filiæ Regis. *Omnis*, inquit *Ibidem.* Propheta, *gloria eius filiæ Regis ab intus, in fimbrijs aureis circumamicta varietatibus.* At decet vt habeat Regium comitatum. *Adducentur Regi*

virgines post eam, proximæ eius adferentur tibi: adferentur in lætitia & exsultatione, adducentur in templum Regis. Sed quid de nuptijs & mendicæ coronatione? de Reginæ inauguratione? quid de lætitia ac vestibus nuptialibus? Sic mendica hæc, & focaria, sibi apud Isaiam gratulatur: *Gaudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo meo; quia induit me vestimentis salutis, & indumento iustitiæ circumdedit me, quasi sponsum decoratum corona, & quasi sponsam ornatam monilibus suis.*

Isaia 61.

23. Quinta amicitię condicio est, voluntatum & iudiciorum conformitas: vult enim amicus, & æquum reputat, quod amicus sapiens æquum bonumque iudicat ac vult. hoc quoque conforme est legi Caritatis, singulari Dei & hominis amicitiæ. *Voluntatem* ipse *timentium se faciet, & deprecationem eorum exaudiet,* denique *saluos faciet eos:* & nos vicissim Caritate incitati conformamus nos voluntati diuinæ, quotidieque dicimus, *Fiat voluntas tua, sicut in cælo & in terra.*

5. Amicitiæ condicio, voluntatum conformitas.
Psal. 144.
Matth. 6.

Accedit sexta condicio, communicatio nempe consiliorum ac secretorum, quæ etiam inter Deum & homines mutua Caritate deuinctos reperitur. Dei hæc verba sunt ad Abraham, qui amicus Dei appellatus est. *Num celare potero Abraham quæ gesturus sum?* & Christus ad amantissimos discipulos: *Omnia quæcumque audiui à Patre meo, nota feci vobis.* Videt quidem ipse cordium nostrorum arcana, decet tamen vt & nos sponte illi patefaciamus, & animam nostram in conspectu eius effundamus. Id monet Rex sanctus. *Effundite,* ait, *coram illo corda vestra: Deus adiutor noster in æternum.* Hoc enim amicitia requirit, vt infirmior ad potentiorem recurrat, opem auxiliumque postulaturus & accepturus, & vicissim pro nouo beneficio beneuolentiam aucturus, animique gratitudinem.

6. Amicitiæ condicio, communicatio consiliorum.
Gen. 18.
Ioan. 15.
Psal. 61.

Septima condicio amicorum in bonorum communicatione consistit: amicorum enim omnia sunt communia. Quòd si humana id præstat amicitia, omnium maximè Caritas. Deus in primis officio amici numquam deest, &, quidquid habet, communicat. *Omnia vestra sunt,* ait Apostolus: *tamquam nihil habentes, & omnia possidentes.* Cælum, elementa, creaturasque omnes sensibiles, insensibiles, iumenta, & animalia omnia in vtilitatem nostram condidit Deus, Angelos custodiæ nostræ deputauit, tamquam *administratorios spiritus, in ministerium missos propter eos qui hereditatem capient salutis.* Denique *sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret: vt omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Spiritum quoque suum effudit in nos abunde, vt naturæ suæ participes efficeret, *vt adoptionem filiorum reciperemus. Videte* (ait Ioannes) *qualem Caritatem dedit nobis Pater, vt filij Dei nominemur & simus.* Quam sui communicationem ex parte Dei D. Thomas paucis his verbis comprehendit:

7. Amicitiæ condicio, bonorum communicatio.
1. Cor. 3.
2. Cor. 6.
Psal. 90.
Hebr. 1.
Ioan. 3.
Gal. 4.
1. Ioan. 3.
In Laudibus Officij de Venerab. Sacramento.

Se

Se nascens dedit socium,
Conuescens in edulium,
Se moriens in pretium,
Se regnans dat in præmium.

Quòd si adeò profusè dilectissimum Filium suum nobis largitus est Pater, & (vt ait Paulus) etiam *proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit?* Rom. 8.

Ex parte nostra omnia quoque in Dei obsequium Caritatis lege profundimus: & maximè Religiosi, qui voto paupertatis Deo bona omnia temporalia largiuntur, vel eius amore sese ijs abdicant, habendi etiam potestatem exuentes; voto castitatis corpus Deo consecrãt; animam, intellectũ, & voluntatem obedientiæ vinculo adstringunt, parati vitam, omniaque sua, in Dei gloriam & amorem profundere, non semel, sed omni hora, die, & momento, dicentes: *Quoniam propter te mortificamur tota die, æstimati sumus sicut oues occisionis.* & cum Apostolo: *Quis nos separabit à Caritate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? Neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à Caritate Dei, quæ est in Christo* IESV *Domino nostro.* Psal. 43. Rom. 8.

Amicorum octaua condicio est, commodis proprijs minimè insistere, sed amici. Hoc Caritas facit, ac in primis Domini nostri IESV; qui, [a] cùm inimici essemus, recõciliauit nos Deo: quanto magis amicos conciliabit! [b] *Descendi de cælo,* ait, *non vt facerem voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me.* item: [c] *Meus cibus est, vt faciam voluntatem eius qui misit me.* & voluntas Patris erat, vt nullum ex ijs, quos ei dederat, perderet, sed resuscitaret in nouissimo die. Omnes ergo laborum suorum fructus ad nostram vtilitatem retulit.

8. Amicitiæ condicio, non suis, sed amici rationibus insistere.
a Rom. 5.
b Ioan. 6.
c Ioan. 4.

Et quamuis Deus omne bonũ nostrum nosque ipsos ad gloriam suam referat, id nihil de iure amicitiæ detrahit; sicut nec cùm duo amici officia mutua ad honorem sui Principis referunt, aut ad Deum honorandum. Hoc enim amicitia nostra ac ratio honesta postulat, vt cuique suum tribuatur, iurisque cuiusque ratio sedulò habeatur: non enim tantùm amici personam Deus sustinet; sed talis amici, qui etiam finis vltimus hominis sit. Adde quòd in diuinæ gloriæ exaltatione ac procuratione non modò Dei, sed & amicorum eius vtilitas ac gloria procuratur ac promouetur, vt eleganter docet D. Augustinus. Lib. 1. de doctrina Christ. cap. 31. & 32.

Quare, si amici Dei esse velimus, non quæ nostra, sed quæ IESV Christi sunt, quæque eius gloriam spectant, quærere ac promouere, officij nostri intelligamus: vt nobis ampliùs non viuamus, sed amico; sicut ait Apostolus: *Caritas Christi vrget nos: quoniam pro omnibus mortuus* 2. Cor. 5.

est Christus; vt & qui viuunt, iam non sibi viuant, sed ei qui pro ipsis mortuus est & resurrexit. & alibi: *Nos stulti propter Christum, vos autem prudentes in Christo; nos infirmi, vos autem fortes; vos nobiles, nos autem ignobiles. Vsque in hanc horam & esurimus, & sitimus, & nudi sumus, & colaphis cædimur, & instabiles sumus, & laboramus operantes manibus nostris; maledicimur, & benedicimus,* &c. & alibi: *Cùm liber essem ex omnibus, omnium me seruum feci.* Itaque, sicut docuerat Paulus Caritatem non quærere quæ sua sunt, ita facto ipso exprimere voluit.

1. Cor. 4.

1. Cor. 9.

1. Cor. 13.

9. Amicitiæ cōdicio, mutua confidentia.

Amicorum confidentiam, vltimam ponemus ex condicionibus amicitiæ: vt nimirum securitatem vnus alteri præstet. Hoc vtique facit Caritas: nam omnes spem nostram conijcimus in Deum, *quoniam ipsi cura est de nobis:* nec veri Dei amici anxio timore premuntur, quasi reprobandi sint; imò, quoniam *confidunt in Domino*, erunt immobiles *sicut mons Sion: non commouebitur in æternum, qui habitat in Ierusalem. Montes in circuitu eius, & Dominus in circuitu populi sui, ex hoc nunc & vsque in sæculum.* Deus etiam securitatem magnam ostendit, cùm gratiam suam in arrham & præmium incōparabile, imò seipsum cōcedit animis nostris, omnesque gratiarum suarum thesauros homini committit, mysteria maxima, ac eorum dispensationem, filiosque, quos amat impensè, regendos tradit; vnde D. Paulus ait: *Sic nos existimet homo, vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei. Hîc iam quæritur inter dispensatores, vt fidelis quis inueniatur.*

1. Petri 5.

Psal. 124.

1. Cor. 4.

CAPVT XXXII.

Caritatem esse beatitudinem, ac proinde PERFECTIONEM: *quod itidem allatis octo eiusdem insignibus ac titulis probatur.*

Tertia ratio principalis, qua probatur Caritatem esse Perfectionem.

24. HACTENVS Caritatē contulimus cum gratia; cui, vt vidimus, nihil concedit Caritas vel dignitatis, vel PERFECTIONIS: cumque nihil ad diuinę naturæ participationē ac vnionem adducat fortiùs, propiùs adiungat, nos denique Deo præ ceteris donis cælestibus arctiùs deuinciat, in ea PERFECTIO reponenda est; &, si lubet, etiam ea beatitudo, quam in hac peregrinatione consequi possumus, collocanda.

Caritatem esse beatitudinem viæ.

Ea namque PERFECTIONIS nomen meretur virtus, quæ nos
1. in hac vita, quatenus liceat, beatos efficit. Sicut enim in patria PERFECTIONIS titulis meritò ornanda est illa operatio, quæ, vt omnium perfectissima, nos perfectissimè Deo, bono increato, adiungit ac con-

conglutinat indissolubili nexu, quæque fons & radix est omnium bo-
norum, quibus anima deinde exuberat ac circumfluit, quæ nos deni-
que beatos facit: sic & in via eam virtutem atque operationem PER-
FECTIONIS prærogatiua ornandam putamus, quæ & perfectissima
sit, nosque firmissimo nexu increato bono adstringat, ex quo omnia
gratiarum fluenta promanent, &, quantũ ratio viæ patitur, nos efficiat
beatos. Eam verò virtutem Caritatem esse arbitramur: eius enim ope-
ratio perfectissima est; quia perfectissimo modo tendit in Deum, quod *D. Thom. 1. 2.*
viatoris proprium est. Et licet spes & fides in Deum tendant, non ea *q. 66. a. 6.*
tamen excellentia; vnde D. Paulus dixit, *Maior autem horum est Caritas*: *1. Cor. 13.*
ideoque meritò beatitudo viæ appellanda; nam beatitudo, in quocum-
que spectetur statu, debet esse status illius perfectissima operatio. Illa
est, inquit D. Paulus, *maior horum Caritas*. Hinc D. Augustinus: *Deus* *Lib. 83. Quæst.*
igitur, & animus quo amatur, Caritas propriè dicitur purgatissima & consum- *q. 36. tom. 4.*
mata, si nihil aliud amatur. Hæc Augustinus.

Accedit, maximam PERFECTIONEM hominis in hac vita esse, 2.
perfectè munus obire viatoris ad cælestem patriam contendentis: is
enim est finis noster, dum in hoc viuimus statu. Hoc verò munus non
consistit in consecutione, apprehensione, ac possessione summi boni,
sed in cõtentione, cursu, ac conatu; in accessione & appropinquatione
ad illud infinitum bonum, tamquam vltimum terminum. Hoc verò
munus exercet Caritas, & nos ad cursum incitat, & ad Deum perfectis-
simè tendere atque adspirare cõpellit. Eius enim functiones tendunt
in Deum, vt est in seipso immensus, infinitus, summeque bonus, & sub
excellentissima ac purissima ratione; nempe propter ipsum purissimè,
& sine respectu vllo priuati commodi.

25. Beatitudinem quoque meritò vocarim Caritatem, quòd ei bea- 3.
titudinis effectus optimè quadrent; vnit enim animos nostros summo *Beatitudinis fructus.*
bono, quatenus condicio mortalitatis nostræ permittit: ita enim Chri- 1.
stus Patrem rogat vt simus cum illo vnum, sicut ipse & Pater vnum *Ioan. 17.*
sunt; quod per Caritatem efficitur. Ex ea quoque, tamquam fonte, 2.
omnia deinde bona profluunt, virtutes, diuina protectio, visitationes
cælestes, cõmunicatio bonorum cum beatis, cum omnibus qui Deum
timent. quod de seipso Vates Regius testatur: *Particeps ego sum omnium* *Psal. 118.*
timentium te. Adde quòd omnes hominis operationes viuificet, & in 3.
Deum dirigat: & sicut beati Deum tamquam finem vltimum contem-
plantur, sic & Caritas finem sese ceteris virtutibus ac præceptis exhi-
bet. Denique eius operationem perfectam maxima sequitur delecta- 4.
tio, quæ huius beatitudinis decor ac fructus est; quod Apostolus his
verbis indicat: *Fructus autem Spiritus est Caritas, gaudium, pax, patientia*. *Gal. 5.*
sed de his latiùs in titulis Caritatis, quos iam aggredior, hisque subijcio.

Quarta ratio principalis. Insignia Caritatis seu tituli.

I. Esse viæ beatitudinem.

a Chrys. lib. de incomprehensibili Dei natura, hom. 1. in princ. tomo 5.

b Serm. de Fide, Spe, & Carit. tomo 4.

c In tract. Centum cap. de doctr. varia, & de humil. comparanda, c. 90.

Primùm ergo inter insignia, decora, ac ornamenta Caritatis beatitudinem collocamus, quòd ea in se omnes prærogatiuas ac titulos contineat: nam *beatitudo est status omnium bonorum aggregatione perfectus*. Hinc Chrysostomus a vocat Caritatẽ *bonorum omnium radicem & fontem & parentem*. item: b *Sola*, ait, *Caritas æterna est, quia cum Deo in sanctis est, & ideo maior est. Denique nullum charisma sine Caritate perfectum est, nullum donum sine Dilectione aptum. Omnia quæ Spiritus sanctus deuotis impertit, aut Caritate perficiuntur, aut sine Caritate effectum nullum sortiuntur. Denique ipsum martyrium sine Caritate impleri non potest, licet sine martyrio Caritas sola perfecta sit*. At D. Ephræm c solus pro omnibus hanc veritatem explicet. *Serua*, ait, *Caritatem vt pupillam oculorum. Lux & vita in ea sunt: serua eam. Gaudium est omnibus adhærentibus ei; diuina est possessio, Angelicaq; dignitas: tene eam. Si dilexeris eam, renouabitur vt aquilæ iuuentus tua: si seruaueris eam, erit tibi exultatio coram Angelis Dei. Si eam dilexeris, prosperaberis in cunctis operibus tuis: si dilexeris eam, inhabitabit in te gratia Dei, eritq; gratia instar fontis distillantis medicamenta hominibus, bonusq; odor eius cor tuum exhilarabit. Columna hæc est omnium virtutum; nullus in ea reperitur dolor mortis; iustitiam & fortitudinem, patientiam & pacem edocet; domus Dei est: eam serua*. Hæc Ephræm. quæ omnia beatitudinis sunt proprietates, quas hi sancti Caritati attribuunt.

2. Titulus, Esse finẽ omniũ. 1. Legis. Matth. 22.

d In Enchirid. c. 121. tom. 3.

e 1. Tim. 1.

26. Alterum decus seu titulus Caritatis est, quòd finis sit omnium. Et quidem primùm finis Legis est vniuersæ; & *in his duobus mandatis*, ait Christus, *vniuersa Lex pendet, & Prophetæ*. qua de re ita d Augustinus: *Omnia præcepta diuina referuntur ad Caritatem; de qua Apostolus:* e *Finis autem præcepti est Caritas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta. Omnis itaque præcepti finis est Caritas: id est, ad Caritatem refertur omne præceptum. Quod verò ita fit vel timore pœnæ, vel aliqua intentione carnali, vt non referatur ad illam Caritatem, quam diffundit Spiritus sanctus in cordibus nostris, nondum fit quemadmodum fieri oportet, quamuis fieri videatur. Caritas quippe ista Dei est, & proximi, & vtique in his duobus præceptis tota Lex pẽdet, & Prophetæ: adde Euangeliũ, adde & Apostolos; non enim aliunde vox ista est, Finis præcepti est Caritas.*

2. Consiliorum. 1. Cor. 7.

Quæcumque ergo mandat Deus, & quæcumque non iubentur, sed spirituali consilio monentur, (ex quibus vnum est, Bonum est homini mulierem non tangere) tunc rectè fiunt, cùm referuntur ad diligendum Deum, & proximum propter Deum, & in hoc sæculo, & in futuro. Hæc Augustinus.

3. Virtutum. Gal. 5. Rom. 5. 1. Cor. 13.

Est etiam finis virtutum omnium; quia ad finem suum referre potest singularum virtutum actus, & eos imperare. Ideo Apostolus dicit *fidem per Caritatem operari; spem non confundere, quia Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris. Caritas patiens est, benigna est, Caritas non æmulatur.* Quid mirum? nam exercere potest omnium virtutum actus, & ad se referre; quia virtutum omnium finis est.

Est & finis Scripturarũ: eò enim diriguntur, vt Deum proximumque diligamus; vt eleganter D. Augustinus: *Quidquid salubriter mente concipitur, vel ore profertur, vel qualibet diuina pagina sculpitur, non habet finem nisi Caritatem.* *4. Scripturarum. In Psal. 140. tom. 8.*

Finis est creaturarum omnium, quę ad Caritatis communicationem à Deo conditæ sunt. *5. Creaturarum omnium.*

Est finis hominis, qui à Deo destinatur, vt Deum suum diligat, eique seruiat. Nec vmquam in hoc mundo, nedum in altero, beatus erit, si Amori creatoris sui defuerit. Denique si Deus finem sibi præstitutum haberet, ille Caritas esset. Et sanè *omnia propter semetipsum operatus est Dominus.* *6. Finis hominis.* *Prou. 16.*

27. Ex hoc sequitur aliud insigne Caritatis: summum esse præceptum, præceptorum & consiliorum complexionem ac consummationem: quare [a] Chrysostomus, *Nostin'*, ait, *Caritatis quanta sit vis? certè Christus reliquis prodigijs ac miraculis posthabitis, quæ ab Apostolis edenda essent,* [b] *In hoc, inquit, cognoscent omnes quòd discipuli mei sitis, si Caritatem inter vos mutuam habueritis. Quin etiam Paulus* [c] *Caritatē Legis esse consummationem affirmat; sine qua ipsa dona nulli esse vsui vult.* Diuus autem [d] Augustinus eruditè admodum hac de re. *Præcepta, ait, quibus ipsa vita bona continetur, imperatur, & discitur, multa omnino præcepta sunt, & innumerabilia; præceptorum ipsorum paginas vix quisquam enumeret: quanto magis ipsa! Quæ voluit tamen Deus, propter eos qui se possent excusare, vel quia eis non vacat legere, vel quia non norunt legere, vel quia non possunt facilè intelligere; vt excusationem nemo habeat in die iudicij, voluit, sicut scriptum est, consummare & breuiare verbum super terram. Hoc ipsum verbum consummatum, & abbreuiatum, nec obscurum esse Deus voluit: ideo breue, ne non vacaret legere; ideo apertum, ne quis dicat, Mihi non licuit intelligere. Thesaurus ergo est magnus diuinarum Scripturarum, habens in se mirabilia præcepta, & multa, tamquam multas gemmas, & pretiosa monilia, & vasa ingentia, & magni metalli. Sed quis potest scrutari thesaurum istum, & vti eo, & peruenire ad omnia quæ ibi sunt? Ideo post similitudinem de thesauro abscondito in agro, ne quis se minùs idoneum diceret ad perscrutandum thesaurum, continuò dedit aliam similitudinem de pretiosa margarita: vt, si piger eras ad thesaurum perscrutandum, non sis piger vnam pretiosam margaritam sub lingua ferre, & quouis securus ambulare. Et hoc est verbum consummans & abbreuians: Diliges Dominum Deum tuum.* Hæc Augustinus. Continet ergo Caritas præcepta omnium virtutum, omnis Legis, siue scriptæ, siue ore prolatæ. Probat ea quæ à Regibus feruntur, à parentibus, à magistratu, à superioribus; vultque vt ea seruentur. Suadet paupertatem, iuuat eos qui castimoniam diligunt; quos ad votum obedientiæ nuncupandum, nonnullorumque aliorum consiliorum Deo præpositisque obseruandum inclinat. Et

3. Titulus, Præceptorum ac consiliorum esse consummationem.
a Lib. 2. de Sacerdot post medium.
b Ioan. 13.
c Rom. 13.
d Lib de discip. Christ. cap. 2. tom. 9.
Rom. 9.
Matth. 13.
Matth. 22.

hæc quidem, vt tamquam muri & aggeres seruiant ad amorem Dei tuendum, ipsaque liberiùs in amplexus amãtissimi Domini sui irruere, eius obsequijs delectari, ac in hisce tamquam summis delicijs commorari securiùs valeat.

4. Titulus, Caritatem esse vitam virtutũ.

28. Aliud insigne Caritatis est, quòd Caritas anima sit, vita, PERFECTIOque virtutum ceterarum: adeò vt, Caritate sublata, earum nulla remaneat; ipsa præsente, reuiuiscant omnes, & velut astra quædam ab ea, tamquam à sole, lucem vitamque accipiant. quod maximum habet & momentum, & vtilitatem: vt enim corpus mortuum nullam viuentem operationẽ facit, truncoque similius est quàm homini; sic & anima sine Caritate, etiamsi totum mundũ expugnare possit.

1. Anima sine Caritate similis est corpori mortuo.

2. Opera facit infructuosa.

Simile.

Accedit, quòd opera, quæ Caritate absente fiunt, infructuosa sint, nulloque modo meritoria: talis enim qui Caritatem non habet, peccati mortisque seruus est, Dei inimicus, minusque idoneus quàm vt aliquid possit promereri. Sicut qui domesticus non est patris-familias, de mensa quoque eius non participat; & qui extra vineam pulsus, denarium diurnum non potest exigere; neque qui in gratiam Domini alicuius non operatur, ab eodem laborum præmium petere: sic qui caret hoc insigni Caritatis ac decore, nec panem nec mercedẽ potest mereri, etiamsi ieiunauerit, corpus flagellauerit, pauperibus largitus eleemosynas fuerit; *nónne* enim *& ethnici hoc faciunt*? at quam illi recipiunt mercedem?

Matth. 5.

3. Non satisfacit pro peccatis; a Eccli. 34.

Addo, hunc eò statu inidoneum esse qui pro peccatis satisfaciat: [a] *dona* enim *iniquorum non probat Altißimus*. Quòd si quippiam impetrare nitatur à Deo, fusis precibus; vtique oratio ei fiet in peccatum, eritque execrabilis coram Deo, si animum ad reconciliationem non flectat.

4. Nihil meretur. Simile.

Nec vmquam vel gratiam vel gloriam merebitur: est enim Caritas meriti radix, à qua & viror, & folia, & flores, & fructus prodeunt. quòd si rami non adhærescunt, actutum exsiccantur, & virorem fructumque non ferunt, quia radicis succo non aluntur.

5. Comparatur soli.

Hinc etiam Caritas comparatur soli, à quo pendet animalium vita, & conseruatio mundi. Tolle è cælo solem, mundum sustulisti; sequitur vniuersæ terræ interitus. E microcosmo solem tollis, cùm Caritatem extinguis.

6. Comparatur Filio Dei.

Altiùs ascendo, & Caritatem cum Filio Altissimi comparare non reformido. Vt enim nihil vel in cælo vel in terra est, in quo ita beneplacitum est Deo, sicut in Filio, quem ex se ab æterno genuit, & in tempore mortalibus concessit: ita in rebus creatis nihil gratius est vel in cælo, vel in terra, Caritate; in qua veluti sola, aut præ ceteris omnibus, Deus sibi complacet; nihilque ei gratum, quod Caritatis venustate destitutum est. Est namque per se pulchra, Deoque grata: & sicut filius in

in parentis oculis semper gratissimus est, ita & Amor, & ardens in Deum Caritas.

29. Illud mirandum in Caritate, quòd non tantùm virtutum operibus vitam tribuat, sed etiam rebus naturalibus, quæ ex se à vita spirituali absunt longissimè; quales sunt, comedere, bibere, & alia ad vitæ humanæ sustentationem opera necessaria. Terrea sunt hæc; *non est enim regnum Dei esca & potus*: cùm verò à Caritate prodeunt, aurea efficiuntur. Fabula est, Midam Gordiæ bubulci filium, Phrygum Regem, plus æquo auri appetentem, à Baccho, quem domi hospitio exceperat, impetrasse, vt, quidquid attingeret, illud in aurum verteretur. Itaque & mensa, & cyathus, & panis, & vestis, & pauimentum, & domus ipsa in aurum mutata sunt. Quod naturaliter fieri nequit, hoc Caritatis vis potest efficere: mutat enim omnia in aurum; & terram, cùm ad Dei obsequium illam calcat; & panẽ, cùm illum frangit pauperi; & aquam, cùm Christi amore eam porrigit; & mensas, & tecta, cùm ad honorem Dei ijsdem vtitur. Ideo Ioannes, *Suadeo*, inquit, *tibi emere à me aurum ignitum probatum, vt locuples fias*. Hoc pete à locuplete Caritate, & Mida ditior eris. Hinc D. Paulus, *Omnia*, inquit, *vestra in Caritate fiant*; & quidem in Caritate, & ex imperio Caritatis. Ideo alibi idem Apostolus: *Siue manducatis, siue bibitis, siue aliud quid facitis, omnia in gloriã Dei facite*. Hoc est imitari Salomonis magnificentiam, qui templum suum auro omni ferè loco vestiuit: nihil erat in templo quod auro vestitũ non esset. Si oculis intueare, si lingua, si auribus, si corde, si capite, si manibus & pedibus, si animo & corpore ex Caritatis imperio vtaris; quidquid hisce tetigeris, vertetur in aurũ obryzum & purissimũ; totus auro fulgebis, vestiere auro, templumque eris Deo gratius templo Salomonis, in quo Deus ipse requiescet, & lubens deprecationes tuas exaudiet.

7. Rebus naturalibus vitam tribuit.

Rom. 14.

Apoc. 3.

1. Cor. 16.

1. Cor. 10.

30. Illud alterum mirandum est, auctore D. Gregorio; Caritatem aliena opera efficere propria: si enim probes, si ames, si aliena placeant, & aliqua ratione in societatem operis venias; aliena tua efficiuntur. vnde D. Ioannes: *Si autem in luce ambulamus, societatem habemus ad inuicem, & sanguis* IESV *Christi emundat nos ab omni peccato*.

8. Caritas aliena facit sua nullo aliorũ damno.

1. Ioan. 1.

Nec omittendum, Caritatem omnium operum, quæ in Ecclesia fiunt, nos facere participes: ipsa enim nos capiti Christo coniungit, cui corpus coagmentatum est; & quod vnum membrum facit, id bonum est toti corpori, & membris ex eo singulis sua portio accedit.

9. Facit nos participes omnium bonorum.

31. Quintum Caritatis elogium est, quòd stimulus dici possit omnium virtutum; etenim eas excitat in nobis, & vt officij sui memores sint, quodammodo hortatur: qui enim singulari amore Deum prosequitur, desiderijs multis æstuat eidem complacendi, eiusque obsequendi voluntati; quæ in hoc consistit maximè, vt mandata eius custo-

5. Titulus, Caritatem esse stimulum omnium virtutũ.

Simile. diamus, vt virtutes omni loco & tempore exerceamus. Quæ enim sponsa maritum diligit, omnia studia sua, opera, ornatum, curas ad mariti transfert beneplacitum; & si cor eius videre maritus posset, sua omnia desideria & voluntates in ea agnosceret: sic & qui sponsæ adinstar Deo afficitur, vult quidquid Deus, facit quidquid ipse desiderat, in eius explenda voluntate totus acquiescit. In hoc inter amores humanos & diuinam amicitiam differentia est, quòd alter coniugum alterius animum non penetret, nec videat, Deus verò cor intimè videat, penitusque intueatur; sed quanta sua voluptate, nostroque fructu! facit ergo Amor, vt & interiùs pretiosis monilibus virtutum ornemur, & exteriùs fulgentibus operum gemmis colluceamus; denique Deo similes efficiamur, qui, cùm simplicissimus sit, omnium tamen virtutum ac PERFECTIONVM laudibus atque aggregatione cumulatur. Caritas quoque perfecta nos simplicissimos facit, quia vnus Amor est, *non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt*, hæc enim simplicitati aduersantur; nihilominus & patientiæ, & spei, & fortitudinis, & iustitiæ vices subit: vna denique & simplicissima virtus est, & omnes virtutes in se continet, quia *Caritas patiens est, benigna est; omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet*.

Caritas nos Deo similes facit.

1. Cor. 13.

Ibidem.

Caritas igni comparatur. Adde quòd Caritas igni soleat comparari, cuius vis maxima omnia in se conuertit: sic & Caritas maximè diuersa in naturam suam transfert, & velut ars alchymistica virtutum omnium actuumque naturalium opera in ignem & Amorem conuertit.

Caritas omnibus vitijs aduersatur. 32. Hic stimulus duos fructus parit. Vnus est, quòd, sicut ad omnes virtutes impellit, ita vitia omnia profligat; & sanè persequitur quidquid amico displicet, quidquid sibi nouit maximè aduersari. Quid verò Dei amicitiæ ac Caritati magis aduersatur quàm vitia? ea ergo odit, &, quantum in se est, perdit, destruit, & proculcat. Alter fructus est, quòd cùm omnibus virtutibus calcaria subijciat, tum in primis fortitudinis virtute nitatur, auctore D. Thoma. Efficit enim vt Dei amicus aliarum virtutum ferat molestias, ardua moliatur ac suscipiat excelso animo, in periculis & doloribus mentem obduret, nec difficultates tam ratione metiatur, quàm desiderio. Effectus namque suarum causarum sequuntur naturam; vt, si potentes eæ sint, similes effectus futuri sint, qui ex eis prodeunt. Cur auarus tot laboribus diuitias parat? Quia diuitiarum in eo magna cupiditas, quæ desiderium generat; desiderium vim admouet, vt rem cupitam consequatur. Magna vis animalium est in conseruandis catulis, quorum causa sese venatorum venabulis ac spiculis intrepidè & pertinaciter obijciunt. Narrat Plinius tigridem matrem solere ademptos catulos mira fortitudine recuperare: primùm venatorem quærit, &, si potest, vnum saltem è catulis reportat, tum ad secundum

Caritatis fortitudo.

2.2.q 139. ar. 2. ad 2.

Ratione declaratur.

Natur. histor. lib. 8, cap. 18.

cundum & sic deinceps recurrit, donec omnes recuperarit; ideoque traijcit fluuios, aut etiam mare, reditque subinde multis confossa iaculis. Hoc Amor catulorum efficit: quod & in parentibus erga proles fieri experientia cognoscimus. Prima autem causa quæ ad agendum incitat, finis est; cuius Amor, quo maior est, eo subsequentes causæ potentiores effectus producunt. Cùm verò Deus finis rerum sit omnium, & beatitudo nostra; eius Amor si magnus sit, magnum quoque excitabit desiderium, vimque ingentem imprimet ad illum finem assequendum. Fortitudo ergo illa à primo fonte ac radice procedit Amoris; ideoque Caritas *fortis vt mors* dicitur, quòd omnia vincat, vt D. Au- *Cant. 8.*
gustinus disertè explicat. *Virtus* (inquit) *Caritatis est, quam nemo vincit:* *In Psal 47. sub*
huius ignem nullì fluctus sæculi, nulla flumina tentationum extinguunt: de hac *fin. tom. 8.*
dictum est, Valida vt mors Dilectio. Quomodo enim mors quando venit, resisti 1. *Caritas fortis vt mors dicitur ob varias causas.*
ei non potest; quibuslibet artibus, quibuslibet medicamentis occurras, violentiam mortis vitare non potes, quoniam mortalis natus es: sic contra violentiam Caritatis mundus nihil potest. A contrario enim similitudo data est de morte. Quomodo enim mors ad auferendum violentissima est, sic Caritas violentissima est ad saluandum: per Caritatem enim multi mortui sunt sæculo, vt viuerent Deo. Hæc ibi. Alias causas fortitudinis Caritatis alibi assignat idem Augustinus. *Meritò dicta Caritas*, ait, *fortis vt mors, siue quia nemo eam* *Epist. 29. ad*
vincit sicut mortem, siue quia in hac vita vsque ad mortem est mensura Carita- *S. Hieron.*
tis, sicut Dominus ait; Maiorem hac Dilectionem nemo habet, quàm vt animam *Ioan. 15.*
suam ponat quis pro amicis suis: siue potiùs quia sicut mors auellit animam à sensibus corporis, sic Caritas à concupiscentijs carnis. Hæc Augustinus.

Nec tantùm fortis est Caritas vt mors, sed morte fortior est: trium- 2.
phat enim de morte, & de tyrannis, & de mortibus plurimis reportat *Caritas fortior morte.*
tropæa. Clamant tyranni, qualis Decius cum D. Laurentio decertans, Dacianus cum S. Vincentio, alijque plurimi: Vincimur, & cogitationibus nostris in tormentis inueniendis maiores animos, morteque ipsa generosiores, inuenimus. Est enim Caritas lorica salutis vndique munita: quacumque eam aggrediaris, tundi potest, contundi frangique non potest. Amictus ille est, quem Christus Apostolis ante discessum ita promiserat: *Sedete in ciuitate, quoadusque induamini virtute ex alto.* *Luc. 24.*

Et quid mirum, si Caritas triũphat de mundo, de carne, de tyrannis, 3.
de morte, *cùm ipsum immortalẽ aggressa vicerit*, auctore [a] Bernardo; & in *Caritas Deo*
hunc mundũ eum pertraxerit, seruũ reddiderit, legi subiecerit, esurire, *non inferior fortitudine.*
sitire, algere, vagire, mori denique coëgerit? hęc enim Amor salutis no- a *Serm. 64. in*
stræ in Deo operatus est, vt piè [b] D. Ephræm. *Hæc ipsa* (inquit) *rursus vni-* *Cant. in fine.*
genitum Dei Filium ad nos è cælis attraxit. Per hanc Caritatem Deus humanam b *Lib. de extremo iudicio, &*
naturam assumpsit, incorporeus incarnatus est, inuisibilis visibilis factus: per *compunctione*
hanc paradisus apertus est, ligatus est fortis, anima facta est sponsa Christi. *cordis.*

Nam

Nam si anima absque Caritate hac fuerit, non complacebit sibi in ipsa cælestis Dominus.

Caritas vincit possessorē suum. Vincit deinde Caritas possessorem suum: nam & parentes plus filijs quàm sibi viuunt; nulla sua necessitate laborant & fatigantur; malunt filijs delicias, quas ex ore depromunt ac detrahunt, quàm sibi. Ita etiam verus amans non sibi viuit, sed Deo amicissimo; ei thesaurizat, ei delicias parat & porrigit. *Rom. 14.* *Siue enim viuimus, Domino viuimus; siue morimur, Domino morimur. Siue ergo viuimus, siue morimur, Domini sumus.*

5\. *Caritas auara sibi, alijs prodiga. Simile.* Denique Caritas sibi auara, alijs prodiga, profundit se suaque omnia in eum quem amat: seuera in se, benigna in amicum; sese spoliat, vt eum vestiat: & sicut gallina, vt oua foueat, caloremque pullis venturis impertiat suum, plumas pectoris exuit, atque infatigabiliter incubat; ita & Caritas lubens donat quidquid habet; seque spoliat, vt Deum in membris suis foueat ac conseruet.

6. Titulus, Iugum Domini suaue facere. Serm. 85. super Cant. 33. Sextus Caritatis titulus est, quòd iugum Domini leue efficiat ac suaue. Optimè dictum: Qui amat, aut non laborat, aut ipsum amat laborem. quod confirmat D. Bernardus his verbis: *Vbi Amor est, labor non est.* & alibi, *Fateor,* inquit; *non sustinui pondus diei & æstus, sed iugum suaue, & onus leue: pro beneplacito patris-familias porto opus meum vix vnius horæ; & si plus, præ Amore non sentio.* Caritas namque in rem dilectam oculos perpetuò habet intentos; cumque ad eam per labores perueniendū sit, ex finis delectabilis recordatione media ipsa amaritudinem perdunt, dulcedine perfunduntur: non enim solum mel dulce est, sed & quidquid cum eo gustatur. *Gen. 29.* Tales fuerūt labores Patriarchæ Iacob, qui memor pulchrę Rachelis, cuius amore tenebatur, ne quidem annorum quatuordecim labores ac molestias sensisse visus est. Quàm multa vitiorum serui ac mancipia patiuntur! quàm multa ambitiosi, vmbras honorum; quàm multa libidinosi, voluptatum simulacra prosequentes! vix tamen sentiunt, quia Amor laboribus permixtus, quasi vehiculum quoddam, patientem subleuat ac deuehit, vt voluptatis captus illecebra dolorem non sentiat. Quanto magis id vsu venire debet vbi & honestum est quod amatur, & Amor ipse præsertim, quo rem ipsam consequi nitimur.

7. Titulus, Iungere partes cum capite, & eas inter se. 34. Septimum Caritatis insigne est, quòd singulas partes capiti finique suo copulet, ipsasque sic vniat inter se, vt à capite in singulos homines, tamquam in membra, omnium bonorum genera confluant.

I. *Cum capite mirabiles vnionū figura. Figura I. Gen. 2.* Capiti, inquam, hominem Deo fini suo copulat, in illumque transformat ac commutat. Est enim Amor vita quædam duo copulans, amantem nempe ac amatum, vt vnum quasi ex duobus conflatum dixeris. Cùm de coniugibus Scriptura dicit, *Erunt duo in carne vna,* non videtur litteralis sensus commodè capi posse, nisi συνεκδοχικῶς, vbi pars pro toto

toto ponatur in tori immaculati copula: corpora enim coniugum duo, sunt multarum partium, & magnæ molis. Nec dicit, Erunt duo spiritus in carne vna; sed, Erunt duo coniuges in carne vna. potiùs dicendum videretur, Erit vnus spiritus in duobus corporibus; aut, duo spiritus in mutuis corporibus. Vera tamen est Scriptura, & sapienter prolata; sed longè perfectiùs impletur in veritate quàm in figura: *Sacramentum* enim *hoc magnum est*, ait Apostolus; *ego autem dico in Christo & in Ecclesia*. Antè, ex D. Bernardo, matrimonium spirituale Dei ac hominis descripsimus. Hoc etiam D. Ephræm graphicè his verbis expressit: *Est anima nostra sponsa sancta facta immortalis Sponsi: nuptiarum autem copulæ diuina sunt Sacramenta; per quæ sancta anima iungitur Sponso, dum cum timore atque tremore dignè sumuntur*. Verissimum ergo est, *Erunt duo in carne vna*, cùm Deus nobis singulari Amore coniungitur. Totus Deus in homine est, & totus homo in Deo: *qui enim manet in Caritate, in Deo manet, & Deus in eo*. Quòd si velit duo integra corpora permisceri, quod in coniugibus impossibile est, in Eucharistiæ Sacramento fit. Homo Deo copulatur, vt in vna eademque carne hominis, duæ naturæ diuersæ sint, duo corpora, duæ animæ, natura item humana Christi ac diuina, tres personæ sanctissimæ Trinitatis; in carne vna, inquam, in corpore hominis Deum suum diligentis, ac participantis tremenda Mysteria.

Ephes. 5.

Lib. de iudicio extremo, & compunctione cordis.

Gen. 2.

1. Ioan. 4.

35. Hæc vnio alia similitudine clariùs illucescet: vt enim cera cum sigillo impresso vnum sunt, ita & Deus vnitus cum anima. Est enim intellectus, teste Philosopho, quodammodo omnia: quia, si domum videat ac cogitet, ideam domus efformat in se, ac repræsentat, & quodammodo domus est; si hominem, homo; si denique Deum, quodammodo Deus est. Et voluntas cera est: si signetur Amore Dei, illum tamquam characterem impressum accipit, ac imaginē voluntatemque Dei concipit. Hinc meritò tales sumus, qualis Dilectio est; & Apostolus dicit: *Sicut portauimus imaginem terreni, portemus & imaginem cælestis*. Hæc transformatio naturarum non est, sed affectionum; sicut matris impensissimè filium diligentis: vtriusque, inquam, matris & filij cogitatio, vtriusque desideria ac voluntas in mente matris eadem sunt; quidquid boni est in mundo, imò & propria bona, filio optat ac precatur. Vnde Cato senior optimè, *qui verè amat, eum ipsum mortuum esse in proprio corpore, & viuere in alieno*. Verum quoque illud est à D. Bernardo dictum, *præsentiorem spiritum nostrum esse vbi amat, quàm vbi animat*. Ita anima Deum amantis, eiusque desiderio æstuantis, plus in Deo est, quàm in corpore quod informat; eique omnia possibilia bona exoptat, parata commodis omnibus carere, multa perferre incommoda, modò Dei gloria augeri promouerique possit.

Figura 2.

1. Cor. 15.

Lib. de precepto & dispensat. cap. 27.

Figura 3. Rom. 11. D. Paulus huius transformationis exemplum præbet accommodum, de surculo qui arbori inseritur: fit enim is simul vna arbor, viuitque ex radice, fructus profert, quos ex se non posset. Ita & nos vnum efficimur cum Deo & inserimur per Caritatem: ex eo viuimus, & fructus eminentes producimus. hinc D. Paulus: *Viuo autem, iam non ego, viuit verò in me Christus*. Gal. 2.

Figura 4. Denique qui aliquid amat ardentiùs, non quiescit, donec illud consequatur, & quodammodo eius formam induat: vt qui litteras amat, qui Theologiam, qui Iurisprudentiam, qui humilitatem, non tantùm formas suscipit scientiarum ac virtutum, sed etiam nomen sortitur; litteratus enim dicitur, Theologus, Iurisconsultus, humilis. Sic qui Dei amicitiam consecutus est, amicus Dei appellatur: quia quodammodo Deum induit, eius figuram ac formam animo suo impressit, ideo diuinus, imò & Deus appellatur. *Ego dixi*, (ait Dominus) *Dij estis, & filij excelsi omnes*. Psal. 81.

2. Caritas vnit partes inter se.

36. Vnit etiam Caritas partibus partes: membra enim sumus corporis Ecclesiæ, vt ait Apostolus. [a] *Vos autem estis corpus Christi*, inquit, *& membra de membro*. Hoc corpus vno spiritu Caritatis informatur; vnitur cum capite, à quo spiritus dimanat: hinc illud sequitur, *multitudinis credentium esse cor vnum, & animam vnam*. Hinc D. Petrus mandat vt simus *vnanimes*: quia vna Caritas, vna omnium est anima. Christus denique pro Apostolis rogat Patrem, & pro nobis. *Non pro eis rogo tantùm*, ait, *sed & pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me; vt omnes vnum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te, vt & ipsi in nobis vnum sint*. Hinc apud D. Dionysium Hierotheus: *Amor siue diuinus, siue Angelicus, siue spiritualis, siue, vt ita dicam, animalis, siue naturalis, virtus vnitiua est, superiora ad inferiorum mouens prouidentiam, & æqualia ad socialem communionem adigens*. a 1. Cor. 12. Act. 4. 1. Pet. 3. Ioan. 17. Lib. de diuinis nomin. c. 4 p. 2.

Sicut ergo nos vnit Deo, ita etiam proximis copulat; & ad seruandum locum nobis congruum in Ecclesiæ corpore, siue inferiorem, siue superiorem, pro exigentia nostri status aut dignitatis, suauiter & potenter impellit. Idem Richardus à S. Victore scribit. *In se*, ait, *per Amorem homo vnus efficitur, dum se intra se recolligens, & reductis affectibus cunctis à locis quibus captiui tenentur, solum vnum incommutabiliter amat, nec ampliùs in diuersa mutatur. Paratus enim per Amorem in plura, numquã sibi inuenitur vnus vel idem, sed semper sibiipsi dissimilis: quia toties variari cogitur, quoties quod amat variatur. Proximo etiam per Caritatem vnitur homo, dum non solùm sine querela, quantum in ipso est, idem omnibus studet effici, sed & omnium successibus coaptari, gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus, infirmari cum infirmantibus, & cum scandalizatis vri*. & elegantissimè D. Augustinus in hæc verba: *Erat ibi tunica, dicit* [b] *Euangelista, desuper texta. Quæ est* De gradibus Caritatis, c. 4. In Psal. 21. expos. 2. tomo 8. b Ioan. 19.

ista tunica, nisi Caritas quam nemo potest diuidere? Quæ est ista tunica, nisi vnitas? In ipsam sors mittitur, nemo illam diuidit. Sacramenta sibi hæretici diuidere potuerunt, Caritatem non diuiserunt: & quia diuidere non potuerunt, recesserunt; illa autem manet integra. Sorte obuenit quibusdam. Qui habet hanc, securus est. Nemo illam mouet de Ecclesia Catholica: & si foris illam incipiat habere, intromittitur, quomodo ramus oliuæ à columba.

Ex hac vnione membrorum inter se cum capite ac fine suo, virtutes profluunt omnes, vt Doctores omnes loquuntur; dona item Spiritus *D. Thom. 1. 2.* sancti, & quidquid bonorum Deus Ecclesiæ amicisque suis commu- *q. 65. a 5.* nicat.

37. Octauum insigne Caritatis est gaudium, quod omnem huius *8. Titulus,* mundi delectationem superat. De eo verò [a] Apostolus: *Et pax Dei, quæ Gaudium humanū sensum exsuperat omnem sensum, custodiat corda vestra & intelligentias vestras.* Ori- *excedens.* tur pax, sicut & gaudium, ex præsentia dilecti: & quies quædam est pro- *a Philip. 4.* ueniens ex adepto & possesso bono, eo modo quo haberi potest. Sicut ergo à sole lumen, ab igne calor; sic ab Amore gaudium ac lætitia spiritualis quasi decor quidam emicans exoritur: auctorem suum Spiritum sanctum facilè indicans, qui animorum consolator appellatur. Hæ consolationes excedunt humanum sensum; sicut & ipsa Caritas, quæ *supereminens* ab Apostolo nominatur. Primùm, quia nobiliores poten- *Ephes. 3.* tiæ sunt in quibus excitantur; in anima nempe rationali ac potentijs 1. eius, quæ præstant corporis sensibus: vnde effectus prodire nobiliores, quàm sensuum delectationes, quæ brutis communes sunt, necesse est. Accedit quòd huiusmodi delectationes non tam humanæ censeantur 2. quàm diuinæ, vtpote à gratia excitatæ. Habent & pro obiecto non au- 3. rum, non humanam gloriam, fugacem ac perituram, voluptatémve ex corpore promanantem, quæ plerumque cum immunditia coniuncta esse solet ac turpitudine; sed infinitum bonum, quod longè sublimiùs fortiusque afficit eas facultates, quas peruadit, quàm creaturæ omnes. Est & illud ipsum summum bonum velut centrum animæ rationalis, 4. sine quo quiescere non potest: quod plenissimè quidem satiabit in cęlo, replet tamen in hoc mundo quantum ratio ac condicio peregrinationis nostræ patitur, etsi non omnino satiet desiderium nostrum. Hoc præsente, euanescunt mundi vanitates, fluxaque gaudia; sicut sole lucente, astrorum lux offuscata fugataque recedit. Hoc gaudium, auctore *Vnde gaudium* [b] D. Thoma, ex bono amato primùm, desiderato deinde, demum ac- *oriatur.* quisito nascitur. Est enim desiderium, animi motus in bonum opta- *b 2. 2. q. 28. a. 4.* tum; cuius bonitati & motus ipse conformis est: vnde, si bonum illud vanum fuerit, similis erit & motus, & gaudium. Infinito ergo bono acquisito, etiam suum gaudium respondet, sed more viatorum, adhuc valde imperfectum comparatione beatorum. Delibandas tamen pro-

pinat Dominus amicis suis primitias quasdam, & catellis sub mensa dominorum aspicientibus atque aspirantibus micas quasdam proijcit; quas cùm Dauid probasset, exclamauit, *Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum*: & propter has *elegit abiectus esse in domo Dei sui, magis quàm habitare in tabernaculis peccatorũ; quoniam melior est dies vna in hisce atrijs super millia*. Sanctorum plurimi mundum, & omnia quæ in mundo sunt, palatia prædiaque ad voluptatem composita, delicias denique omnes, hisce micis posthabuerunt; ac, deserta loca petentes, in oratione & contemplatione, velut catelli sub mensa, multis annis hisce delicijs impleti sunt. Verùm in hac mortalitate impleri bonis possumus, satiari non possumus.

Psal. 83.

CAPVT XXXIII.

Quæ Caritas iudicio sanctorum Patrum sit PERFECTIO.

38. Ex his, quæ diximus, id argumenti confici potest: nullum esse virtutis genus, quod hisce aliisve prærogatiuis, veræque PERFECTIONIS insignibus, Caritatis splendorem aut superet, aut etiam exęquet; meritoque eidem Caritati PERFECTIONIS nomen ac titulos esse tribuendos, quandoquidem nos beatos efficiat, & æternæ felicitatis prælibationes quasdam cęlestesque delicias præcipere faciat. Illud porrò cognoscendum superest: *Quæ & qualis Caritas hæc decora ac prærogatiuas mereatur*. Nam & in Caritate sunt gradus. *Funiculus triplex difficile rumpitur*. Fortis est simplex, duplex fortior, fortissimus triplex. Est namque Caritas incipiens, & illa funiculus simplex; est & proficiens, & meritò duplex; est perfecta, & hæc funiculus triplex, & fortissimus, & qui non facilè frangatur, vel etiam nullo modo. Incipiens (vt insinuat Augustinus) illa est, quæ in iustificatione infunditur, antequam quisquam operari incipiat; proficiens, quæ ab eo tempore ad vsque vitæ occasum operatur; perfecta, quæ post hanc vitam in patria consummatur. Funiculus primus & secundus frangi possunt; hic nullo modo, quia Caritas, *vinculum* PERFECTIONIS, numquam inde excidit. Hos funes texuisse Dauid videtur, cùm ait: *Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis*. Addit & secundum: *Qui sanat omnes infirmitates tuas*. denique tertius est: *Qui coronat te in misericordia & miserationibus*. Idem Augustinus contra Iulianum, explicans illud Lucæ, *Ecce eijcio dæmonia & sanitates perficio hodie & cras, & tertia die consummor*; gradus

Quæ Caritas sit Perfectio.
Eccle. 4.
Caritas triplex: incipiens, proficiens, & perfecta.
Lib. de spir. & lit. cap. 33.
Col. 3.
Psal. 102.
Lib. 6. cap. 19.
Luc. 13.

gradus ac funiculos dictos inter se respondere vult. Dum enim iustificamur, dæmonia eijciuntur; dum proficimus, quæ est dies secunda, Christus sanitates perficit: sed dies tertia consummat omnia, & infractam inuiolatamque Caritatem reddit.

Hos gradus incipientium, proficientium, & perfectorum, idem Augustinus & cum eo Doctores Scholastici paulo aliter exponunt: vt incipiens esse censeatur illa Caritas, quæ vitijs & tentationibus primum irruentibus omni animi conatu repugnat; proficiens verò, quæ, magna ex parte suppressis vitijs, virtutibus acquirendis tota incumbit; perfecta demum, quæ quietem assecuta, profligatis tentationibus periculosis, adeptaque facilitate ad actus virtutum exercendos, amori diuino ac cęlestium rerum commentationi, arduisque ad Dei gloriam facinoribus subeundis feruenter intendit. Id in igne, qui ex lignis viridioribus conficitur, videri potest: etsi enim fomenta stipulamque subijcias, difficulter tamen ligna ignem concipiunt, humore nempe ignis siccitati repugnante; opus est flatu ac fomite validiori; nihilominus non antè ardebit, quàm fumum, stridorem, lacrymasque multas emiserit: vbi verò strues flammam concepit, eo ardet fortiùs ac impotentiùs, quo maiori vi ligna velut aduersarium peruasit atque occupauit; nec facilè extingues, ardet enim & lucet, vrit & impetum facit in omnia vicina, & ex eo minùs gratus, quòd æquo sit vehementior: denique fumo flammaque sopita, maturus ipse quodammodo ignis in ligna ac carbones plenum dominium exercet, & in sua velut quiete, perfectione, ac fine acquiescens, nemini est incommodo. Sic ijs qui incipiunt virtutis caminum accedere, luculento fomite Caritatis opus est: sed ij perturbationum ac tentationum fumos reddunt plurimos; stimulisque carnis ac prauis voluptatum humoribus gratiæ resistentibus, sæpe strepitus excitatur, lacrymæ cientur, donec flamma populetur vim omnem oppositam. Et quidem feruor magnus pietatis erumpit, sed prudentia sæpe desideratur, magnaque cautela adhibenda est, ne ab aduersario nostro ardor ille vel opprimatur omnino, vel in auras prorsus euanescat: vbi verò & tentationum morsus, motuumque concupiscentiæ rabies desierit, & animi impotentia sese remiserit, tota Caritas dominatur, Deoque, quo ipsa incenditur, potiri incipit, ac frui, & in eo tamquam fine cum aliorum ædificatione conquiescit.

Tract. 5. in epist. Ioan. D. Thom. 2. 2. q. 24. art. 9.

Apposita comparatio.

39. Ex quo sequitur, non omnem Caritatem esse PERFECTIONEM: non incipientem; nam alioqui & infantes, & inconstantissimi peccatores, atque adeò qui virtutes vix à limine salutassent, perfecti esse dicerentur. Quare D. Thomas, hanc quæstionem tractans, quatuor Caritatis constituit gradus. Id enim perfectum dicitur, cui nihil deest in ordine ad aliquem finem: quapropter nihil repugnat, quo minùs

Incipientem Caritatem non esse Perfectionem.

In opusc. 18. de Perfect. c. 3. 4. 5. & 6.

minùs aliquid nunc perfectum, nunc imperfectum dicatur, si ad diuersos gradus, vel etiam fines, referatur.

Gradus quatuor Caritatis. Primus gradus est, diligere Deum quantum in se potest diligi, atque adeò amore infinito. Hic verò gradus soli competit creatori: idcirco

1. Amor infinitus. solus Deus in ordine ad istum gradum perfectus est. Angeli ac beati hac ratione imperfecti sunt: quamquam hæc imperfectio non est propriè priuatio, aut vitium, sed mera quædam negatio.

2. Beatorum. Secundus gradus non ad viatores pertinet, sed ad beatos; qui Deum diligunt non quidem quantum diligibilis est, sed quantum potest creatura diligere, ita vt de eo semper actu cogitet, in eum sine intermissione per affectum feratur, & ne primos quidem cupiditatis motus contra Deum sentiat. Horum cõparatione omnes mortales imperfecti sunt:

Phil 3. ideoque Apostolus, qui dicit, *Quicumque perfecti sumus, hoc sentiamus*; idem ait, *Non quòd iam acceperim, aut iam perfectus sim*.

3. Omnium iustorum. Tertius gradus est, diligere Deum non quantum diligibilis est, non quantum potest creatura vel absolutè vel in hac vita diligere, sed tamen ita, vt nihil æquè aut magis quàm Deum diligat, id est, nihil admittat contrarium diuinæ Dilectioni: & hic gradus præceptus est omnibus, & quandam habet PERFECTIONEM, licet respectu eminentiorum sit imperfectus; vnde D. Ioannes, *Qui seruat*, ait, *verbum*

1. Ioan. 2. *eius, verè in hoc Caritas Dei perfecta est*. & tamen Dominus ei, qui se omnia præcepta seruasse referebat, ait: *Si vis perfectus esse, vade, vende quæ*

Matth. 19. *habes, & da pauperibus*. In hoc tamen gradu, qui primus est mortalium, duplicis generis homines sunt, incipientium & proficientium. Vterque ad maiorem PERFECTIONEM aspirat: alter impedimenta remouet; alter velut pedisequas quasdam seu virtutum nonnullarum functiones parat, quæ perfectiori Caritati famulentur.

4. Perfectorum. Quartus gradus est, diligere Deum non quantum diligibilis est, nec quantum potest creatura quælibet absolutè diligere, sed quantum potest creatura mortalis, quæ à se remouit omnia diuini Amoris impedimenta, & totam sese Dei obsequio consecrauit. Qui in hoc gradu sunt, imperfecti reputantur respectu beatorum; sed respectu eorum qui incipiunt & proficiunt, perfecti censentur. Qui tres solùm gradus, sunt funiculus ille triplex qui difficilè rumpitur: nam PERFECTIO Dei ac beatorum ad disputationem nostram nequaquam pertinet.

Tract. 5. in epist. S. Ioan. ante medium. Quare D. Augustinus dictos gradus ita distinguit: *Numquid Caritas mox vt nascitur* (ait) *iam prorsus perfecta est? vt perficiatur, nascitur; cùm fuerit nata, nutritur; cùm fuerit nutrita, roboratur; cùm fuerit roborata, perfici-*

Phil. 1. *tur; cùm ad* PERFECTIONEM *venerit, quid dicit? Mihi viuere Christus est, & mori lucrum*. Hæc ille. Gradus ergo sunt in PERFECTIO-

In Psal. 36. in principio. NE, alijque alijs perfectiores; hinc Beda: *Sunt in corpore Christi duo*

genera;

genera; ſcilicet perfectiores boni, & minùs perfecti. Verè enim minùs perfecti ſunt adhuc illi, qui videntes malos feliciter viuentes, & in omni terrena proſperitate florentes, indignantur de flore eorum, & ipſum affectant. Contra hos tales verò, perfectiores alij agunt in hoc Pſalmo, instruentes eos ne murmurent de flore malorum, néve ipſum appetant, ne fortè eis conſimiles fiant; imò ſpem ſuam in Domino ponant, & malint æternaliter in ipſo gaudere, quàm hîc cum malis ad horam gaudere. D. Bernardus item, qui iuſtarum animarum quaſdam adoleſcentulas exiſtimat, quaſdam ſponſæ nomine dignas agnoſcit: *Hi ergo omnes,* (loquitur de Angelis) *prout capiunt, diligunt. Sed enim adoleſcentulæ quoniam minùs ſapiunt, minùs & capiunt, nec omnino ſufficiunt ad ſublimia: paruulæ quippe in Chriſto ſunt, lacte & oleo nutriendæ. Ergo ex vberibus ſponſæ opus ſumere habent vnde diligant.* Illud Ruperti omitti non debet D. Virginis elogium, explicantis hoc Sponſi Canticum: *Sexaginta ſunt Reginæ, & octoginta concubinæ; vna eſt columba mea. Quid eſt,* ait, *hoc dicere, niſi quòd etſi multæ ſint fideles animæ, & propter fidem, quæ per Dilectionem operatur in eis, laudabiles; nulla tamen earum, ô Maria, tibi ſimilis eſt? ſicut veraciter prædicamus, quia nec primam ſimilem viſa es, nec habere ſequentem. Nam Reginæ rectè dicuntur illæ animæ, quæ perfectæ Caritatis ſunt: in eo videlicet, quod eundem dilectum tuum ſequentes, nihil terrenum, ſed ipſum ſolum quærunt; nec propter metum gehennæ, ſed propter Amorem vitæ tuæ æternæ peccatum fugiunt, virtutemq́; amando, iniquitatem oderunt. Concubinæ verò illæ ſunt, quæ ſub timore ſeruiunt; nec eius* PERFECTIONIS, *vt ſuper præceptum velint addere conſilium, ſcilicet hoc, vt, relictis omnibus, ſolum ſequantur hunc dilectum; habentes quidem in fundamento Chriſtum, ſed nihilominus amantes aliqua quæ huius mundi ſunt.* Hæc ille. Quapropter funiculus quo Deo adhærere conſtituis, infuſa Caritate fortis eſt; nam vnicus Caritatis gradus, cum adiunctis auxilijs, fortior eſt dæmonibus omnibus: ſi verò accedat vitiorum comminutio ac deſtructio, virtutumq́ue ſubſidiũ, longè fortior erit, ac difficiliùs diuelles atque abrumpes; non tamen in eo PERFECTIO adhuc conſtitui poteſt, quia hæc Caritas graditur tantùm ac proficit, virtutumq́ue deſtituta eſt præſidio: at verò ſi hoſtem Caritas ſupplantarit, ſi armorum inuictorum, ſi infracti roboris cælitus miſſi fiat acceſſio, certè funiculus hic triplex difficillimè rumpetur.

Serm. 19. in Cant.

Lib. 6. in Cant.

Cant. 6.

Perfectionem in Caritate proficiente non conſiſtere.

40. Illud tamen in perfecta Caritate obſeruatione dignum, eius eſſe duas partes. Vna amantem inflectit ad amici Dilectionem, eiq́ue vt bene velit ac precetur ſuadet; de eius præſentia gaudeat, delectetur conſortio ac congreſſu, gratuletur de bonis adeptis. Et hîc quidem virtutis ſplendor ac laus in percipienda voluptate maxima eſt. Altera omnes veræ amicitiæ cauſas ita conſiderat, vt non ſolo affectu fructum Caritatis, ſed maximè voluntatum amantium conſenſione metiatur: hinc

Perfectæ Caritatis duo officia.

1. *Affectus mouere.*

2. *Voluntatum conſenſio.*

Cant. 4.

hinc in Canticis Sponſus ſponſam alloquens, *Vulneraſti*, ait, *cor meum, ſoror mea ſponſa; vulneraſti cor meum in vno oculorum tuorum*. Per oculum Patres intentionem intelligunt. Vt enim oculus hominem deducit ac dirigit ad ſcopum propoſitum, & ab omni errore liberat: ita ratio ad Deum rectiſſimà pertingendi, pura diuini honoris intentio eſt, quæ adeò diuinæ illi & infinitæ Maieſtati placet, vt ſe vulnerari hoc telo fateatur. Eſt enim intentio actus qui à primo amoris fonte oritur: nam qui amat, rem amatam deſiderat; qui deſiderat, quærit & intendit, ardentique conatu proſequitur. Hic oculus eſt, & vnus quidem: nam *vnum eſt neceſſarium*. Non vult cæleſtis Sponſus alium tori conſortem. *Coanguſtatum eſt ſtratum, ita vt alter decidat; & pallium breue vtrumque operire non poteſt*. Aliam analogiam oculi ac Caritatis adfert Gregorius. *Quid eſt aliud Caritas*, ait, *quàm mentis oculus? qui ſi terreni amoris puluere tangitur, ab internæ lucis mox intuitu læſus reuerberatur*. Verùm etſi hoc Caritatis officium placeat, non ſufficit tamen; addit enim, *Et in vno crine colli tui*. Per collum animi ſubmiſſio intelligitur; per crinem, & quidem vnicum, præcepta omnia diuina intelliguntur. Non ergo ſatis eſt Sponſo, affectu in ipſum ferri: vult & obedientiam ac ſubmiſſionem, & quidem talem, vt nihil tui relinquas, quod Dei obſequio non conſecres, ne crinem quidem vnum; ſciaſque te perditum iri, ſi vel vno crine alteri quàm ipſi ſeruias. Non abs re fuerit narrare, quod non ita pridem eueniſſe conſtat. Faſſa eſt nuper malefica in carcere, dæmonem, cùm in ſpecie iuuenis ruſtici apparuiſſet, & in herbis quibuſdam colligendis iuuiſſet, exiguo licet tempore, laboris mercedem exegiſſe. Illa mirata mercedem pro collecto manipulo, & quidem à paupere, poſtulari, petijt quid vellet. Reſpondit ſibi abunde ſatisfactum iri, ſi vel vnum capitis crinem ipſa perſolueret. Conceſſit illa quod poſtularat. Ipſe, chirothecam exuens, aduncis digitis (vt ipſa referebat) pilum euulſit è capite, & in eam illico vnius crinis donatione plenum dominium accepit.

August. lib. 2. quæſt. Euangel. cap. 15. Beda in c. 11. Lucæ, lib. 4. c. 50. tomo 5.

Luc. 10.

Iſaia 28.

Lib. 5. in Iob, cap. vlt. in fine.

Cant. 4.

In Caritate perfecta includi mandatorũ Dei obſeruationem.

In vno crine colli omnia mandata contineri, intellectu facile eſt: nam obedientia præceptis omnibus obtemperat, quæ Caritatis vel vnico præcepto continentur. Vt ergo Caritas perfecta ſit, ſanctæ intentionis oculo colli crinis vnus iungi debet: vt ſit illa Caritas, quam Doctores vocant obedientialem, ſeu ea quæ amicitiæ veræ leges omnes complectitur, quæque præcipuè in mutuæ voluntatis conſenſione, officiorum ac mandatorum executione perficitur. De hac Chriſtus Dominus: *Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit*. tantique Chriſtus facit hanc Caritatis functionem, vt ſtatuat non ſufficere alteram, quæ ſolo affectu nititur, dicens: *Qui non diligit me, ſermones meos non ſeruat*. Hinc D. Gregorius, *Probatio*, ait, *Dilectionis, exhibitio eſt operis*. & Regius Pro-

Ioan. 14.

Ibidem.

Homil. 30.

Propheta, quanti fecerit hoc vt potissimum Caritatis officium ostendens, ait: *Iuraui & statui custodire iudicia iustitiæ tuæ. In mandatis tuis exercebor, & considerabo vias tuas. In iustificationibus tuis meditabor, non obliuiscar sermones tuos.* & alio Psalmo: *Propter verba labiorum tuorum ego custodiui vias duras.* & D. Ioannes: *Qui dicit se nosse Deum, & mandata eius non custodit, mendax est, & in hoc veritas non est: qui autem seruat verbum eius, verè in hoc Caritas Dei perfecta est.* denique Christus: *Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum; sed qui facit voluntatem Patris mei, ipse intrabit in regnum cælorum.*

Psal. 118. *Psal. 16.* *1. Ioan. 2.* *Matth. 7.*

Quod vt de præceptis ijs quæ ad diuinum honorem cultumque pertinent, maximè verum sit; de ijs tamen quæ ad colendos homines operamque eis ferendam spectant, idem Seruator sic obseruari voluit, vt videatur sui honoris memoriam deposuisse, & in hominum curam ac Caritatem transtulisse, cùm ait: *Hæc mando vobis, vt diligatis inuicem. Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos.* Quod verò verbo mandauit, re ipsa exercuit, cùm sese pro peccatoribus, pro hostibus, pro indignis tradidit. Certè *maiorem hac Dilectionem nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis.* Quid si quis ponat pro inimicis? Ipse autem est *pastor bonus, qui animam suam posuit pro ouibus suis,* & pro grege suo mori dignatus est.

Ioan 15. *Ibidem.* *Ioan. 10.*

Vult etiam nos proximos nostros diligere, non tantùm affectu, sed effectu & opere: alioquin quid prodest si animo diligam, idipsum tamen ope operaque manifestare desinam? hinc D. Ioannes: *Qui habuerit substantiam huius mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo Caritas Dei manet in eo?* Idcirco addit: *Non diligamus verbo neque lingua, sed opere & veritate.* Certè Apostoli, vt in Actis Apostolorum legimus, parati erant non tantùm *pro nomine* IESV *contumeliam pati,* sed & *pro fratribus animas ponere.* Ethnicine verba, an perfecti Christiani sunt, quæ Seneca protulit? *Ego,* ait, *amicum paro, pro quo mori possim: vt habeam quem in exilium sequar, cuius morti me opponam & impendam.*

1. Ioan. 3. *Ibidem.* *Act. 5.* *1. Ioan. 3.* *Seneca epist. 9. circa medium.*

41. Illa ergo est PERFECTIO seu Caritas perfecta, quæ peccata omnia abiecit ac purgauit; quæ amorem proprium exuit; cupiditatem carnis, superbiam, diuitiarumque sitim ac studium profligauit; voluntatem propriam iudiciumque pertinacius ablegauit; passiones omnes ita exstinxit, vt non tam impedimento sint, quàm adiumento; internos sensus externosque domuit ac composuit. Mundo post hæc nuntium remiserit oportet, omnibusque quæ mundi sunt renuntiatione perfecta valedixerit; seipsum carnemque suam abnegauerit; virtutum omnium subsidium pro virili accersiuerit; in Dei superiorumque manus & voluntatem animum mentemque purè ac integre resignauerit: paratum

Quæ sit Perfectio seu perfecta Caritas.

ratum se offerat interea Dei voluntati in omnibus obsequi ac parere, gloriam eius etiam magno suo incommodo promouere, iustitiam animarumque pereuntium salutem ardenter sitire, & pro Dei amicitia vel conseruanda, vel augenda, bona omnia temporalia, corporalia, vitamque ipsam libenter profundere. Audiamus qualem virum perfectum Patres describant; qualemque velint eam esse Caritatem, quæ nos in hac vita beet ac perficiat. Beatus Ambrosius, *Hæc*, inquit, *vita iusti, qui etiam quas habeat facultates, communes æstimare debeat, imò etiam inopibus diuidere, ac dispensare pauperibus; recidere voluptates proprias; tenuare sumptum, adhibere parsimoniam temperantiæ; sobrietatẽ tenere in prosperis, patientiam in aduersis, in dolore tolerantiam, magnanimitatem in periculis; sanitatis perpetuæ vota nescire; mortis imminentis terrore non concuti; neque eum præstantiorem non putare, cui secundùm naturam liberi, propinqui, salubritas, lætitia, affluentia redundarint, quàm cui illa defuerint; neque externis sæculi, sed virtutis domesticæ merito pensare.*

Patrum testimonia de Perfectione.

1. *Ambros. lib. 1. de Iacob & Vita beata, c. Vlt.*

Perfectorum fortitudo.

Item, *Perfecti est viri*, inquit, *communitatem naturæ sustentare animi virtute, & ad meliora adducere; nec succumbere his quæ plerisque terribilia & formidolosa videntur, sed quasi fortem militem grauissimorum casuum sustinere incursus, conflictus subire, & quasi prouidum gubernatorem nauim in tempestate regere, atque occurrendo insurgentibus fluctibus magis vitare naufragium sulcando vndas, quàm declinando. Non iste in persecutione pauidus, non in tormentis mollior, ne torquentem exasperet, sed quasi athleta fortis, qui repercutiat verberantem, si non cædis, certè sermonis flagello; qui metuenda multis tormenta despiciat, dicens, Sagittæ infantium factæ sunt plagæ eorum: qui cum grauissimo licet dolore luctetur, nec se miserabilem præbeat, sed ostendat, tamquam in laterna lumen, etiam inter asperas procellas & grauissimos flatus suam lucere, neque extingui posse, animi virtutem.* Addit idem, virum perfectum in iniurijs seipsum sustẽtare, abiecta & vilia non curare, in misera captiuorum sorte viles animos non induere, sed verbo & exemplo aliorũ flagitia instar iudicis reprehendere: eum etiam omnes à malo abducere, ad bonum impellere, incolumitatem corporis & vniuersas res terrenas aspernari; virtutes diligere, proprias voluntates rescindere, & ipsam mortem non timere.

Psal. 63.

2. *D. Ephræm lib. de extremo iudicio, & compunctione cordis, circa medium.* *Caritatis miræ laudes.*

42. D. Ephræm copiosè ac piè hanc rem prosequitur, ita Deum alloquens: *Beatus vir qui te ex toto corde & animo dilexerit; mundumq́; istum, & quæcumque in eo sunt, detestatus fuerit, vt te solum Dominum, verè sanctum, pretiosam margaritã, vitæ thesaurum, Deum cuius nulla est satietas, possideat. Si ergo quis sic Deum sincerè diligit, nequaquã in terris est eius cogitatio, sed sursum semper, vbi & diligit, & desiderat, & sitit anima vt perfruatur. Inde & dulcedinem sentit, & illuminatur, & perpetua dulcedine Amoris Dei satiatur. Verè etenim gaudio atque dulcedine plena est Dilectio Dei; & beatus ille qui gustauerit eam,*

eam, nec est exsatiatus ab ipsa. Sed quis eam, putas, dignè explicare poterit? Paulus Apostolus, qui gustauit eam, & satiatus est ex ea, sic proclamat & dicit: Rom. 8. *Neque altitudo, neque profundum, neque ipsa vita, neque mors futura, neque cuncti Angeli, neque Principatus, neque Potestates, neque creatura alia, neque quæcumque alia simul poterunt animam separare à Caritate Dei, quæ gustauit dulcedinem eius.* Hucusque sanctus hic Pater expressit officium Caritatis hominem demulcentis, suoque incredibilis dulcedinis fructu perfundentis. De altero sic persequitur: *Delicatum ac molle vinculum est Dilectio Dei, & tamen gladius anceps eam scindere non potest.* Idem ibidem. *Dissecuerunt tyranni membra sanctorum martyrum, Caritatem autem eorum nequaquam dissecare potuerunt. O molle & dulce Caritatis Dei vinculum, admirationis & miraculi verè plenum, quod nec incidi nec dissolui potest! gladius eam non discindit, neque ignis exsoluit. Membra secabantur, sed Caritas non secabatur: membra comburebantur, at vincula Caritatis non dissoluebantur: demergebantur rursus in profundum corpora Sanctorum, Caritas autem eorum nullo vmquam modo demergi potuit. Ligabantur iterum Sanctorum membra, verùm Caritas in ijs prorsus ligata non est.*

43. D. Augustinus de operante Caritate ita luculenter: *Excusationem in Dei iudicio non habebitis, nisi vos in bonis operibus exercueritis, & eorum, quæ audistis, tamquam pluuiæ fructum congruum dederitis. Fructus congruus opera bona, & sincera Dilectio, non solùm fratris, sed & etiam inimici. Supplicem nullum spernas; & cui dare non potes quod petierit, non eum spernas. Si potes dare, da; si non potes, affabilem te præsta. Coronat Deus intus voluntatem, vbi non inuenit facultatem. Nemo dicat, Non habebam: Caritas non de sacello erogatur; quia quidquid dicimus, & quidquid diximus, & quidquid dicere poterimus, vel nos, vel qui post nos, vel qui ante nos, non habent finem, nisi Caritatem; quia* [a] *finis præcepti est Caritas.* & alio [b] loco: *Potes mihi dicere, Non habeo quod tribuam egenti, non possum ieiunare frequenter, & à vino & à carnibus abstinere non possum. numquid potes mihi dicere Caritatem te habere non posse?* Et hæc quidem de communibus operibus, de arduis verò sic ait: *Caritas in aduersitatibus tolerat, in prosperitatibus temperat; in duris passionibus fortis, in bonis operibus hilaris, in tentatione tutissima, in hospitalitate latissima; inter veros fratres lætissima, inter falsos patientissima; in Abel per sacrificium grata, in Noë per diluuium secura, in Abrahæ peregrinationibus fidelissima, in Moyse inter iniurias lenissima, in Dauidis tribulationibus mãsuetissima; in tribus pueris blandos ignes innocẽter exspectat, in Machabæis sæuos ignes fortiter tolerat; casta in Susanna erga virum, in Anna post virum, in Maria præter virum; libera in Paulo ad arguendum, humilis in Petro ad obediendum, humana in Christianis ad confitendum, diuina in Christo ad ignoscendum.*

3.
D. August. in Psal. 103. serm. 1. in fine, tomo 8.
Neminem excusari posse ab operibus Caritatis.
a 1. Tim. 1.
b Lib. 50. homil. 6. tomo 10.
Tract. de laud. Carit. qui in edit. Plant. est 39. inter ser. de tempore.

44. [c] Audiamus Chrysostomum in hoc argumento triumphantem; qui explicans illa verba, [d] *Diliges proximum tuum sicut teipsum,* post multa

c 4.
Chrysost. hom. 32. in 1. Cor. 13. post medium.
d Matth. 22.

præclara ait: *Propterea perfectæ in ipsum Caritatis signum esse dixit, proximum diligere. Si enim, ô Petre, inquit, diligis me plus his, pasce oues meas. Vidisti quomodo rursus hîc quoque tacitè significarit hoc esse maius martyrio. Siquis enim haberet dilectum filium, & pro quo vel ipsam daret animam, deinde quispiam patrem quidem amaret, filium autem minimè attenderet, patrem valde irritaret, si neque sui sentiret Dilectionem propter contemptum filij. Si autem in patre & filio hoc accidit, multo magis in Deo & hominibus. Deus enim est amantior & beneuolentior quàm omnes homines.* & infrà: *Propterea cùm dixisset primum & magnum mandatum, Diliges Dominum Deum tuum; subiunxit, Secundum autem; & non siluit, sed addidit, eius simile, Diliges proximum tuum sicut teipsum. Vide autem quomodo cum eadem ferè exuperatione eam quoque exigit: nam de Deo quidem dicit, Ex toto corde tuo; de proximo autem tuo, Sicut teipsum; quod perinde est atque, Ex toto corde tuo. nam si hoc exactè seruaretur, non esset seruus, non liber; non princeps, non qui pareret principi; non diues, non pauper; non paruus, non magnus; non diabolus vmquam esset cognitus.* & assurgens in laudes Caritatis subiungit: *Ea est muro fortior, adamante firmior ac durior; eam non vincunt diuitiæ, non paupertas: imò verò non esset paupertas, non immodica diuitiarum copia, si esset Caritas; sed ea sola, quæ ex vtrisque sunt bona: nam & perciperemus eam, quæ ex illis existit, abundantiam; &, quæ ex hac oritur, curarum & solicitudinum vacuitatem; & neque curas diuitiarum neque paupertatis metum sustineremus. Et quid dico lucra quæ ex ea fiunt? nam ipsum per se diligere, cogita quantum sit, quantam adferat lætitiã, in quàm magna gratia constituat animam. quod quidem est eius eximium: nam aliæ quidem partes virtutis, laborem habent coniunctum, vt ieiunium, temperantia, vigiliæ inuidiam, cupiditatem, contemptum; Caritas autem cum lucro & multam habet voluptatem, & nullum laborem; & sicut bona apis, quæ vbique sunt bona colligens, ea deponit in anima eius qui diligit; &, siquis seruiat, libertate iucundiorem reddit seruitutem: nam, qui diligit, non tam lætatur si imperet, quàm si ei imperetur, etiamsi imperare sit iucundum; sed ipsa transmutat rerum naturam, & accedit habens omnia bona in manibus; quauis matre mitior, quauis Regina locupletior; & quæ sunt laboriosa, leuia facit & facilia; virtutem quidem facilem, acerbissimum autem nobis reddens vitium.* Quibus verbis sanctus Doctor pæne partes singulas complexus est, quas de laudibus perfectæ Caritatis deduximus. Sed pergit vlteriùs, & hominem Caritate præditum, seu perfectum, non ampliùs hominem, sed Angelorum simillimum esse denuntiat. *Vidisti*, inquit, *quemadmodum Angelum, suum alumnum paulatim facit Caritas? Quando enim fuerit ab ira remotus, & ab inuidia mundus, & liber ab omni tyrannica animi perturbatione, traductus est etiam ad ipsam Angelorum impatibilitatem.*

Caritatem maiorem esse martyrio.

Idem ibidem.

Hom. 33. in 1. Cor. 13. ante medium.

Homo perfectus Caritate similis Angelis.

Beatus Gregorius in eandem ſententiam virum perfectum ita de- 5.
pingit: *Ille verè perfectus eſt, qui erga imperfectionem proximi impatiens* *Greg. lib. 5. Moral. cap. 14.*
non eſt: nam qui, alienam imperfectionem ferre non valens, patientiam deſerit, ipſe ſibi teſtis eſt, quòd perfectè necdum proficit; hinc in Euangelio Veritas dicit, In patientia veſtra poſsidebitis animas veſtras. Quid eſt enim *Luc. 21.* *animas poſsidere, niſi perfectè in omnibus viuere, cunctis mentis motibus ex virtutis arce dominari? Qui igitur patientiam tenet, animam poſsidet: quia inde contra aduerſa omnia fortis efficitur, vnde ſibi & ſeipſum vincendo dominatur. Et quo ſe laudabiliter frangit, infractum ſe fortiter exerit: quia cùm in ſuis ſe voluptatibus ſuperat, ſeſe ad contraria inuictum parat.*

45. D. Bernardus ſcribens ad Henricum Senonenſem Archiepiſcopum, docet eum in quo PERFECTIO conſiſtat, quam ad Epiſcopatum conferre neceſſe ſit. *Verùm*, ait, *quantalibet venuſtate ſui caſtitas eminere appareat, ſine Caritate tamen nec pretium habet, nec meritum.* 6. *D. Bernardus epiſt. 42. lõgius poſt initium.*
Nec mirum: quod enim bonum abſque illa ſuſcipitur? fides? ſed nec ſi montes transferat. Scientia? ſed ne illa quidem quæ lingua loquitur Angelorum. Martyrium? Nec ſi tradidero, inquit, corpus meum ita vt ardeam. *1. Cor. 13.* *Nec abſque illa quodlibet bonum ſuſcipitur, nec cum illa quamlibet exiguum reſpuitur. Caſtitas ſine Caritate lampas eſt ſine oleo: ſubtrahe oleum, lampas non lucet; tolle Caritatem, caſtitas non placet. Sed ô quàm pulchra eſt (vt Sapiens clamat) caſta generatio cum Caritate! cum illa, inquam, Caritate, quam deſcribit Apoſtolus de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta.* *Sap. 4.* *1. Tim. 1.* *Porrò puritas cordis in duobus conſiſtit: in quærenda Dei gloria, & vtilitate proximi; vt in omnibus videlicet actis ſuis, vel dictis, nihil ſuum quærat Epiſcopus, ſed tantùm aut Dei honorem, aut ſalutem proximorum, aut vtrumque. Hoc enim agens, implebit non ſolùm Pontificis officium, ſed & etymologiam nominis, pontem vtique ſeipſum faciens inter Deum & proximum. Pertingit pons iſte vſque ad Deum, ea fiducia, qua non ſuam, ſed illius gloriam quærit: pertingit vſque ad proximum, illa pietate, qua & ipſi, non ſibi, prodeſſe deſiderat.*

46. Denique Diuus Thomas, cùm PERFECTIONEM in Caritate conſtituendam eſſe definiuiſſet, qua id ratione fiat ſubiunxit, 7. *D. Thom. lib. de perfect. vitæ ſpirit. cap. 2.*
dicens: PERFECTIONE *circa Caritatem principaliter conſiderata, planè accipi poteſt in quo* PERFECTIO *ſpiritualis vitæ conſiſtat. Sunt enim duo præcepta Caritatis; quorum vnum pertinet ad Dilectionem Dei, aliud autem ad Dilectionem proximi. Quæ quidem præcepta ordinem quendam ad inuicem habent ſecundùm ordinem Caritatis. Nam id quod principaliter Caritate diligendum eſt, eſt ſummum bonum, quod nos beatos efficit, ſcilicet Deus: ſecundariò verò diligendus eſt ex Caritate proximus, qui*

nobis quodam socialis vitæ iure coniungitur in beatitudinis perceptione vel participatione. vnde hoc est quod in proximo ex Caritate debemus diligere, vt simul ad beatitudinem perueniamus. Hunc autem ordinem præceptorum Caritatis Dominus in Euangelio ostendit, dicens: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua; hoc est maximum & primum mandatum. Secundum autem simile est huic: Diliges proximum tuum sicut teipsum. Primùm igitur & principaliter consistit spiritualis vitæ PERFECTIO *in Dilectione Dei; vnde Dominus ad Abraham loquens dicit: Ego Dominus omnipotens; ambula coram me, & esto perfectus. Ambulatur autem coram Deo non paßibus corporis, sed affectibus mentis. Secundariò verò consistit spiritualis vitæ* PERFECTIO *in proximi Dilectione; vnde Dominus cùm dixisset, Diligite inimicos vestros, & plura subiunxisset, quæ ad Dilectionē proximi pertinent, concludit in fine: Estote ergo vos perfecti, sicut & Pater vester cælestis perfectus est.*

Matth. 22. *Genes. 17.* *Matth. 5.*

CAPVT XXXIV.

Quibus operibus PERFECTIO *acquiratur.*

Lib. 2. de finib. circa medium. *Voluptatis seu Perfectionis descriptio.*

CLEANTHES, vt refert Cicero, tabulam verbis pingere solebat. *Iubebat eos, qui audiebant, secum ipsos cogitare pictam in tabula voluptatem, pulcherrimo vestitu, & ornatu regali, in solio sedentem; præstò esse virtutes, vt ancillas, quæ nihil aliud agerent, nullum suum officium ducerent, nisi vt voluptati ministrarent, & eam tantùm ad aurem admonerent (si modò id pictura intelligi posset) vt caueret, ne quid perficeret imprudens, quod offenderet animos hominum, aut quidquam è quo oriretur aliquis dolor. Nos quidem virtutes sic natæ sumus, vt tibi seruiremus, aliud negotij nihil habemus.* Hæc ille. Nos nacti sumus tabulam pulcherrimam perfectæ Caritatis, Reginæ virtutum; à qua voluptas vera & solida, auctore D. Augustino, separari non potest: videndum est quibus ancillis stipari, ornari, augerique debeat; quid illi hæ consulere, quid suggerere; ne quid committat, quod oculos Dei hominumque offendat, dolorque solutæ cum Deo amicitiæ oriatur. Dicendum ergo est, quibus operibus PERFECTIO acquiratur. *Sunt verò opera in triplici differentia: quædam natura sua bona, quædam mala, quædam à Doctoribus indifferentia vocantur.*

D. Thom. 1. 2. q. 18. a. 1. & 8.

Peccata mortalia soluere Dei amicitiā.

2. Illud in primis extra aleam est, opera mala non modò idonea non esse vt gratiam augeant, ac PERFECTIONEM promoueant; sed ea etiam omnem PERFECTIONIS harmoniam soluere ac conuellere, præsertim si ex ijs esse censeantur, quæ peccata letalia vocantur: est enim peccatum mors animæ, pestis virtutum, amicitiæ dissociatio,

quæ ſeparat à Deo, theſaurizat iram in die iræ, filios facit perditionis
& damnationis, & (vt ait Baſilius explicans illud Pſalmi, *In cathedra* *In Pſal. 1.*
peſtilentiæ non ſedit) velut peſtis proprium dominum, & quoſcumque attigerit,
in exitium præcipitat. hinc Salomon: *Impius facit opus inſtabile*. Ruet *Prou. 11.*
ſanè, non ſtabit, breui concidet, ſicut & dominus eius, etſi turribus
ac machinis ingentibus fulciatur. *Vidi*, ait Rex pius, *impium ſuperexalta-* *Pſal. 36.*
tum, & eleuatum ſicut cedros Libani: & tranſiui, & ecce non erat. Turris
Babel magno faſtu ac pertinacia ædificari cœpta, altiúſque prouecta
eſt; ſed momento à ſpe cuncti exciderunt. Sic & qui in mendacio ſpem
ponunt, eorum opera tot ſumptibus, tot laboribus exquiſita, tandem
aliquando corruent, aut euaneſcent in auras; vnde Iſaias: *Væ impio in* *Iſaiæ 3.*
malum; retributio enim manuum eius fiet ei.

3. Sunt & alia opera, quæ nec mortem adferunt animæ, nec diuinæ *Peccata venialia obeſſe Perfectioni.*
Legi directè obſiſtunt; diſponunt tamen ad mortem, & amicitiæ tene-
ritudinem ac familiaritatem minuunt, curſum ardoremque impe-
diunt, Deoque mirum in modum diſplicent. quod ita D. Auguſtinus *Epiſtola 108. tomo 2.*
teſtatur: *Illa quæ humanæ fragilitati, quamuis parua, tamen crebra ſubrepunt,*
ſi collecta contra nos fuerint, ita nos grauabunt & oppriment, ſicut vnum ali-
quod grande peccatum. Quid enim intereſt ad naufragium, vtrùm vno grandi *Simile.*
fluctu nauis operiatur & obruatur, an paulatim ſubrepens aqua in ſentinam, &
per negligentiam derelicta atque contempta, impleat nauim, atque ſubmergat?
Non vult autem D. Auguſtinus omnia illa peccata venialia vnum effi- *Lib. de vera & falſa pœnitentia, cap. 8. qui Aug. tribuitur, tomo 4.*
cere mortale: ſed ſicut (verbi gratia) letalis aliqua delectatio breuiſſimo
ſpatio concepta hominem opprimit, ſic & ſenſim exiles collectæ ſalu-
tem hominis demergunt atque opprimunt, & ad conſenſum trahunt.
Addit Auguſtinus: *Non enim conſiderandum eſt quid fecerit, ſed quem offen-*
derit; quàm bonus, quàm benignus, quàm pius, quàm propitius eſt, qui illum
ſua dulcedine & pietate creauit ex nihilo; qui illum abſque merito perduxit ad
baptiſmum, & educauit & nutriuit tamquam filium; ad cuius commodum crea-
uit cælum & terram, & omnia quæ in eis ſunt; cui ſeruiunt omnia tamquam filio;
cui miſit Angelum in auxilium; propter quem fortem & callidum debellauit ho-
ſtem eius antiquum; propter quem tam multiplicia pati ſuſtinuit, vt mereretur
filium cum quo dignatur habere conſortium; qui Deus maieſtate ſua regit & gu-
bernat omnia propter eum poteſtate ſua. Talem patrem offendere, contra eius vo-
luntatem aliquid cõmittere, animaduertentibus ac ſe non ignorantibus quàm eſt
crudele! Hæc Auguſtinus. Non ergo hæc opera idonea ſunt inſtrumen-
ta acquirendæ PERFECTIONIS, ſed contrà eam ſenſim commi-
nuunt frequenti lapſu ac concuſſione, & ad omnimodam diſſolutio-
nem diſponunt: & quamuis Caritatem arctamque cum Deo coniun-
ctionem penitus non conuellant, nec ideo Caritatis virtutumque
opera ſua dignitate careant; ea tamen obnubilant, animæque notam
in-

Simile. inurunt, & feruorem operationis extinguunt: vt si quis amicum verbulo pungat, vel extrema acinacis acie vestem perforet, is inimicus statim non redditur; tamen si id sæpius & de industria fiat, non solùm non placebit, sed eidem admodum molestum ac tædiosum erit: molestiæ enim importunæ, idoneæ non sunt ad conciliandam augendamq; amicitiam. Hoc in amicitia diuina vsu venire solet, cùm aut verbo aut facto aduersus clementissimum Dominum, præsertim data opera, vel magna incuria, ea agimus, quibus eius bonitate abuti videamur.

Opera mortua nihil iuuare ad Perfectionem assequendam. 4. Alia opera sunt, quæ etsi bona censeantur, quia tamen vita carent, & à Doctoribus mortua dicuntur, vim non habent vt PERFECTIONEM promouere, & ad eam assequendã quidquam præstare valeant. Ea sunt, quæ ab ijs efficiũtur, qui in statu letalis peccati versantur. Deus enim primùm omniũ quis sit, qui opus præstat, considerat: qui si hostis fuerit, nullo modo idoneum reputat, qui præmium aliquod mereatur. hinc Ecclesiastes: *Qui in vno peccauerit, multa bona perdet.* Isaias quoque, *Ecce*, ait, *non est abbreuiata manus Domini vt saluare nequeat, neque aggrauata est auris eius vt non exaudiat; sed iniquitates vestræ diuiserunt inter vos & Deum vestrum, & peccata vestra absconderunt faciem eius à vobis ne exaudiret.* Nulli deinde promisit Deus gratiæ augmentum, præterquam amicis, & Caritate munitis, quibus solis æternam retributionem pollicetur. *Qui diligit me*, ait Christus, *diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum.* &: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Reposita est mihi corona iustitiæ*, ait Paulus, *quam reddet mihi Dominus in illa die, iustus iudex: non solùm autem mihi, sed & ijs qui diligunt aduentum eius.* denique D. Iacobus: *Beatus vir qui suffert tentationem; quoniam, cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se.* His ergo solis Deus gratiæ augmentum, quæ æterno præmio compensetur, repromittit, qui in eius amicitia sunt & perseuerant: at qui peccatis inquinatus est, Caritatem ablegauit: non potest igitur gratiam augere, cùm eam non habeat; nec quidquam mereri, cùm subiectum ipsum, gratiæ augmenti incapax sit, quàm diu in eo Dei aduersarius iuratus sedem fixerit. Nemo ergo fallatur existimans se perfici posse, etiamsi opera maximè faciat heroica, quandoquidem Apostolus dicat: *Si linguis hominum loquar & Angelorum, si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum ita vt ardeam, Caritatem autem non habuero, nihil mihi prodest.*

(Eccle. 9. — Isaia 59. — Ioan. 14. — Matth. 5. — 2. Tim. 4. — Iac. 1. — 1. Cor. 13.)

Opera mortificata non prodesse ante recõciliationem. 5. Huc referri debent opera quædam non vtique mortua, id est, quæ à mortuo homine fiunt, sed à viuo quidem, qui deinde vitam spiritualem superueniente peccato extinxit, omniaque simul opera ætatis præteritæ, quantumcumque eximia, oppressit. *Simile.* Vt enim soluta amicitia beneficia omnia, quæ amici mutuis officijs vltro citroque contulerunt

runt aut reddiderunt, ad aliquid obtinendum ab altero vel nihil prosunt, vel sæpe etiam obsunt plurimùm: ita & qui à prima ætate diuinis beneficijs ad sublimem aliquem Caritatis gradum prouectus est, si ab excellenti illo vertice ingratus ruat, non est quòd existimet sanctitatem præteritam sibi posse patrocinari ad Dei augendam gratiam, nisi primùm redeat in gratiam, & summa humilitate infimisque precibus perditam gratiam recuperet. hinc Propheta: *Etiamsi dixero iusto quòd vita viuat, & confisus in iustitia sua fecerit iniquitatem; omnes iustitiæ eius obliuioni tradentur, & in iniquitate sua, quam operatus est, in ipsa morietur.* Ezech. 33. Nihil ergo prosunt, imò obsunt maximè, primùm opera letalia, quæque ad mortem disponunt; nec etiam prosunt mortua, nec denique ea quæ mortificata vocantur.

6. Verùm quid de indifferentibus seu medijs, quæ modò rectè, modò malè fieri possunt? vti res quædam indifferentes esse dicuntur. Tale quid est nasci, mori, diuitias possidere, esse sano corpore, honorari, edere, bibere, ambulare, quæ ex specie sua & obiecto indifferenter se habent, quia obiectum ex se bonitate caret, vel malitia: ideo euentus & effectus similes eidem respondent. Bene natus est Christus, bene B. Virgo Maria, bene D. Ioannes Baptista, in quorum natiuitate multi gauisi sunt; malè verò Iudas: *bonum* enim *erat ei, si natus non fuisset homo ille.* [a] *Pretiosa mors sanctorum,* [b] *peccatorum pessima.* Bonum Iobo fuit opulentum esse; diuiti Epuloni damnabile. *Qui ambulat simpliciter, ambulat confidenter:* maledictus verò qui abijt in consilium impiorum.

Res quasdam indifferentes inueniri.

Matth. 26.
a Psal. 115.
b Psal. 33.
Prou. 10.
Psal 1.

7. Hoc etsi verissimum sit, non tamen ideo, dum agimus & operamur, actio nostra indifferens est, id est, nec bona, nec mala: sicut homo ex specie sua nec bonus est, nec malus; nullus tamen nascitur aut viuit, qui non sit bonus vel malus, iustus vel iniustus, ex condicione accessoria. Ita accidit operibus nostris, quæ ex obiecto vel specie indifferentiam habent, ex circumstantia tamen variantur: est enim doctrina D. Thomæ, circumstantiã actus naturam sæpe immutare; & sine circumstantijs agere non possumus: vnde quod ex obiecto malitiam aut bonitatem non continet, eidem à condicione aliqua accedente tribuitur. Quia verò bonum ex integra causa, malum ex minima; hinc fit vt persæpe actus qui indifferentes sunt ex specie, malè fiant, eo quòd aliquid ad actus PERFECTIONEM desideretur. Quapropter huiusmodi opera apta non erunt ad augendam PERFECTIONEM, cùm ipsa perfecta in suo genere non sint, nec vllam bonitatem contineant.

Opera indifferentia ex obiecto & specie.

D. Thom. vbi suprà.

8. Atque in primis si actus fiant absque iudicio rationis, à sola imaginatione prodeuntes: quales innumeri fiunt nobis imprudentibus, vt est, oculum, pedes, manus, vel aliam corporis partem mouere, tussire,

Animales actiones nihil ad Perfectionem pertinere.

ſpuere, faciem extergere, feſtucam è terra leuare, caput fricare, naturali quodam impulſu, ratione minimè aduertente. Talis fuit actio D. Auguſtini in horto exiſtentis, quam ipſe ita deſcribit: *Denique tam multa faciebam corpore in ipſis cunctationis æſtibus, quæ aliquando volunt homines, & non valent, ſi aut ipſi membra non habeant; aut ea vel colligata vinculis, vel reſoluta languore, vel quoquo modo impedita ſint. Si vulſi capillum, ſi percuſſi frontem, ſi conſertis digitis amplexatus ſum genu, quia volui feci.* Hæ actiones nec bonæ ſunt, nec malæ: nec mirum; nam morales non ſunt, vel humanæ, cùm à ratione aduertente minimè procedant, nec teneatur homo ſemper intendere vt eas impediat, vel dirigat ad finem aliquem honeſtum, niſi loci vel negotij circumſtantia aliud exigat, vt ſtatim dicemus. Quare & has à PERFECTIONIS obſequio meritò remouemus, quandoquidem à belluarum actionibus parum diſcrepare videantur.

Lib. 8. Confeſ. cap. 8.

Opera indifferentia varijs caſibus in malis eſſe habẽda.

9. Addo, vtplurimum indifferentes quas vocant actiones in malis reputari, & nominatim in tribus operationum generibus, quibus ſine honeſto fine operamur: multa enim agimus, multa prætermittimus, non alio fine, quàm quia placeat, aut quia licitum ſit; ſeu quòd non teneamur aliquid agere, vel etiam omittere: denique quia idipſum delectabile ſit, ideo proſequimur; quia verò voluptate careat, abijcimus. Addo id quoque verum eſſe, quotieſcumque actio ex natura ſua, aut ex circumſtantia, nulla prorſus honeſtate prædita eſt. Hæ namque actiones etſi turpitudinem alicuius peculiaris peccati non inuoluant, malæ tamen reputantur, quòd ſine debito ſpolientur, fiantque inanes & otioſæ, de quibus Dominus dicit rationem eſſe reddendã in die iudicij. Quid enim eſt verbum otioſum? Si D. Baſilio credimus, illud eſt, *quod non conducit ad propoſitam vtilitatem*; ſi D. Hieronymo, *quod ſine vtilitate loquentis dicitur, & audientis*; ſi D. Gregorio, *quod ratione iuſtæ neceſſitatis, aut intentione piæ vtilitatis caret*; ſi Tertulliano, *quod vanum & ſuperuacaneum eſt*. Quapropter verbum otioſum prauum eſt. Cur ita? Quia inutile, ſuperuacaneum; quia caret debito fine. atqui hæc voluntas agentis, quia placet, quia nolo, quia non teneor, quia hoc delectationem adfert, inutilis eſt, & debito fine caret; caret iuſtæ neceſſitatis ratione, ac intentione piæ vtilitatis: praua ergo dicenda eſt; & eo maximè, quòd humana regula non regatur: eſt enim contra rectam rationem, metiri actiones ſuas norma voluntatis ratione deſtitutæ; tales verò ſunt illæ actiones quæ fiunt quia placet, quia licet, id eſt, quia non teneor vitare. Delectatio quoque finis eſſe non poteſt actionum, cùm in ea bonitas nulla ſit, ſed ab actione, à qua generatur, mutuari debeat. Hæc deinde agendi ratio excludit diuina conſilia, illiſque repugnat; quod vitio carere non poteſt. Sit aliqua Religio cuius regulæ ad peccatum

Matth. 12.
In Regul. breu. interrog. 23.
In c. 12. Matth.
Lib. 7. Moral. cap. 25.
Lib. de patient.

catum non obligent: si ad orationem pulsus detur, si ad mensam, si ad Capitulum, atque illud exequi prętermittam solùm quia id licitum est, vel nulla lege obligante teneor, quis id ferendum putabit? Omnes sine ratione facient quod volent, quia non tenentur: quod omnino inordinatum est, & peccatum; quia illa positiua nolitio aut omissio caret fine debito, caret regula, caret duce ac ratione, cuius est, quemque actum suum ad finem dirigere. Alia ratio est in pura omissione: nam licet ad puram omissionem nulla requiratur ratio cur quis quippiam omittat, verbi gratia, ire ad Capitulum cùm pulsatur; tamen ad exercendum actum positiuum, qualis est, velle omittere orationem, nolle interesse Capitulo, etiam sine scandalo, semper oportet habere obiectum rectæ rationi conueniens. Ex quibus colligitur, actum ex specie & obiecto indifferentem, in particulari esse malum; quòd fine priuetur meliore, ac debito regulaque careat necessaria, quamuis habeat & suum esse specificum, & omnes circumstantias necessarias ad suam indiuiduationem: sicut actus ille Caritatis, quo quispiam dat indigenti communiter, prætermisso eo qui extrema necessitate laborat, malus est defectu ordinis non seruati. manet quidem esse specificum cum omnibus circumstantijs ad specificationem necessarijs; deest tamen aliquid quod actum vitiat, nempe defectus ordinis requisiti. Sic & in quæstione præsenti solus defectus actum vitiat. hæc enim malitia, quæ in tali actu reperitur, non oritur ex vi solius speciei; nam sic ab eo numquam posset separari: sed ex eo quòd actus careat debito fine; quod illi est accidentarium, & ideo species eius manet indifferens: actus enim indifferens honestatem & bonitatem non habet; illud namque indifferens dicitur, quod bene vel malè fieri potest: ergo actus ille ex natura sua caret bonitate; si enim nec ab obiecto intrinseco nec ab alio bonitatem accipiat, ergo bonus non est, sed otiosus. vt bonus sit, mutuari debet honestatem à circumstantia, & maximè à fine; quem bona voluntas ductu rationis tamquam honestum appetat: fit enim finis ille tum demum forma actionis, & obiecti locum supplet, mouetque voluntatem ad agendum, & actui bonitatem suam impertit. Quare tribus dictis casibus si actiones ad finem honestum non referantur, nullo modo bonæ dici poterunt: imò vitiosas esse has operationes, sic exploratum haberi debet, vt contrarium probabilitate careat.

10. D. Thomas[a] vlteriùs graditur, & inter vitia reputat, (etsi[b] nonnulli aliter sentiant) deliberato animo, nullo alio fine honesto proposito, vitam longiorem, sanitatem roburque corporis appetere, honores & diuitias assumere, anhelareque ad cibum & potum, & his similia, tantùm quia naturæ conducunt; illaque omnia inordinata esse, mala, & peccata, omnino statuit. Inordinatum namque est, hominem ad ope-

a 1.2. q.18. a 9.
b D. Bonau. in 2. dist. 41. q.3. a. 1. & alij, Scotus, Ocham.

Bonum natura non posse esse regulam actionũ nostrarum, malumq; esse aliquid agere quia id natura appetit.

ope-

operationes suas aliam normam adhibere, quàm rectæ rationis iudicium: quod non adhibet, qui tantùm naturæ appetentiæ satisfacit; sed illam ipsam appetentiam, bonumque naturæ conueniens, rationis loco reponit: quod actuum humanorum regula recta esse non potest. Et sicut is qui bonos oculos habet in capite, attamen iter faciens illos claudit, aut allidit sese, aut certè euidenti se periculo exponit collisionis; ita & qui rationis lumine præditus est, nec eo vtitur cùm debet, aut impinget, aut certè periculo errandi ac peccandi se exponet: sicque velle posset quod honestum non est; eoque tẽpore seruare vitam, cùm illam tenetur exponere; comedere vbi alienum ederet. Quàm multa natura requirit, quæ si priuato loco, laudabiliter; si publico, inciuiliter egeris! alioquin cur Apostolus clamat: *Numquid domos non habetis ad manducandum & bibendum? aut Ecclesiam Dei contemnitis?* Natura irritata pruritu animalculi postulat vt caput frices, illud eductum è collo interficias; at hoc in sacrificio feceris? Ratio certè dictat non esse faciendum, at naturæ bonum id exigit. Propinatur tibi vinum siti corpore æstuante, cur bibis? Quia sitio. At febri laboras. Natura non iudicat rectène fiat, an secus; sed an bonum illi sit, quod concupiscit, rationis iudicium debet accedere, quod quid expediat tempore & loco decernat. Hinc D. Bernardus scribens ad Eugenium: *Spiritualis* (inquit) *homo ille qui omnia diiudicat, vt ipse à nemine diiudicetur, omne opus suum trina quadam consideratione præueniet: primùm quidem an liceat, deinde an deceat, postremò an expediat. Nam etsi constet in Christiana vtique philosophia, non decere nisi quod licet, non expedire nisi quod decet & licet; non continuò tamen omne quod licet, decere aut expedire consequens erit. Agè, aptemus, si possumus, tria ipsa operi huic. At quomodo non indecens tibi voluntate pro lege vti, &, quia non est ad quem appellaris, potestatem exercere, negligere rationem? túne maior Domino tuo, qui ait, Non veni facere voluntatem meam? Quamquam non minùs deiecti quàm elati animi est, velut rationis expertem non pro ratione, sed pro libitu agere; nec iudicio agi, sed appetitu. Quid tam bestiale? & si indignum cuiuis vtenti ratione viuere vt pecus, quis in te rectore omnium tantam contumeliam naturæ, honoris incuriam ferat? Sic degenerando (quod absit) generale opprobrium fecisti proprium tibi? Homo cùm in honore esset, non intellexit; comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Hæc Bernardus. Ex quibus videre est, satis non esse aliquid esse licitum, vt illud agere valeas; sed rationem oportere accedere, quæ iudicet, deceátne expediátve, nec ne, quod licere sit in confesso. Ludere licet bestijs, licet & hominibus: sed ne cum Domino tuo luseris; lude cum æquali aut inferiore. Alius item ludus puerorum, alius virorum est. Et si læsa sit bellua, quærit in horto medicinam: licet & homini chirurgum accedere; quid si maleficus sit? Idem argumentum pertractat D. Paulus scribens

Simile.

1. Cor. 11.

Lib. 3. de consid. cap. 4.

Ioan. 6.

Psal. 48.

ſcribens ad Corinthios. *Non ſum*, ait, *liber? non ſum Apoſtolus? numquid non habemus poteſtatem mulierem ſororem circumducendi? Si nos vobis ſpiritualia ſeminauimus, magnum eſt ſi nos carnalia veſtra metamus? Sed non vſi ſumus hac poteſtate: ſed omnia ſuſtinemus, ne quod offendiculum demus Euangelio Chriſti. Neſcitis quoniam qui in ſacrario operantur, quæ de ſacrario ſunt edunt; & qui altari deſeruiunt, cum altari participant? Ego autem nullo horum vſus ſum. Quæ eſt ergo merces mea? Vt Euangelium prædicans, ſine ſumptu ponam Euangelium; vt non abutar poteſtate mea in Euangelio. Omnia mihi licent, ſed non omnia expediunt: omnia mihi licent, ſed ego ſub nullius redigar poteſtate. Eſca ventri, & venter eſcis; Deus autem & hunc & has deſtruet: corpus autem Domino, & Dominus corpori. Quapropter, ſi eſca ſcandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum ſcandalizem.* At cuius eſt id iudicare? naturæne, quæ cæca eſt, & ſui amans? Addit ergo: *Omnia mihi licent, ſed non omnia expediunt: omnia mihi licent, ſed non omnia ædificant. Nemo quod ſuum eſt quærat, ſed quod alterius.* Hæc Diuus Paulus.

1. Cor. 9. *1. Cor. 6.* *1. Cor. 8.* *1. Cor. 10.*

11. Quare, quærere ſeipſum, inordinatum eſt: nam appetens quis rem ſibi conuenientem aut delectabilem, non malam; vt illa vti velit honeſtè, ordinem à natura inſtitutum ſeruet neceſſe eſt. Ea autem eſt naturæ inſtitutio, vt illam ad finem honeſtum referat; ideoque regula rationis data homini eſt, vt per eam modum ac regulam actionibus ſuis præſcribat. quòd ſi iuxta hanc naturæ inſtitutionem actiones ad finem honeſtum non referantur, ex vi regulæ rationis ſequetur appetitionem illam ordine carere, eſſe inordinatam, eſſe otioſam. Otioſam, inquam, ſicut & omnes indifferentes operationes: ſicut enim velle honeſtum in communi non pertinet ad aliquam ſpecialē virtutem; ita harum actionum malitia non ſpectat ad aliquod ſpeciale vitium, quia ipſi honeſto in communi repugnat, & ex quadam naturæ fragilitate committitur.

Dices nullum eſſe præceptum quo teneamur ſemper operari propter honeſtatem; ſatis videri, ſi nihil quod honeſtati repugnet admittamus: verumenimuero eo præcepto tenemur operari propter honeſtatem, quo tenemur ſecundùm rectam rationem; nos verò ſic obligari, hæ rationes conuincunt. Primùm, quòd ratione præditi ſumus: eſt enim ratio velut lucerna totius hominis, & omnium operationū eius. hinc Chriſtus: *Lucerna corporis tui eſt oculus tuus. Si oculus tuus fuerit ſimplex, totum corpus tuum lucidum erit: ſi autem oculus tuus fuerit nequā, totum corpus tuum tenebroſum erit.* At *nemo accendit lucernam, & ponit eam ſub modio, ſed ſuper candelabrū, vt luceat omnibus qui in domo ſunt.* Ad litteram per oculum intellectum ac iudicium rationis intelligi vult Chryſoſtomus: quare ſi oculus otioſus fuerit, nec directionis officio fungatur, (quod eſt, lucernā ponere ſub modio, aut in abſcondito) totum operis corpus

Hominem teneri operari ſecundùm rectā rationem.

1. *Matth. 6.* *Matth. 5.*

tenebrosum ac vitiosum erit; quod alioquin perlucidum euaderet. 2. Deinde tenetur vnusquisque sic operari, vt non contra rationem nitatur; ac per consequens conari ne se periculo huic exponat: exponit verò, si regulam rationis adhibere vel negligat, vel respuat; quemadmodum is errandi quærit occasionem, atque offendendi, qui aspectum oculorum, cùm proficiscitur, non adhibet. 3. Denique tenetur homo opera omnia talia reddere, quæ apta sint in Deum referri, vtque ijsdem Deo placeamus & obediamus; aliàs censentur otiosa & inutilia ad finem hominis: quod vt fiat, requiritur vt à recta ratione dirigantur, & honesta sint; id enim omne & solũ Deo placere potest, quod honesti venustate est exornatum. quare quod ait Hieronymus, *Bonum est continentia, malum est luxuria; inter vtrumque indifferens est ambulare: hoc nec bonum, nec malum est; siue enim feceris, siue non feceris, nec iustitiam habebis, nec iniustitiam:* non impugnat hanc D. Thomę doctrinam; ex obiecto enim actus ambulationis semper manet indifferens, vitiatur tamen defectu necessariæ circumstantiæ. Deinde Hieronymus non dicit indifferentem esse in indiuiduo, sed indifferens esse siue feceris, siue non: si enim omittas, non peccas; & si feceris, non facis iustitiam, quia actus ille iustitiæ non continet honestatem: si tamen alterum feceris, sic fac, vt ducem rationem sequaris. Denique non nego dari actum indifferentem inter luxuriam & continentiam, vt est virtus Christiana: nam omnes actus moraliter boni sunt indifferentes & medij inter vitium & iustitiam; & hoc ipsum est quod ait Hieronymus, & Gregorius Nazianzenus, qui docet *philosophiam Christianam agnoscere medium inter eum qui dignus est laude, & qui meretur pœnam:* quales sunt artifices, qui, vt honestè viuant, opificia exercent, & quisque mortaliũ officium sibi commissum administrat; quæ quia naturalia sunt, ad meriti dignitatem non assurgunt, ideoque coram Deo laude vel vituperio digna esse non censentur.

Hieron. epist. 89. ad August. cap. 5.

Greg. Nazian. orat. 3. quæ est 1. cont. Iulian. inuectiua, sect. 64. Versu, Ad hæc quomodo.

Ex quibus sequitur, actus quosdam esse naturales moraliter bonos; etiamsi ad finem alicuius virtutis specialis non referantur: quales sunt omnes actus laudabiles secundùm rectam rationem ab ethnicis facti, opera mechanica, rerumpublicarum administrationes, fabricæ in bonum ciuitatum erectæ, denique opera omnia quæ nos agimus, ex specie quidem indifferentia; iudicio tamen rationis fiunt ob honestatem quandam rationi consentaneam: quæ ratio finis idoneus ac sufficiens esse potest, vt actus censeatur bonus & honestus.

Alioquin si hæc omnia ad classem indifferentium referantur, non erunt laude digna. Atqui sapientes ea, quæ ex iudicio rationis fiunt, probare solent, ac meritis laudibus prædicare. Laudantur etiam qui ex lumine ac directione rationis vitam omnem instituunt, actionesque dispo-

diſponunt ac dirigunt: nihil enim ab homine aliud exigi poteſt, quàm vt rationem ducem ſequatur, & eius ductu mores actionesque componat; quod cùm facit, omnium iudicio bene facit, & laude dignus eſt.

Deinde opus aliquod vitioſum ex defectu finis vel exercitij rationis, cùm ipſa tenetur aduertere, non habet malitiam alicui virtuti repugnantem; ſed pertinet malitia hæc ad peculiare quoddam vitium complectens omnes actiones otioſas. Ita etiam actus iſti, tametſi non referantur ad finem alicuius virtutis ſpecialis, boni eſſe cenſebuntur ex vi illius honeſtatis, quam ratio ipſa, quæ homini data eſt ad agendum, illis confert.

Qui enim aliquid agit ex iudicio rationis, hic vel finem aliquem honeſtum habet actionis ſuæ, vel virtute illum intendit; vt rogatus reſponſurus ſit, ſe ob fines rationesque conceptas hoc vel illo modo vitam actionesque inſtituere: vt pater-familias operari ſe vt alat familiam, vt filios educet, vt vitam ſibi à Deo datam conſeruet; magiſtratus ſimiliter muros vrbis & ædificia excitare vt ciues muniat, externos alliciat, ciuitatemque incolis repleat.

Quapropter omnia opera hæc talia ſunt, vt, ſi accedat diſpoſitio ſubiecti, referri poſſint in finem ſupernaturalem, fierique meritoria vitæ æternæ; quamuis ex natura ſua, quia naturalia ſunt, & naturæ limites non excedunt, nouæ gratiæ æternique præmij meritoria eſſe nullo modo poſſint.

12. Hæc D. Thomæ doctrina ſtudioſis PERFECTIONIS eſt ſequenda; nam altera ſententia incuriam magnam inducit: ſi enim non tenear iudiciũ rationis adhibere exercendis actionibus, ſi nullum finem honeſtum ſpectare; quid ſupereſt, niſi vt naturæ, iuris proprij & commodorum plus ſatis tenaci & appetenti, habenas laxem, agatque quidquid velit, optet, quærat, & in ijs conquieſcat? fauet etiam plus æquo amori proprio, qui apertiores campos ſubinde non requireret ad ſectandum otium, ad laborem fugiendum, vtque à mortificationis moleſtia ſe ſubtrahat, rigorem pœnitentiæ excutiat: ea enim naturæ admodum aduerſantur. quare Chriſtus nos hortatur perſæpe: *Qui amat animam ſuam, perdet eam; & qui odit animam ſuam in hoc mundo, in vitam æternam cuſtodit eam.* & : *Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me.* Denique iubemur vigilare, dæmonis fraudibus obuiam ire, nobis attendere, ſobrij eſſe, *quia aduerſarius noſter diabolus circuit quærens quem deuoret.* At ſi operari liceat abſque rationis ductu, locum aduerſario dabimus maximè apertum, qui virtutis ſimulacrum pro vera virtute facilè obijciet, & voluptas ſub neceſſitatis pallio facilè ſeſe inſinuabit.

Ioan. 12.
Matth. 16.
Marc. 8.
Luc. 9. & 14.
1. Pet. 5.

Quapropter etſi quis à culpa eum liberet, qui innixus alteri ſententiæ

tiæ ſponte velit ſic operari, vt putet id ſibi licitum eſſe; non ideo tamen opus erit indifferens à parte rei, ſed & quodammodo cenſebitur quòd errore inuincibili laboret: vix tamen fieri poſſe videtur, vt is ſententiam ſuam reducat in praxim. Qui enim actiones ſuas ad finem honeſtum non refert, non ideo id facit, quòd exiſtimet id eſſe licitum, ſed ei hoc ex negligentia & indebito agendi modo contingit; ex quo plurimi defectus ac delicta oriuntur, ſcrupuli, conſcientiæque inquietudo. Nec is συντήρησις ferret aculeos, ſi non confeſſionis remedio ſe ab huiuſmodi næuis ac inordinatione vindicaret. Quid enim quotidie confitemur aliud, quàm incircumſpectè nos eſſe locutos, commodis indulſiſſe, appetitui morem geſſiſſe? quæ omnia idcirco nos arguunt, vel quòd ratio defuerit officio, vel finem honeſtum nacta non fuerit. S. Catharina Senenſis cùm triduo in mentis exceſſu continenter Deo adhæſiſſet, & tertio tandem die vix ſibi quodãmodo reddita, fuiſſet rogata à duobus Dominicanis Patribus num vellet ſecum ſolitarium quendã virum ſanctitate florentem inuiſere, ipſaque, lingua mentem præcurrente, verbo annuiſſet; tanta eam deinde pœnitentia cepit incõſiderati reſponſi, vt triduo dies & noctes à dolore ac ſingultibus non ceſſaret, haud ſecus quàm ſi nefandum aliquod crimen admiſiſſet. Nos, tanto lumine deſtituti, vitia noſtra non ſentimus aut palpamus; ideoque in puriſſimis illis mentibus tamquam in ſpeculis mundiſſimis nos maculas contueri & cognoſcere expediret.

Raymundus in vita eius, apud Surium.

Concluſio.

13. Omnis ergo operatio quæ fine debito caret, nec ratione duce regitur, otioſa eſt, nec apta ad acquirendam PERFECTIONEM. Sed quid ſi bona ſit, ſi debito fine, naturali tamen, cohoneſtetur? Exiſtimant nonnulli honeſtatem ac bonitatem actus non à fine quolibet, ſed ab vltimo deſumendam eſſe; ideoque actum nullum fore bonum, qui ad Deum tamquam finem vltimum ab operante non referatur, ſaltem virtute quadam; ideoque monuiſſe Apoſtolũ, vt omnia, quæcumque facimus, ad gloriam Dei faciamus. Nolim tamen huic ſententiæ patrocinari, & præcepta inducere, vbi nec natura, nec Deus ipſe quidquam indixit, nec etiam præcipit Apoſtolus, ſed hortatur; ſufficiens enim eſt obiectum honeſtum, vt actui tribuat honeſtatem: alioquin opera Gentilium, vel etiam Chriſtianorum qui hanc praxim ignorant, eſſent peccata; quod tamen apertè falſum eſt, & à duobus Pontificibus, Pio quinto & Gregorio decimo-tertio, damnatum. Ipſum denique opus bonum, etſi actu in finem vltimum non referatur, intrinſeca & naturali ratione tendit in Deum; tum quia eius ſanctiſſimæ voluntati conſentaneum eſt, vtpote omnis honeſtatis ſingularis amatoris; tum quia idoneum eſt ad conciliandam eius beneuolentiam, atque adeò ad ipſum ſiue naturali ſiue ſupernaturali modo promerendum.

Gregor. Arim. in 2. diſt. 26. & 38.
Bonau. ibidem diſt. 41.
1. Cor. 10.

CAPVT XXXV.

Solis Caritatis virtutumq; infusarum operibus PERFECTIONEM posse acquiri.

14. VERVM esto, non sit opus honestam actionem in Deum referri, bona ea sit & laudabilis; nihil adhuc consecuti sumus: nam intra naturæ terminos hactenus conclusi, PERFECTIONEM diuinæ Caritatis quærimus, quam naturæ vires omnes in vnum collectæ nullo modo possunt attingere. PERFECTIONE Caritatis aspiramus ad illam PERFECTIONEM, cui nihil addi potest in cælis; at proportio naturæ ad ea quæ naturam excedunt in immensum, superiorisque sunt ordinis, probari nulla potest, nec natura gratiam producere nec augere; quod initio pluribus ostendimus: quare ad opera supernaturalia recurrendum est, quæ proportionem habeant, &, vt causæ, eiusdem ordinis effectus producant. Quapropter omnes actiones humanæ ac naturales, quales sunt mercari, iurisprudentiam tractare, philosophiam aliasque scientias & artes addiscere, & in ijs excellere, rempublicam regere, eleemosynas naturali affectu tribuere, (sicut Ethnici faciunt) loqui hominum linguis & Angelorum, scire prophetias omnes, omnem scientiam possidere, veteris nouique Testamẽti mysteria omnia explicare subtilitate ingenij, montes transferre, pro honore adipiscendo, vera virtutis vmbra, (etsi vani homines virtutem arbitrentur) varia perpeti, ac ingentibus sese periculis exponere; quales fuerunt de quibus M. Tullius loquitur. *Quæ res*, inquit, *ad necem Porsenæ Q. Muciũ impulit, sine vlla spe salutis suæ? quæ vis Horatium Coclitem contra omnes hostium copias tenuit in ponte solum? quæ vis patrem Decium, qui filium deuouit, ac immisit in armatas hostium copias? quid continentia C. Fabricij, quid tenuitas victus M. Curij sequebatur? quid duo propugnacula belli Punici C. & P. Scipiones, qui Carthaginiensium aduentum corporibus suis intercludendum putauerunt?* & statim pòst: *An putamus quemquam horum cogitasse quidquam in vita sua sibi expetendum, nisi quod laudabile esse & præclarum videretur?* Hæc ille. Hæc, inquam, omnia vmbra sunt, non virtus; in naturæ limitibus hærent, Deum bonorum remuneratorem attingere non possunt.

Opera naturalia ad augendã Perfectionem minus esse idonea.

Paradoxo 1.

De hisce omnibus, & multo maioribus, *Et si tradidero corpus meum ita vt ardeam*, concludit Paulus, *nihil mihi prodest*; primùm, quia condicio fortè illa subiecti per gratiam dispositi desideratur: & quamuis nec ea desideraretur, tamen illud exploratum est, *nullum opus moraliter bonum procedens tantummodo ex naturæ viribus, & non ex imperio Caritatis, aut alte-* *1. Cor. 13.* I.

rius virtutis supernaturalis, *Caritatem aut gratiam augere posse*: sic enim
a 1.2.q.114.a.2. D. Thomas pluribus locis docet, nempe[a] *opus meritorium ex motione*
b 1.2.q.111.a.3. *Spiritus sancti procedere*; [b] *meritum esse effectum gratiæ cooperantis*; [c] *Angelos*
c 1.p.q.62.a.4.ad 2. *item non meruisse beatitudinem conuersione naturali in Deum, sed conuersione*
d 1.2.q.114.a.4. *Caritatis quæ fit per gratiam*; [d] *actus etiam nostros esse meritorios quatenus à libero arbitrio procedunt, dum per gratiam à Deo mouemur*. Hæc D. Thomas; cui reliqui Doctores suffragantur: nec ij tantùm gratiam requirunt ad huiusmodi opera propter subiecti dispositionem, sed potissimùm ob condicionem operis, quòd ex diuini Spiritus fonte depromi, & Dei auxilio produci debeat, naturamque excedere. quod Concilium Tri-
Sess. 6. cap. 16. dentinum seuero calculo comprobat, docens *ideo opera iustorum esse meritoria, quia procedũt ex virtute quam Christus vt caput in membra, & vt vitis*
Ioan. 4. *in palmites, iugiter influit*. Adfert etiam illum Ioannis locum: *Qui biberit ex aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam*. Operum sanè naturalium Deus non solet se fontem appellare, sed hoc naturæ relinquit: ex natura igitur non saliunt opera in vitam æternam.

2. Deinde palmes non potest ferre fructum à semetipso; opus igitur quod homo facit à semetipso, non est meritorium nouæ gratiæ, & gradus alicuius sublimioris Caritatis: tale namque opus non est vllo modo accommodatum fini supernaturali, cùm sit merè naturale; nec ex promissione Dei ad hoc valet, imò Dominus expresè denuntiat Dilectionem naturalem, beneficentiam in amicos, salutationem fratrum non habere mercedem, nisi fortè eam quæ in affectibus hominum est, fugacem & vmbratilem.

3. Denique non est vllo modo consentaneum optimo ordini diuinæ prouidentiæ, vt, cùm finis noster ipsaque PERFECTIO sit adeò sublimis, ac supernaturale bonum, nimirum perfecta Dei amicitia, quæ in Dei possessione cõsummabitur, pro illius assecutione Deus acceptet ea opera quæ infima sunt, neque sua natura tendunt ad illum finem, nec ab operante in gratia existente referuntur: non enim sufficit subiectum esse dignum, sed etiam in ipsis medijs seu operibus requiritur quædam proportio mediorum ad finem assequendum necessariorum.

15. Nihil ergo adhuc obtinuimus, nulla nobis instrumenta PERFECTIONIS acquirendæ adinuenimus. Quid si opera honesta sint, & quidem ex natura sua supernaturalia, referantur tamen ad finem non honestum? *Profectò nihil agimus, si scopus ille actionis finis sit*: est enim finis in humanis actibus actionis forma ac veluti anima, quæ aliud conferre non potest, quàm quo prædita est. Anima bruti facit brutum; hominis, hominem; arboris, arborem. Quare, si vestias pauperem, si doceas ignorantem, si adferas munus ad altare, si te Deo deuoueas, vel explendæ libidinis causa, vel fratris interficiendi; tantum abest vt de eis bene

Opera ex obiecto bona & supernaturalia, si ad malum finem referãtur, augendæ Perfectioni nihil prosunt.

bene merearis, vt etiam libidinoſus & homicida ſis habendus. vim enim illam habet finis, vt totam malitiam actui tribuat, etſi externus ſit actui; quia voluntas deprauata illum tamquam ſcopum cum ipſo actu copulat, & à voluntatis prauitate finiſque malitia actus ipſe inficitur; quod non fieret, ſi tantùm circumſtantia comes actui iungeretur, vt cùm laudabiliter agentibus κενοδοξίας titillatio ſeſe adiungit, & aliquid aculei in animo relinquit.

16. Verùm ſit bona actio, ſit ſupernaturalis, ab homine iuſto procedat: cenſent nonnulli, ſi quis operetur intuitu mercedis æternæ, non modò non mereri, ſed etiam perperam operari. Sed hæc reprobantur ab Eccleſia tamquam errores, vt his verbis Concilium Tridentinum *Seſſ. 6. can 31.* confutauit: *Conſtat* (inquit) *eos Orthodoxæ Religionis doctrinæ aduerſari,* *& cap. 11.* *qui ſtatuunt in omnibus operibus iuſtos peccare, ſi in illis ſuam ipſorum ſocordiam excitando, & ſeſe ad currendum in ſtadio exhortando, cum hoc vt inprimis glorificetur Deus, mercedem quoque intuentur æternam.*

Sunt & Catholici nonnulli, qui de his, qui ſpe æternæ retributionis *Operari propter æternam retributionem, vitioſum non eſſe, nec debere dici imperfectionem.* operantur, ita loquuntur, vt peccati damnare videantur; ſic deprimunt illud operationis genus, vt imperfectionem vocent: indignum nempe eſſe aliter operari, aliter ad agendum moueri, quàm Dei honore & cauſa. Interea indocti, qui hæc non capiunt, deterrentur à ſalutari conſideratione æternæ patriæ, eiuſque acquirendæ gratia torporem ac ſocordiam deſinunt excutere; moti religione quòd vel peccent, vel imperfectionem committant: cùm tamen litteræ ſacræ ad huiuſmodi *Probatur Scripturis.* præſidia, & ſpei ancoram, ad remunerationis conſiderationem neminem non inuitent. Ita D. Ioannes Baptiſta cœpit prædicationem ſuam: 1. *Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cælorum.* Imò Chriſtus *Matth. 3.* homines PERFECTIONIS ſtudioſos ſic allicit, ſic ſperare iubet: *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum.* item alibi: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt, cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* *Matth. 5.* *Luc. 16.* Simile eſt Apoſtoli præceptum: *Debet in ſpe, qui arat, arare; & qui triturat, in ſpe fructus percipiendi.* *1. Cor. 9.*

Non deſunt & Sanctorum exempla, ac in primis Dauidis ſanctiſſimi Regis dicentis: *Inclinaui cor meum ad faciendas iuſtificationes tuas in æternum, propter retributionem.* *Pſal. 118.* Septuaginta verterunt, *propter retributionem*; Hieronymus, *propter æternam mercedem.* Aliud exemplum eſt Moyſis, qui *grandis factus, negauit ſe eſſe filium filiæ Pharaonis; magis eligens affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere iucunditatem; maiores diuitias æſtimans theſauro Ægyptiorum, improperium Chriſti: aſpiciebat enim in remunerationem.* *Heb. 11.* Denique & D. Pauli verba ſunt: *Ad deſtinatum perſequor, ad brauium ſupernæ vocationis Dei in Chriſto* IESV. *Phil. 3.* Exhortationes eiuſdem Apoſtoli extant plurimæ. *Currite,* ait, *vt comprehendatis.* item: *Bonum* *1. Cor. 9.*

Gal. 6. Col. 3. *autem facientes non deficiamus, tempore enim suo metemus*. Denique: *Quodcumque facitis, ex animo operamini, sicut Domino, & non hominibus; scientes quòd à Domino accipietis retributionem hereditatis*. His accedit Cyprianus; qui, vbi docuit quæ præmia martyres in cælo maneant, subiūgit: *Has cogitationes quæ persecutio potest vincere? quæ possunt tormenta superare?* & post aliqua interiecta: *Hæc oportet mente & cogitatione complecti, hæc die ac nocte meditari. Si talem persecutio inuenerit Dei militem, vinci non poterit virtus ad prœlium prompta*. Hæc ille.

Lib. ad Fortunatum, de exhortat. mart. cap. vlt.

Expedit subinde operari ex virtute spei, & quo ordine.

17. Expedit profectò de pœnis inferni, de æterna gloria, de horrendi diei iudicij sententia meditationes instituere, & quidem frequentes; atque nunc mercedis expectatione, nunc pœnarum horrore veternum excutere. Monendi sunt etiam tirones, vt hisce virtutibus vtantur tamquam notioribus, & quæ morbis eorum conuenientiores sint. Agitantur nonnulli subinde tentationibus immundis, odij Dei, blasphemis in Deum & Sanctos, iræ perturbationibus grauissimis: hi, inquam, nullam in Deum propensam nacti voluntatem, nondum norunt vt patrem, sed vt iudicem & peccatorum vindicem reformidant: serui sunt, ideo timent, suauemque in benignissimum patrem affectum nondum sunt experti; ideoque difficillimum eis foret, filiorum instar ipsum diligere, & sua omnia eò referre. Illi sponte se subijciunt, quia Dominus est, quia serui sunt, & pœnam promeriti. quod vbi faciunt, (& vt faciant suadendum est initio) mox iuuandi erunt, vt assurgant sensim ad patris amantissimi perpendenda beneficia ac prolixam benignitatē: postmodum, vbi in vita spirituali iam prouectioribus plus luminis accesserit, plus beneuolentiæ & amoris; spem omnem mercedis exuant, seruiant expensis proprijs liberali Domino, qui nullum officium sibi præstitum præmio indonatum abire permittit.

Spei opera non esse imperfectiones.
a *Rom. 5.*
b *Rom. 8.*
c *Matth. 3.*

Spei virtus non est imperfectio, sed virtus Theologica in suo gradu perfecta; [a] *spes enim non cōfundit*, & [b] *spe salui facti sumus*: virtus humilitatis non est imperfectio, sed magna PERFECTIO, cùm in ea [c] Christus omnem iustitiam reponat: prudentia, fortitudo, iustitia, religionis cultus, parentum amor & obseruantia, non sunt imperfectiones, etsi Caritas sit perfectior; sed magnæ PERFECTIONES, etiamsi in proprio genere eliciantur. Scriptura sacra de singulis virtutibus loquens, eas ad cælum laudibus extollit, nunc fidem, nunc spem, nunc temperantiam, nunc pœnitentiam, nunc timorem, quasi tota PERFECTIO in singulis resideret: quod nobis imitandum venit, præsertim coram plerisque mulieribus, plebeijs, & tironibus, qui de summarum virtutum differentijs parum intelligunt, cùm maximè constet sacræ paginæ & sanctorū Patrum testimonijs, eas virtutes etiam PERFECTIONIS studiosis esse vsurpandas, tamquam necessarias ad socordiam excitandam,

dam, vt loquitur Concilium Tridentinum, & exhortandum ſeſe ad currendum in virtutum ſtadio. Quare non eſt indignum Chriſtiano homine, ſpei, timoris, humilitatis, pietatis, aliarumque virtutum actibus ſeſe exercere, quandoquidem & ſancti Patres nobis exemplum præbeant, & hortationes Apoſtolorum, & ratio ipſa ſuffragetur.

18. Quid ergo tandem concludemus de operibus, veriſque PERFECTIONIS inſtrumentis? Addam, nonnullos, & quidem illuſtres Doctores, cenſere, *nullum opus meritorium vitæ æternæ aut augmenti gratiæ eſſe, quod à Caritate non procedat, ſiue actu, ſiue virtute.* quod tamen valde mirum eſt, cùm Scriptura alijs virtutibus ſingulare PERFECTIONIS augmentum tribuat. *Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad iuſtitiam:* ergo fides iuſtitiam auxit. Phinees, qui zelo iuſtitiæ Madianitidem cum ſcortatore confodit, nihil meruit? nihil Ioſeph, qui domini ſui vxori ſalaci reſtitit? nihil Iudæi, quibus Paulus ſcribit: *Vinctis compaſſi eſtis, & rapinam bonorum veſtrorum cum gaudio ſuſcepiſtis, cognoſcentes vos habere meliorem & manentem ſubſtantiam; nolite itaque amittere confidentiam veſtram, quæ magnam habet remunerationẽ?* Beatos etiam Chriſtus dicit Apoſtolos, cùm homines oderint & perſecuti fuerint eos. *Gaudete,* inquit, *& exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cælis:* debet enim patientiæ ac tolerantiæ merces viatoribus dari, quia gloria beatorum, gratiæ quam è via deferimus, ad amuſſim reſpondet. Denique Chriſtus promittit mandata ſeruantibus vitam æternam, etiamſi in toto decalogo non fiat vlla mentio præcepti Caritatis: vita enim æterna, eſt merces quæ reſpondet obſeruantiæ mandatorum Dei. Non ergo tantùm opera Caritatis prœmium accipient, ſed aliarum virtutum etiam aliquid aſſequentur. At de his infrà latiùs.

Opera ſupernaturalia, etiamſi à Caritate non eliciantur, merentur augmẽtum gratiæ.

Gen. 15. & Rom. 4.
Num. 25.
Gen. 39.
Heb. 10.
Matth. 5.
Matth. 19.

19. Illud poſtremò non prætermittendum, nonnullos arbitrari gratiam non augeri, ne quidem actibus Caritatis, ſi actus habitibus ſint remiſſiores: hominem quidem tali caſu per opus illud acceptari ad maiorem gloriã, ſed externo quodammodo, non interna dignitate & proportione: denique ſolùm cenſeri maiori dignum gloria propter opus quod manet in acceptatione diuina, non autem ob internam gratiam ampliorem; quemadmodum apud Principes quiſpiam cenſetur maiori minoríve dignior compenſatione, quo plura obſequia ſuo Principi præſtiterit. Verùm opinio hæc, quod nimiùm accedat ad iuſtitiam hæreticorum imputatiuam, quæ caret interna diſpoſitione, ex qua ius ad hereditatem ac compenſationem æternam oritur, reijcienda eſt.

Melchior Canus Relect. de Pœnit. p. 1. ſub finem.

Opera augmẽtum mereri, etſi actus ſupernaturales habitus non ſuperent.

Simile.

Quapropter alij hanc difficultatem aliter exponunt: volunt enim, quando actus non ſunt feruentiores habitibus, nos gratiam quidem mereri aliquam, eandem tamen non ſtatim dari, ſed ſuo tempore, quando nempe quis fuerit diſpoſitus ſufficienter; quod accidit vbi ille

D. Thom. 2. 2. q. 24. a. 6.

actum intensiorem elicuerit. Verùm longè verius est, augmentum istud illico conferri, etsi actus remissior sit habitu: nec veretur Andreas Vega dicere errorem esse, si quis affirmet hominem in hac vita acceptari ad aliquem gradum gloriæ absque gratia gratum faciente, aut gloriam cælestem excedere gratiam viæ.

Locis diuersis, vt in Cõc. Trid. lib. 15. cap. 16.

Ratio 1. Et sanè quid impedit, quo minùs homo laudabiliter agens gratiam recipiat, etiamsi actus habitus non exæquent? Non impedit Dominus Deus, vtpote qui liberalissimus est; non etiam homo, quia capax illius est; non status huius viæ, in qua meremur gratiam & eius augmentum; non tempus, nam aptius assignari non potest.

2. Multi profectò fortè tota vita vix eliciunt actum intensiorẽ habitu: id enim factu difficillimum est, & vix sine auxilio speciali fieri potest. Quid ergo? illis numquam gratiæ fiet accessio? nihil merebuntur? Sanè hoc gratis dici videtur; quandoquidem nihil patitur Deus in sui gratiam fieri sine spe summæ compensationis; vt, *quicumque potum dederit calicem aquæ frigidæ, non perdat mercedem suam.*

Matth. 10.

3. Per quemuis deinde actum meritorium fit illico quispiam Deo carior, & acceptior ad maiorem gloriam percipiendam in cælis: sequitur ergo maiorem gratiã extemplo concedi: nam effectus formalis gratiæ is est, acceptum esse ad parem gloriam.

4. Gratis verò dicitur tunc dari gratię augmentũ, quando quis tot actus remissos fecerit, vt vni intensiori ęquiualeant: nam si cõtingeret quempiam mori ante vltimum illum actum intensiorem, vel gloriæ quantitas præpõderaret gratię habituali, vel opus meritoriũ sua mercede careret.

5. Denique gloria beatorum, hereditas filiorum est, vt ex sacris paginis constat: sumus verò per gratiam filij Dei: vbi igitur cuipiam maior debetur gloria, maior quoque gratia debet præcedere, per quam inter Dei filios magis emineat.

20. Hactenus suspensus mansit animus; videamus tandem aliquando quibus operibus virtutem augere, promouere Caritatem, PERFECTIONEM acquirere possimus: tantum laboris est, vt in hoc mundo aliquid bene recteque conficiamus. Heliogabalus Romanus Imperator, in luxu & voluptate captanda portentosus, solebat subinde conuiuium ex vno genere rerum concinnare, sed miro artificio & expensis; vt ex solis phasianis, interdum ex pomis, aut rebus melle conditis, quæ gulam irritarent. Id in corporalibus cibis magnis impensis fieri solet, in spiritualibus verò Deo facillimum est. Manna misit de cælo, quod omnis saporis continebat suauitatem. Hæc Iudæis in figura contingebant: veritatis nobis explicatæ forma non deest; nam sacra Eucharistia Manna est, & panis qui de cælo descendit, omnis suauitatis copiam prolixè continens, quem velatum quidem sacris speciebus gustamus,

Sap. 16.

Ioan. 6.

ſtamus, ſed in cælo, ſublato velo, æternæ Maieſtatis menſæ aſſidentes, omni deliciarum copia cumulatum percipiemus. Id præſtat etiam viatoribus Caritas, qua animæ noſtræ viuunt, & eadem tamquam dapibus pretioſis aluntur. In vita quidem corporali aliud cibus, aliud vita; in ſpirituali verò idem omnino poteſt eſſe & vita & cibus. Vita Caritas eſt, & ipſa ex ſeipſa alitur, nec cibum alendæ, fouendæ, augendæque vitæ, hoc eſt, ſuiipſius, habet præſtantiorem. Ex hac vna, infinita genera ferculorum fieri poſſunt; quia ſaporum omnium ſuauitatem ac delicias continet. Hac veſci oportet, ſi vitam ſpiritualem augere perficereque cupiamus: nec id quidem cum nauſea ac tædio; nam diuerſis condimentis aſperſa, faſtidium non generabit. Accipe eius fercula. *Officia ſeu fercula Caritatis decem.*

Primum eſt actus quo anima quàm intenſiſſimè conglutinatur Deo tamquam amico, in hac mutua voluntatũ colligatione tota conquieſcens: & quia præſens non eſt amicus, magno deſiderio æſtuat illum videndi, tenendi, ac perfectè poſſidendi; delectatur etiam eius memoria, illumque vt præſentem apprehendens, lætitia geſtit ac perfunditur. *1. Amor in amato cum delectatione conquieſcens.*

Alterum ferculum eſt, quo eſuriens animus Dei PERFECTIONIBVS tamquam diuerſis dapibus paſcitur: nunc vnitatem cõſiderat, nunc Trinitatis incomprehenſibile myſterium; aliàs bonitatem, iuſtitiam, ac potentiam, aliàs ſapientiam in condendis ac conſeruandis rebus admiratur, gloriam ac diuitias, fortitudinem, patientiam, ac miſericordiam veneratur, magnitudinem ſuſpicit, immenſitatem adorat; denique totum ſeſe diffundit, dum ſingulas PERFECTIONES infinitas percipit, ratus nec deeſſe ex hac parte cibum, ſed appetitum & capacitatem in ſe deſiderari. *2. In Dei Perfectionibus conſiderandis ſpiritualiter refici.*

Tertium eſt, quo paſcitur & varietate rerum creatarum, in quibus Deum opificem intuetur; quod genus refectionis eſt quoque excellentiſſimum, præſertim in hominum Dilectione: in quibus tam varia ſunt Amoris argumenta, vt ea ſola conſideratio ſufficiat nobis ad delicias incomparabiles hauriendas; ob quas Dauid cantabat: *Delectaſti me, Domine, in factura tua; & in operibus manuum tuarum exultabo.* *3. Delectari in rebus ab amico conditis.* *Pſal. 91.*

Quartum Caritatis ferculum ſeu officium eſt, bene velle amico; deſiderare vt omnes creaturæ illum agnoſcant, ament, ac venerentur, diuitias bonitatis eius certatim quærant, ſicut falſa diuitiarum vmbra homines deluſi opes & honores perquirunt; optent guttas omnes arenaſque maris, arborum folia omnia ac plantarum, terram in puluerem comminutam, orbem vniuerſum in linguas Angelicas commutari, quibus ſuprema illa Maieſtas debitis laudibus extollatur; & ſicut beati in cælo, ac viginti-quatuor ſeniores, quatuor animalia, Angelorum chori, Reges ſeſe coronaſque ſuas deponunt, & indeſinenter clamant, *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, ſic totus orbis creatorem ſuum agnoſcat, laudet, *4. Amico bene velle, ac precari optima quaque.* *Apoc. 4.*

&

& deprædicet. Hoc ferculi genere incredibiliter alitur ac crescit Caritas.

5. *Desideriū multa perpetiendi pro Christo.* Addo quintum, quod cum incommodo singulari sit illius qui idipsum amico desiderat: nempe vt & ipse multa perpetiatur amici causa, corpus in minutissimas partes secari cupiat, ac discerpi; &, si opus esset ad diuinam gloriam promouendam, non tantùm carnem in puluerem redigi, sed & animam in nihilum; dicatque quod D. Augustino tribuitur: *Si ego essem Deus, Deus verò esset Augustinus; efficerem vt ego essem Augustinus, & ipse esset Deus*. Efficax est hic cibus, & incredibiles virtutum & gratiæ facit accessiones.

6. *Zelus animarum.* *Rom. 9.* *Exod. 32.* Vim quoque magnam habet adiunctam, si sic proximum diligas, vt tibi in nullo parcas, quo illum Deo amico adiungas, aut promoueas: exemplo D. Pauli, qui anathema à Christo esse voluit pro fratribus suis; & Moysis, qui, vt Deus populo parceret, optauit de libro vitæ deleri.

7. *Martyrij vel mortificationis studium.* His accedit longum martyrium, quod ipse tibi accersas, si à tyranno sustineri non detur, variaque patiaris magno desiderio proficiendi per mortificationem, contumelias, persecutiones, flagellationes, & his similia morte vnica grauiora; idque lubenter pro Christi nomine. Ex his euidenter liquet, vt animæ seipsis viuere dicũtur, augerique ac crescere iudicio atque scientia, & in dies semper maiores euadere, sic & Caritatem Caritatis esse cibum & alimentum. quod & Christus testatur, *Ioan. 4.* dicens: *Meus cibus est, vt faciam voluntatem eius qui misit me, vt perficiam* *Ioan. 15.* *opus eius*, nempe redemptionis; opus magnæ sanè virtutis: *maiorem enim hac Dilectionem nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis*.

8. *Omnia virtutum opera in finem Caritatis relata.* 21. Huc pertinent omnia virtutum infusarum opera supernaturalia à Caritate relata ad honorem Dei: quorum vis duplex est, & honestas; altera quæ eis à natura competit; alteram dignitatem ac venustatem eis Caritas ipsa largitur: quod dum fit, crescit vtraque virtus, & ea quæ *1. Cor. 13.* imperat, & ea quæ alterius imperio procedit; hinc Caritas dicitur *patiens, benigna, non æmulari, non agere perperam, non inflari, non esse ambitiosa*: huiusmodi enim colligatio virtutum, condimentum inusitatæ raræque *Eccli. 24.* delectationis est. hinc Sapientia dicitur *mater pulchræ dilectionis, & timoris, & agnitionis, & sanctæ spei*: quæ omnia mixta tamquam sapidam escam Sapientia mater ori proficientium admouet ac porrigit. Quod *Cant. 8.* de his dixi, reliquis quoque virtutum generibus competit. *Fortis est vt mors Dilectio*, misericors, iusta, temperans, vestit nudos, cibum potũque dat esurientibus & sitientibus, visitat infirmos, docet ignorantes, peccantes redarguit; quæ omnia arma sunt ac clypei Caritatis, de quibus in *Cant. 4.* Canticis: *Mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium*. His cùm omnes aduersarios oppugnet, euadit ipsa inexpugnabilis, & victoriæ can- *Matth. 25.* ticum in die iudicij ipse Deus accinet: *Venite benedicti Patris mei, possidete*
paratum

paratum vobis regnum : esuriui enim, & dedistis mihi manducare, &c.

22. Caritatis opera sese vlteriùs extendunt : nam omne opus moralis 9.
virtutis acquisitæ, si ex imperio Caritatis procedat, aut ad Dei gloriam, *Opera virtutũ moralium acquisitarum.*
vtque ei placeamus, fiat, auget Caritatem & gratiam, cuius & in cælo ratio habebitur. hoc enim Concilium Tridentinũ stabilit, dicens : *Hac* *Sess. 6. cap. 16.*
igitur ratione iustificatis hominibus, siue acceptam gratiam perpetuò conseruauerint, siue amissam recuperauerint, proponenda sunt Apostoli verba : Abundate in omni opere bono, scientes quòd labor vester non est inanis in Domino. Non enim iniustus est Deus, vt obliuiscatur operis vestri, & Dilectionis quam ostendistis in nomine ipsius. & : Nolite amittere confidentiam vestram, quæ magnam habet remunerationem. denique sub finem : *Bonis operibus in sacris litteris vsque adeò tribuitur, vt etiam qui vni ex minimis suis potum aquæ frigidæ dederit, promittat Christus eum non esse sua mercede cariturũ ; & Apostolus testetur, id quod in præsenti est momentaneum & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operari in nobis.* Hæc ibi. Quæ quidem omnia Concilium non limitat ad certas actiones virtutum infusarum, sed omnibus bonorum operum generibus attribuit ; qualia etiam sunt opera moralia virtutum quæ à fonte Caritatis profluunt & imperantur. *1. Cor. 15.* *Heb. 10.* *Matth. 10.* *2. Cor. 4.*

23. Vltimum Caritatis ferculum est in operibus moraliter bonis, 10.
quæ procedunt ex Dilectione super omnia, aut etiam ex quauis affectione supernaturali erga Deum pertinente ad Caritatem, religionem, aliamque virtutem Christianã. Id confirmare videtur Concilium Tridentinum loco iam allato, cùm ait : *Cùm enim ille ipse Christus* IESVS *tamquam caput in membra, & tamquam vitis in palmites, in ipsos iustificatos iugiter virtutem influat, quæ virtus bona eorum opera semper antecedit & comitatur & subsequitur, & sine qua nullo pacto Deo grata & meritoria esse possent ; nihil ipsis iustificatis ampliùs deesse credendum est, quo minùs plenè illis quidem operibus, quæ in Deo sunt facta, diuinæ legi pro huius vitæ statu satisfecisse, & vitam æternam suo etiam tempore, si tamen in gratia decesserint, consequendam, verè promeruisse censeantur, cùm Christus Saluator noster dicat : Si quis biberit ex aqua quam ego dabo ei, non sitiet in æternum.* Hæc Concilium. Illa namque opera quæ ex habitu aliquo infuso procedunt, ex eo depromuntur, vnde idonea sunt vt tamquam delicati cibi in Caritatis epulo reponantur ; sunt namque fructus gratiæ, & tendunt in finem supernaturalem ex relatione operantis : pascunt ergo & nutriunt ; & matrem, quæ illa genuit, ornant, augent, & perficiunt. *Opera moraliter bona.* *Sess. 6. cap. 16.* *Ioan. 4.*

24. Sed non sola Caritas sese cohonestat & amplificat : præstò sint oportet virtutes, vt ancillæ, quæ nihil aliud agant, nullum officium ducant, nisi vt Caritati ministrent, officij sui moneant, & ad aurem admoneant vt caueat ne quid perficiat imprudẽs quod offendat diuinę Ma- *Cic. lib. 2. de finibus.*

iestatis oculos, ne hominum animos lædat, aut quidquam ex quo dolor oriatur. Operantur ergo virtutes infusæ salubriter, & omnia officia propria exerunt; quæ etsi ad finem Caritatis non referantur, illa nihilominus vitam spiritualem augent, reficiunt, ac Caritatem perficiunt.

Tametsi verò ea quę de Caritate attulimus ex Concilio Tridentino, sufficere meritò deberent ad veritatis huius confirmationem; ne cui tamen dubium remaneat, quonam pacto meritum omne Caritati, eíque soli, tribuat, adferam quæ eadem sessione in canonibus sub anathe-

Sess. 6. can. 32. mate idem Concilium censuit. *Si quis dixerit hominis iustificati bona opera ita esse dona Dei, vt non sint etiam bona ipsius iustificati merita; aut ipsum iustificatum bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam & IESV Christi meritum, cuius viuum membrum est, fiunt, non verè mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, & ipsius vitæ æternæ, si tamen in gratia decesserit, consecutionē, atque*

Ibid. can. 24. *etiam gloriæ augmentum, anathema sit.* item: *Si quis dixerit iustitiam acceptam non conseruari, atque etiam non augeri coram Deo per bona opera, sed opera ipsa fructus solummodo & signa esse iustificationis adeptæ, non autem ipsius augendæ causam, anathema sit.* In quibus nihil agit de fine Caritatis, sicut

Rom. 2. nec Apostolus cùm ait, *Gloria & honor omni operanti bonum*; & Christus,

Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* Hæc enim procedunt ex motione Spiritus sancti, atque adeò proportionata sunt fini suo; finem ergo illum attingunt ac merentur: non enim possumus finem commodiùs assequi, quàm per media illi naturaliter commensurata.

Cur Caritati tota ratio meriti à Scriptura tribui videatur. Quòd autem vni Caritati tota ratio meriti tribuitur, nihil vrget: nam & pauperibus, misericordibus, mitibus, lugentibus vita æterna promittitur: salus item subinde fidei, spei, patientiæ, aliisve virtutibus adscribitur, Caritati verò maximè, quòd meriti sit fundamentū, quodque vinculum amicitiæ inter Deum & nos perficiat, meritumque nostrum vnicè ipsi innitatur. hinc cetera sine Caritate nihil prodesse di-

Gal. 5. cuntur: cùm verò dicitur fides per Caritatem operari, id ita accipiendum non est, quasi à Caritate eliciatur fides, aut à sola Caritate imperetur, sed operari per virtutes Caritati connexas; vnde etiam ipsa man-

Ioan. 14. datorum obseruatio in Scriptura Dilectio dicitur. *Qui*, ait Christus, *habet mandata mea, & seruat ea, ille est qui diligit me.* & tamen singula præcepta aliarum virtutum opera sunt, non Caritatis; sed eidem annexæ sunt, & Caritatem adiuuant.

Consiliorum opera ad Perfectionem assequendā maximè idonea. 25. Inter opera verò efficacissima censenda sunt ea quæ à Patribus nobis relicta sunt, tamquam PERFECTIONIS instrumenta, nempe virtutum trium, Paupertatis, Continentiæ, & Obedientiæ: his etenim virtutibus circumciditur homo omni ex parte, & sæculo moritur ac crucifigitur: valedicit diuitijs, quæ maximo impedimento sunt quærendæ PERFECTIONI; parentibus, corporique proprio, ac suo

amori

amori inordinato renuntiat; quin & animam propriam cum principibus facultatibus, intellectu & voluntate, penitus abnegat; quod est vno ictu totum mundum demetere. Deinde, vt quis perfectè Deum diligat, debet etiam se totum Deo tradere, & omnia impedimenta remouere. Vtrumque consequitur per has virtutes: tradimus enim Deo nos totos, quando & animam ei consecramus, & corpus, & res externas: nihil enim tribus hisce bonorum generibus, animi, corporis, & fortunæ, annumerari potest. Animum per Obedientiam, corpus per Continentiam, res externas per Paupertatis professionem à nobis ablegamus, Deoque tradimus donatione irreuocabili. Sed de his suprà copiosiùs.

26. His operibus accedit vsus frequentior Sacramentorum: sunt namque Sacramenta vasa gratiæ, & dispositis incredibilem diuinorum charismatum copiam largiuntur vi sua, & (vt Doctores loquuntur) *ex opere operato*, & Christi institutione. Quòd si dispositio excellens fuerit, duplex in ijs recipiendis fructus respondebit; alter dispositioni, alter portioni quæ diuina ordinatione à Sacramento profluit.

Vsus Sacramentorum.

D. Thom. 3. p. q. 62. a. 1.

Duo verò Sacramenta sunt quæ huic instituto apprimè seruiunt, Pœnitentiæ & Eucharistiæ; quorum vsus multarum virtutum requirunt exercitium, nempe fidei, spei, doloris, ac peccatorum detestationis: adde orationis, sacrificij, gratiarum actionis, Amoris denique & familiaris conuersationis cum Deo, tum in eius mensa sancta, tum post perceptionem diuinorum Mysteriorum, quibus Deum possidemus ac fruimur; ex quo suauissima quędam necessitudo & intimæ amicitiæ fructus eximius enascitur. His omnibus iungendum est propositum melioris vitæ, remedia vitiorum, media concepta ad virtutes acquirendas & augendas, Deo denique per omnia sese consecrandi studium, passiones domandi, appetitusque inordinatos reprimendi. Hæc enim duo, quæ nullo modo seiungi debent, seseque comitari necesse est, Sacramentorum nempe præsidium, & mortificationis ardens desiderium ac conatus, efficient, vt ille ipse qui *comparatus est* olim *iumentis insipientibus, & similis factus est illis*, hominis formam decusque resumat, & ex homine deinde in Angelum commutetur.

Psal. 48.

CAPVT XXXVI.

Singulis bonis operibus in hoc mundo, & quidem illico, reddi à Deo suam mercedem.

Mercedis spes semper grata, etiam ijs qui gratis seruiũt. *a Matth. 20.*

27. NIHIL audit lubentiùs operarius labore fatigatus, quàm dominum quæstori dicentem,[a] *Voca operarios, & redde illis mercedem*: nihil miles optat auidiùs, nihil agit ardentiùs, quàm vt in spolia, etsi non sine euidenti vitæ periculo, impetum faciat: nulla denique dies quærenti thesaurum absconditum lętior affulget illa, qua thesauri illius inuentio obtingit, vt anhelantem animam satiet. Et nos quoque, etsi Deo velimus seruire & laborare nullo proposito præmio, lubenter tamen certa quædam de retributione cognoscimus, quibus ad agendum incitemur: nec id Deus, liberalissimus remunerator, prætermittit, etsi sine cura nostra; ideoque Christus venturus nos excitat hoc promisso: *Ecce venio citò, & merces mea mecum est, reddere vnicuique secundùm opera sua.* Dicit se citò venturum, vt patienter sustineamus aduersa exiguo tempore: mercedem proponit, quo alacriùs aduersarijs obsistamus, eorumque vires frangamus. Auari namque sumus: & quantumcumque gratis laboremus, militemus stipendijs gratuitis, fodiamus Dei solius intuitu, lætissimus tamen nuntius hic est, Deum esse liberalem; diligentibus ea parasse, quæ *nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt.* Lubenter audimus de coronis, promissis, propositisque præmijs; qualia sunt: *Esto fidelis vsque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ*: *In reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die, iustus iudex.* item quæ nobis danda in hoc mundo promittuntur; vt, *Quærite primùm regnum Dei.* Verùm quid? inopia deficiemus? Non vtique; sed, *Primùm,* ait Christus, *quærite regnum Dei*: id etiam in hoc mũdo mercedis habebitis, *Hæc omnia adijcientur vobis.* illud quoque: *Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod est in paradiso Dei mei.* item: *Vincenti dabo manna absconditum.* Non veretur D. Petrus, qui vitam perfectiorem & Apostolicam sequebatur, à Christo quærere: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te, quid ergo erit nobis?* & lubenter audiuit non tantùm quòd in regeneratione sederent super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel, & quòd centuplum accepturi essent in futuro, sed etiam in hoc sæculo. Retributio namque futuri sæculi, etsi certa & magna, remotior tamen adhuc est; & lubenter arrham, aut partem præmij, habemus ad manum.

Apoc. 22. *Isaia 64. & 1. Cor. 2.* *Apoc. 2.* *2. Tim. 4.* *Matth. 6.* *Apoc. 2.* *Matth. 19.* *Marc. 10.*

1. Reg. 17. Exemplum Dauidis.

Dauid mouebatur zelo diuini honoris, vt molem illam carneam, Goliath gigantem, prosterneret, dicens: *Quis est hic Philisthæus incircumcisus,*

cumcisus, qui exprobrauit acies Dei viuentis? nihilominus solicitè petebat: *Quid dabitur viro qui percusserit Philisthæum hunc, & tulerit opprobrium de Israel?* Motiuum enim magnū est, præmium præsens intueri ac spectare; etiamsi causa actionis præcipua, quam formalem ac finalem vocamus, Deum eiusque bonitatem ac gloriam respiciat. Goliath qui sternendus venit, est homo peccati, filius perditionis, qui regnat in nobis, carnea nostra mole vestitus, cum vitijs & concupiscentijs. Deturbatur verò quinque limpidissimis lapidibus, pretiosis, inquam, quinque plagis quas in corpore IESVS Christus sustinuit. his enim percussus est Dominus IESVS: & valent demum hi lapides, si in hostem, à quo intorti sunt, retorqueantur, à corpore Christi ac meritis vi ac robore desumpto. Quicumque ergo turrim illam perfregerit, *ditabit Rex diuitijs magnis, & filiam suam dabit ei, & domum patris eius faciet absque tributo in Israel.* *1. Reg. 17.* Iustificationis forma hæc est, qua primùm fortis armatus exturbatur; nec citiùs pellitur, quàm diuitiæ istæ promissæ tribuantur. Magnæ opes ac gazæ sunt gratia essentiam animæ exornans, opes incomparabiles Caritas cum omnibus virtutibus supernaturalibus, moralibus, Christianis, ac Spiritus sancti donis. Virtutes autē ad operationem destinantur, sicut dicimus ab essentia animæ potentias, quibus operamur, profluere. quod moraliter intelligendum est, & per quandam analogiam & accommodationem: nam & gratiam exornant ipsæ, & homo gratia ornatus per has operatur: atque eædem à gratia vitam hauriunt æstimatione quadam morali; nam sine ea non essent meritoriæ actiones, quæ à facultatibus oriuntur. Ceterùm & gratia & virtutes à Deo infunduntur, atque à benignissima eius manu conseruantur: nec necesse est, crescente gratia, simul virtutes omnes augeri. Hæc ergo sunt diuitiæ quibus ditatur anima quæ Goliath percussit: hisce filia Regis, PERFECTIO nempe, desponsatur, si homo cooperari velit; & liberatur à tributo quod mundani diabolo ac carni suæ volentes nolentes persoluunt; manentque *filij liberæ, & quidem ea libertate, qua Christus nos liberauit.* *Gal. 4.*

In iustificatione virtutes omnes tribui, etiā morales, cum donis Spiritus sancti.

Virtutes ab animæ spiritualis essentia seu gratia profluere, quomodo intelligendum.

28. Iustificationis verò tempore nonnulli æqualem gratiam recipiunt, æquales virtutes, eademque mensura; quales sunt infantes qui ante vsum rationis baptizantur: nonnulli diuersis gradibus, vt qui per propriam dispositionem cum Sacramento aut sine Sacramento sanctificantur; tum enim mensura gratiæ, dispositionis vel solius, vel cum Sacramenti portione, quantitati respondet. Attamen tam in paruulis, quàm in adultis, qui Deo adiunguntur, gratia & virtutes, & hæ inter se, semper æquales sunt, quia ex eadem dispositione infunduntur. Pone infantem recipere gratiam vt octo, virtutes quoque intensę erunt ad octo gradus: nec Caritas ceteris intensior erit, nec ceteræ Caritate am-

Infantibus iustitiam adeptis per baptismum gratia ac virtutes omnes in eodem gradu consistunt: in ijs qui per propriam dispositionem in baptismo iustificātur, etiam dispositionis habenda ratio est.

ampliores; quia nulla alteram superat. Sic & in adultis si cum Sacramenti gratia dispositio ad gradum vigesimũ gratiæ assurgat, ceteræ virtutes viginti gradibus intensæ erunt: Deus enim vult opus suum esse perfectum; quod in eo maximè spectatur, si radici ac vitæ, facultates ad agendum necessariæ æqualiter conformentur. Et hæc quidem initia sunt spiritualis vitæ, in progressu res aliter se habet.

Augetur statim gratia.

29. Augetur namque gratia, & virtutes, sed nostro labore; quem Deus liberalissimus statim, non expectata futura retributione, remunerat: alioquin posset quis queri opus esse longa expectatione; operarijs nonnullis dari nummum plumbeum, symbolum baiulatæ sarcinæ, quo certam probatæ pecuniæ summam recipiant; filijs adoptiuis litteras adoptionis tradi, quibus negari nequeat hereditas. Deus ergo singulis operibus nummum vnum, non plumbeum, sed verè aureum Caritatis ac gratiæ largitur, mensuræ & dignitati operis in numero, pondere, & mensura respondentem; id est, tantum gratiæ, quantum opus ipsum ex Dei promissione meretur: & in eo nummo litteræ adoptionis ac ius ad cælestem hereditatem plenamque compensationem perscriptum est, atque exaratum; vt meritò de Messia ad nos veniente dici potuerit: *Ecce merces eius cum eo, reddere vnicuique secundùm opera sua.* Si actus feruentior est, amplior gratia; si remissior, non propterea nulla, sed minor reddetur. hæc enim Concilij Tridentini doctrina solida est, & luculenta, ita decernentis: *Si quis dixerit ipsum iustificatum bonis operibus, quæ ab ipso per Dei gratiam vel Christi meritum fiunt, non verè mereri augmentum gratiæ, anathema sit.* Loquitur Concilium de omnibus operibus siue Caritatis, siue aliarum virtutum; siue intensis, siue remissis: est enim definitio dogmatica, quæ vniuersali æquiualet. Intensio namque illa operis non requiritur ad meritum gloriæ: ex quo necessariò sequitur, non etiam requiri ad augmentum gratiæ. Per gratiam namque homo ad gloriam acceptatur ac idoneus redditur: si ad gloriam hisce operibus acceptatur idoneus, gratiam ergo recipiat necesse est, sine qua dignus non efficitur gloriæ præmio. Denique actus Amoris Dei super omnia vel etiam remissus longè melior est intensissimo alterius virtutis; verbi gratia, desiderio ieiunandi. Si hic ergo gratiam augeat, augebit etiam Caritatis opus, etiamsi non adeò intensum.

Simile.

Isaia 40. Apoc. 22.

Sess. 6. can. 32.

Opera minùs intensa habitu suo mereri augmentum gratiæ.

Quando præmium operum reddatur.

30. Quare eodem ipso momento, quo quispiam bene egerit, infunditur à Deo pretiosus ille gratiæ liquor. a *Oleum effusum nomen tuum,* ait sponsa. b Sicut enim dum in torculari oliuæ premũtur, perpetuò oleum defluit, vel guttatim vel vbertim, prout prælum contorseris, & abundantes oliuas subieceris: sic & ex operum nostrorum prælo seu contentione, si copiosè, si ardenter, si continenter materiam suppeditemus, vberiores atque auctiores riuuli gratiæ defluent. Torcular verò istud

a Cant. 1.
b Simile.

istud Christus calcat ac premit, quia & oleum hoc ex eius meritis elicitur; ideoque dicit, *Torcular calcaui solus*. Nec requiritur inter meritum *Isaia 63.* & præmium aliqua temporis successio; imò sufficit ordo causalitatis, vt loquuntur Scholastici, vt naturâ meritum priùs sit quàm præmium, sicut effectum causa præcedit. Aliud verò est, vbi cum merito non potest existere præmium; quod videre est in gloria, ac opere meritorio. Ex fide enim procedit meritum, gloria verò fidem excludit. O pretiosa atque excellens destillatio, vbi ex operum nostrorum diffusione tam nobilis liquor emanat! ô vasa pretiosa animarum nostrarum, quæ talem thesaurum excipiunt, quo Dei amicitia ac coniugium acquiritur, acquiritur & ius hereditatis æternæ, atque in altera vita cum lumine gloriæ, cui ex æquo commensuratur, appenditur in statera! Hæc de gratiæ augmento, sed quid de virtutum seu habituum supernaturalium accessione?

31. Augentur enim & virtutes: nec minùs liberalis Dominus est in additione nouorum graduum ad habitus supernaturales, quàm ad gratiæ augendam copiam. Omni namque opere quo vitam æternam meremur, quo gratiam extendimus, crescit & virtus illa cuius opus perficitur. Exercitio fidei augetur fides, crescit spes sperando, crescit patientia tolerando. *Virtutum habitus actibus augeri virtutū.* Sicut enim ex antlia, quoties brachium vibras, elicis *Simile.* aquam; & quo frequentiùs, eo copiosior exilit atque educitur: sic ex singulis actibus virtus ipsa nouis aquis scaturit, fitque fons ipse auctior ac abundantior. qua de re ne dubitare liceat, Concilium Tridentinum *Sess. 6. cap. 10.* statuit iustificatos per obseruationem mandatorum Dei ire de virtute in virtutem. Non vult autem nos nouam virtutem acquirere, quia per iustificationem omnes infunduntur; sed easdem augeri, nunc vnam, nunc alteram, pro singulorum operum merito & exigentia: eò enim opus tendere videtur, vt virtutem suam augeat; nec vllum esse posse videtur præmium operi accommodatius, quàm eiusdem virtutis incrementum.

32. Augetur ergo virtutū operibus & gratia, & habitus virtutum infusus. Sed quid? num alicuius virtutis actu sola illa virtus, an verò simul & Caritatis habitus cum eodē etiam sine Caritatis actu augebitur? De alijs quidem virtutibus non videtur rationi consonum; vt, verbi gratia, opere humilitatis crescat sobrietas, aut fortitudo: quia inter opus illud, taleque augmentum, nulla apparet proportio; cùm præsertim neque ex natura sua, neque operantis intentione, eò referatur. *Crescit habitus Caritatis omnū virtutum operibus, non autem ceterarum habitus virtutum aliter quàm actu proprio.* Sed longè alia ratio est Caritatis. Caritas & gratia si idem non sint, tamen admodum affinia sunt; nec vnum potest ab altero separari. Accedit, æquum esse vt tantum possimus diligere, quantum & ipsi à Deo diligimur: at mensura Dilectionis Dei est gratia, quæ in animæ residet essentia: tanta

ergo

ergo debet esse Caritas, quanta gratia; & si hæc crescat, debet & Caritas augeri. Augetur autem gratia singulis virtutũ actibus, ijsdem ergo pari passu crescet & Caritatis habitus. Si enim in humanis quæuis officia, quæ placent amico, dilectionem augeant, & amicitiam; quid ni pariter in Dei amicitia, qui hominibus benignior est, & liberalior? Denique Caritas generalis virtus est, ad cuius honestatem omnia virtutum officia referuntur: par est igitur vt ipsa per singula augeatur.

In cælo omnes virtutes æquales erunt habitui Caritatis.

33. Addam & illud, ad illustrandam Dei benignitatem, nosque ad virtutum exercitium excitandos: quòd, etsi singulæ virtutes aliarum actibus non crescant, in cælo tamen futurum vt omnes virtutes æqualiter se habeant, & in eo gradu sint, quo Caritas ipsa fuerit constituta. In statu namque gloriæ æquum est vt summa inueniatur proportio inter gratiam & gloriam, omnesque virtutes, ad hoc vt omnes animi motus inter se commensurati censeantur Amoris magnitudini, parique tenore voluntas in omnia sua feratur obiecta; nihil denique illic demissum, nihil redundans, nihil inæquale sit, quemadmodum & loci dignitas & beatorum condicio omnino desiderare videtur. Hoc, inquam, loci dignitas requirit, etiamsi id viatores nondũ suo merito obtineant. Sed quid mirum? meremur hîc corporis gloriam, quam tamen in hoc sæculo non adipiscimur; quia anima gloriosa postulat, vt gloriæ suæ corporis splendor similisque condicio gloriosa respondeat. & status quoque ille requirit vt virtutes æquales sint, etiamsi in via aliæ alias excesserint: Deus enim super meritum nos compensat; longeque plura illic percipiemus, quàm vel cogitatione consequi valeamus. Quare siquis viator sese in Caritatis operibus plurimùm exercuerit, in abstinentia verò admodum parum; abstinentiæ habitus hic exilis, est Caritatis maximus atque intensissimus: at in cælo vterque æqualis erit, vt animi motuum consentiens proportio constet. Quòd siquis intenderit hîc habitum abstinentiæ, remissiùs Caritatem exercuerit; abstinentiæ habitus non erit in cælo intensior: quia omni opere virtutis infusæ crescit Caritas, quæ velut cisterna ceterorum fontium aquas recipit ac conseruat, & velut variorum fluminum confluxu intumescit, & quasi ingens pelagus exundat, singulis riuulis sese reddens ac insinuans.

Simile.

CAPVT XXXVII.

Proponuntur industriæ octo, quibus gratia, virtutes, ipsaq́; PERFECTIO egregiè augeantur.

34. HÆC incredibiliter mouere atque accẽdere deberent PERFECTIONIS studiosos ad virtutum exercitium: quandoquidem singulis actibus gratia in animum influat, virtutes augeantur, nosq́ue facilitatem ad bene agendum acquiramus; Deus etiam ipse eo munificentior in auxilio præstando futurus sit, quo ei gratiores & amiciores futuri sumus: tales autem nos per bona opera fieri, extra controuersiam est. Meritò igitur imitari mercatores decet, qui in sua negotiatione industrias quærunt ad maius lucrum opportunas: quas vbi nacti sunt, plus vno die, quàm antea centum, consequuntur. Videamus an aliquas ponere possimus, quibus adiuti multa magnaque spiritualis negotiationis nostræ præmia ac lucra reportemus. *Simile.*

35. Prima industria est, vt eos imitemur negotiatores, qui, si potentes non sint, nec à pecunia bene instructi, occasiones multa emendi exiguo pretio, & magno reuendendi, aucupantur: aliàs perdunt quod opulenti lucrantur. Itaque danda opera est vt potentes simus fide, & virtutibus locupletes: sic enim vno actu plus lucrabimur, quàm alij centum, vel etiam mille; opus enim erit excellentius, venditioque & contractus rei ingentis & præcellentis: fæneramur enim Domino, & cum eo, inito contractu, mercamur, non semissem, vt in venditione rei exiguæ, sed aliquot millia, ob quantitatem quæ traditur, lucraturi. Qui enim magni apud Deum sunt, & magna, ardua, heroica operantur, (talibus enim mercibus delectatur Dominus) illico magni euadunt: nam Dominus soluit ex tempore; parataque item ipsi rursus pecunia continenter negotiantur. Deinde opus, ceteris paribus, tanto gratius est, & magis meritorium, quanto ex persona gratiore procedit. Vt enim, qui Regi valde gratus est, citiùs ab eo dona impetrat, quàm qui minùs gratia apud eum valet: sic & qui Dei beneuolentiam nactus est, facilè, quod volet, impetrabit. Duo etenim spectat Dominus in operũ retributione: [a] personam in primis, eiusq́ue dignitatẽ, non sæcularem, sed eam quæ ex Dei munere accesserit, id est, Christi meritis. [b] Alterum est opus ipsum, quod maximè mercedem meretur. Si personam spectes, retribuit Dominus vnicuique prout quisque dignior est, seruato quodammodo ordine iustitię distributiuę, & pręmiat vltra condignum

Spiritualis negotiatoris industriæ octo. I. *Vita sanctitatem augere meritum.* *Simile.* *Duo in bono opere à Deo spectari.* a 1. b 2.

operis. Quod adeò verum est, vt contrarium damnarit Pius Quintus contra quosdam, qui tenebant, opera bona iustorum non acceptura in die iudicij extremi ampliorem mercedem, quàm iusto Dei iudicio mereantur accipere. *Gaudete*, ait Christus, *& exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis*. & qui mnas decem lucratus est, constituitur super decem ciuitates; imò extraordinario munere & mna altera datur, quæ à seruo infideli & pigro ablata est. His deinde qui hora vndecima venerant, non minùs quàm qui hora tertia, denarius diurnus redditur. Denique Patres antiqui hisce suffragantur, inter quos Basilius in illud, *Conuertere anima mea in requiem tuam*. *Manet*, inquit, *requies sempiterna illos qui in hac vita legitimè certauerint, non tamquam debitum operibus redditum, sed ob munificentissimi Dei gratiam, in quo sperauerunt, exhibita*. & Fulgentius: *Gratia autem etiam ipsa ideo non iniustè dicitur, quia non solùm donis suis Deus dona sua reddit; sed quia tantum etiam ibi gratia diuinæ retributionis exuberat, vt incomparabiliter atque ineffabiliter omne meritum, quantumuis bonæ & ex Deo datæ humanæ voluntatis atque operationis, excedat*. Ex quo similiter argumentari debemus: Si Deus præmiat in cælo vltra condignum, id in via quoque præstiturum sperandum est; quandoquidem dona cælestia ac retributiones ordinariè gratiæ muneribus respondeant. Quapropter, si à Deo persona admodum grata quippiam postulauerit, daturus ille quidem sit, non modò ex rigore iustitiæ, quæ dicit, *In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis*; sed & addet, *Mensuram bonam, & confertam, & coagitatam, & supereffluentem date in sinum eius*.

Matth. 5. *Luc. 19.* *Homilia in Psal. 114.* *Lib. 1. ad Monimum, cap. 10.* *Matth. 7.* *Luc. 6.*

Operibus nostris etiam respõdere mercedem per modũ iustitiæ distributiuæ.

36. Quod ad opera attinet, respondet quidē operi sua merces, quam Deus retribuit per modum iustitiæ cõmutatiuæ; vt, quantũ opus fuerit, tantum sit & præmium atque additio ad gratiam: tamen, quo persona simul dignior fuerit ac sanctior, eo gratius opus reputabitur. non quòd sanctitas actum ipsum intrinsecè faciat meliorem; est enim personæ dignitas ornamentum dumtaxat accessorium operi: auget tamen meritum, quia vt inter homines beneficium & obsequium eo maius censetur, quo carior est is à quo præstatur, idque secundùm rectam rationem; ita & apud Deum. hinc sæpe diximus, gratiam condicionem esse necessariam, quæ efficiat vt opera nostra Deo placeant. Vbi ergo maior gratia affulserit, gratiora opera reputabuntur: cùm etenim aliquid meremur, non tantùm opus ipsum in Dei obsequium offerimus, sed & nos ipsos; qui si sanctiores ac Deo gratiores fuerimus, sanè opus ipsum acceptius haud dubiè habebitur: vnde D. Thomas docet, satisfactionem & meritum Christi fuisse infinitum ob dignitatē personæ. Quare vbi fuerit maior dignitas ad amicitiam Dei pertinens, maius quoque exurget meritum.

Parte 3. q. 46. a. 6. & q. 48. a. 2. ad 3.

a Industria 2. Operis continuationem augere gratiam.

37. [a] Altera industria in operis continuatione consistit. Plus enim con-

conficit operarius, qui tribus quàm qui vna hora laborat; & qui orat integra nocte piè ac religiosè, quàm qui quadrante horæ; & qui se vitamque suam Dei obsequio consecrat ac mancipat, & ex hac destinatione agit, plus meretur, quàm is qui ad paucos dies Deo seruit. Illud quidem verum est, continuationem, si nulla in opere variatio aut mutatio accedat, actum non facere intrinsecè meliorem: rarò tamen accidit, quin feruor excrescat, aut ipsius orantis agentisve excitatione, aut Dei miserentis visitatione. Præparationes cordis nostri audit auris eius; & præstò adest vt præueniat nos in benedictionibus dulcedinis, esurientes impleat bonis, & mendicos ad ianuam suam largitione liberali accumulet. Deinde, etiamsi nulla fiat feruoris accessio, ac mutatio; operatio tamen melior est secundùm moralem æstimationem, quia longiori spatio coëxistit, ac diutius bonitatem suam retinet: sicut in opere malo continuatio auget demeritum.

Simile.

Continuatio non facit actū intrinsecè meliorem.

Psal. 9.

Psal. 20.

Luc. 1.

38. Quòd si quis beneficio temporis careat, præstabit opera aut eadem identidem repetere, aut diuersa multiplicare. In duobus enim actibus sunt duæ PERFECTIONES, duo conatus, duo influxus, duæ substantiæ, duæ libertates, duæ attentiones, posterior priore nobilior & auctior: in operũ enim multiplicatione plura sunt merita, plura incrementa. quæ quidem consideratio egregiè eos monet, quibus diutius per otium non vacat aut orationi aut alijs pijs operibus insistere, sæpius ad Deum recurrant per orationes iaculatorias, actusque Caritatis eximios, quibus Deo super omnia placere desiderent. Hæc autem industria maximi momenti & incredibilis vtilitatis est, & magis ex vsu quàm ex theoria perspicitur. Hanc Sancti sectati sunt; & nominatim Maria Ogniacensis, quæ (vt scribit Iacobus à Vitriaco, S. R.E. Cardinalis) *per diem & noctem millies & centies flectens genua salutabat B. Virginem, atque admirandum hoc & inauditum salutandi genus & officium ad quadraginta dies continuabat. Primò autem in spiritu vehementi, sine intermißione, sexcenties flectebat genua: deinde integrum Psalterium stans legebat, ad singulos Psalmos beatißimæ Virgini flexis genibus Angelicam salutationem offerens: tertiò, austro flante vehementiùs, trecentis vicibus ad singulas genuflexiones virga se percutiens, Deo & beatißimæ Virgini prolixo martyrio se immolabat. Tribus autem vltimis ictibus tamquam ad aliorum condimentum copiosum è suo corpore extrahebat sanguinem. Tandem quinquagies flexis simpliciter genibus sacrificium consummabat*. Hæc ille.

Industria 3. Breues orationes ad opera singula adhibenda.

In Vita eius lib. 1. cap. 9. Vide Sur. tomo 3. ad 23. Iunij.

39. Quarta industria in feruore atque intensione actionis consistit. a Vt enim plus viæ cõficit, qui pernici equo, vel naui in rapido flumine, vel pedes quidem, sed perpetuo cursu viribus fauentibus aliquò contendit; quàm qui communi passu ambulat: sic & qui cum ardore magnóque conatu opera sua conficit. Vis autem illa contentionis ex

Industria 4. Feruor ac intensio auget meritum.

a Simile.

 duplici

Actus intensi causa dua.

duplici pendet capite. aut enim parta gratia tantummodo quis vtitur, atque habitu virtutis, cuius opus exequitur: vt, qui ex tota habitus latitudine opus perficit, ille celeriter atque intensissimè currere dici debet, quia maiores illi vires non suppetũt, vt de pedite diximus; si tamen equus vel nauis offeratur, non modò celeriter, sed celerrimè volare dicetur. Bene dixit, qui dixit: *Satis suauiter equitat, quem gratia Dei portat*. sed satis non dixit: is enim non tantùm suauiter, sed & faciliter ac celeriter ambulat, non suis, sed alienis & pedibus & viribus. Accedente ergo gratia Dei præuia, actualique auxilio, cum habituali, non tantùm augetur gratia quantum potuit habitus vires suppeditare, sed longè ampliùs, ob intensionem actus superueniente auxilio excitati.

Thomas à Kempis lib. 2. cap. 9.

Cautio in feruore seruanda.

40. Sed in cursu modus esto. Qui celeriùs incedit quàm vires ferant, illico fatigatur, ac demum præcedentes à tergo sequitur. Mensura cursus & feruoris est latitudo ac amplitudo habitus virtutum quas exercemus, aut accessus nouæ gratiæ visitantis. Qui ampliùs nititur, vires comminuit ac fatigat, citòque deficit. Quare requiritur in primis prudentia, bonusque director, à quibus tiro pendeat: sæpe namque æmulatio & nonnulla superbia nos impellunt, vt sapiamus plusquam oporteat sapere, & agamus vltra vires; hinc valetudo corporis læditur, caput offenditur, labascunt vires, denique animi desperatio & hastam & clypeum abijcere, omnia bona exercitia relinquere, ad laxiorem viuendi rationem redire compellit. Quare *Ne sutor vltra crepidam*. Deum oret vt gratiam actualem addat: operetur cum humilitate, & sensim crescat, imperfectũ suum cognoscens, *ne in superbiam elatus in laqueum incidat diaboli, & desideria nociua, quæ mergunt hominem in interitum*. Sat citò, si sat bene.

1. Tim. 3.
1. Tim. 6.

Feruoris ac meriti pulchræ similitudines.

41. Fructus huius feruoris in clibano vitreo, in quo vi ignis eliquatur aqua, optimè cognoscitur: cùm enim vel pulli, vel herbarum, vel vini substantiam igne supposito elicere niteris, si ignis exiguus fuerit, parum admodum facies; si plus æquo adhibeas, rem ipsam consumis; si æquum ac sufficientem, efficis quod optas; è collo turbinis seu clibani in excipulum guttatim aut etiam vbertim defluit pretiosus liquor, prout ignis inuenerit distillationis materiam. Et nos distillandi artem spiritualem discamus oportet, si pretiosum illum liquorem in animos nostros eliquari velimus. Materia sunt vel præcepta virtutum, vel consilia: ignis est Caritatis feruor; qui si exilis sit, parum eliquatur; si æquo intensior, operantem conficit; si æquus ac sufficiens, optimum liquorem in animos nostros distillat, quod meritum operis esse diximus, & augmentum gratiæ ac virtutis.

1.

Similitudo 2.

Id etiam videre est in ipso ardore ac diligentia qua apes mellis fauos conficiunt: perpetuò operantur; nunc sugunt è floribus, nunc in aluearia

aluearia reportant, nunc denique mel ceramque concinnè recondunt, ita copiosè, vt fructus facilè diligentiæ ac feruori respondeat. Huius mellis copia cùm in morũ suauitate, tum in sermone sese manifestat, vt mel potiùs ex ore hominis, quàm verba, fluere videatur. hinc de sponsa Sponsus prædicat: *Fauus distillans labia tua, sponsa; mel & lac sub lingua tua.* *Cant. 4.*

Denique ignis præpotens aliter populatur quàm paruus: omnia *Similitudo 3.* namque in seipsum conuertit, omnia inuadit & occupat. Sic & Caritatis ardor incendit animum, eiusque omnes facultates: serpit in corpus; manus, pedes, os, linguam inuadit & occupat; plusque exiguo spatio sibi vendicat, quàm languidus animus multis annorum lustris.

42. Feruorem ampliorem sequitur industria quinta, quæ in libertate *Industria 5.* consistit: vt enim defectus libertatis omnem tollit rationem meriti; ita *Animi libertas auget meritũ.* diminutio magna ex parte augmentum gratiæ ac virtutum minuit. Martyr non est, qui à tyranno raptatus occiditur, si mori nolit pro Christo; nec ille Christianus est, qui inuitus ac coactus baptizatur, aut dormiens, si antè noluerit; sicut nec homicida, si manus repugnantis ad homicidium impellitur. Minùs etiam peccat, qui consilijs grauique tentatione pulsatur, & ad peccatum inducitur. Sic & qui à Deo præuenitur, omnino nihil meretur, si non aduertat, aut non acquiescat. Si aduertat, & gratiam excipiat, sed affluenti consolatione impulsuque sequatur, meretur quidem; sed tamen ille ampliùs, qui sese ad agendum sine tali impulsu promouet, ceteris tamen paribus. Dixi de externo impulsu tam ad opus virtutis quàm peccati: si enim ab interno *Opera quæ ex voto latoq; habitu fiunt, ceteris magis meritoria sunt.* habitu, piaque agendi consuetudine, propensio ac facilitas illa oriatur, voluntaria est; ingenerauit enim quisque ac peperit in se habitum hunc ac facilitatem. sicut illum, qui assuetudine peccandi rapitur ad turpitudinem perpetrandam, vis illa ac necessitas non excusat; quia ipsam voluit tota libertate, atque actibus plurimis & maximè voluntarijs propensionem illam acquisiuit. Idem dicendum est de votorum obligatione; ea enim libera est, & quisque sibi eam necessitatem spontaneè iniecit. Quare consilia, operaque supererogationis, summum habent momentum in hoc genere, quia summa libertate fulciuntur.

43. Industria sexta est, quæ ardua ac difficilia quæque aggreditur, ac *Industria 6.* conatu superare nititur. In illo namque ascensu vt laudis, ita meriti plurimum inuenitur.

Oriri verò difficultas potest ex quatuor sequentium capitum ali- *Operum difficultas qua oritur ex quatuor capitibus.* quo, vel pluribus: nempe vel ex natura operis; vel ex eius, qui operatur, imbecillitate; vel ex praua consuetudine; vel denique ex tentatione quæ à voluntate operantis non pendeat. Primùm enim quædam ar- *1.* dua sunt ex natura sua ac difficilia opera, quæque nostræ naturæ imbe- *Ex operis natura.* cilliori repugnant; quale esset, pane & aqua vitam sustentare, parentes

deserere, abdicare à se bona omnia, Christum nudum sequi, vitam cælibem domita carne sectari. De his dici potest: *Difficilia quæ pulchra.* hæc enim omnia spiritualem supellectilem augent incredibiliter.

2. *Ex nostra imbecillitate.* Imbecillitas iuuat, si voluntaria non fuerit; plus enim meretur, qui cum aliqua debilitate ieiunat, quàm robustus; & qui duos obolos, cùm plures non habeat, dat indigenti, quàm opulentus qui viginti. Qui tamen sua culpa, vt ebrietate, aut bonorum decoctione, imbecillis esset vel ad ieiunandum, vel ad largiendum, is parum ex hoc capite promoueret lucri spiritualis commodum, quia sese sponte in eam necessitatem induxit.

3. *Ex praua consuetudine.* Vt consuetudinis repugnantia non obsit, (nam difficultas illa ex inordinatione orta est) debet praua consuetudo, & inordinatio, factaque omnia è quibus eæ ortum habuerunt, improbari; & qui malè affectus ac propensus est, facti pœnitere.

4. *Ex tentatione.* Idem de tentatione dicendum est: sunt namque nonnulli, qui tentationi nimiùm indulgent, eique diutius aurem præbent, vel occasionem. Illa sanè obest plurimùm. quæ si constanter propellatur, nullaque occasio præbeatur; fortis constantisque est animi, ea excussa opus aggredi, inuito dæmone, carne, & omnibus aduersarijs. In quo solari se debent, qui, sæculi fugatis periculis, ad sanctam solitudinem confugerunt, occasionem omnem luctæ præscindentes. quos si deinde hostis aggrediatur, vtiliùs conflictabuntur, quàm si in sæculo remansissent, in quo luctam ipsam probare velleque censerentur, vt mundi sectatores velle censentur tentationum occasiones: imò vel quærunt ipsi, vel, cùm possint, non remouent. Tanti fit hæc agendi pugnandique ratio, vt talibus magna Deus promittat. *Apoc. 3.* *Qui vicerit*, ait, *sic vestietur vestimentis albis, & non delebo nomen eius de libro vitæ, & confitebor nomen eius coram Patre meo, & coram Angelis eius.*

Industria 7. Liberalis & profusa operatio. 44. Septima industria suadet, vt, qui potest multum, abundanter tribuat, ac se liberalem profusumque Deo exhibeat. Ita filium monuit Tobias: [a] *Si multum tibi fuerit, abundanter tribue; si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude. Præmium enim bonum tibi thesaurizas in die necessitatis.* Huc accedit D. Pauli exhortatio: *Qui parcè seminat, parcè & metet; & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet.* Quantitas verò hæc interdum ex inopia & necessitate accipientis consideratur: quæ largitio magna putanda est, si tota, eaque vrgens vel extrema leuetur inopia, vel etiam superetur: magna est, si summa ex se notabilis fuerit: magna item, si is qui tribuit, etsi parum tribuat, aliquid commodis suis & necessitati detrahit, vt alterius necessitatem subleuet; & plura tribueret, si suppeterent: qualis fuit vidua Euangelica, quę in duobus minutis totam substantiam largita est; plura datura, si habuisset.

a Tobiæ 4. *2. Cor. 9.* *Luc. 21.*

Ille profusissimè tribuit, qui nihil sibi reseruat. Si *fæneratur Domino, qui* Prou. 19.
miseretur pauperis; quanta negotiatio est, omnia sua Domino tanto concredere! Nec attendit quantitatem, sed profusam voluntatem: *Si enim*, ait Apostolus, *voluntas prompta est; secundum id, quod habet, accepta est, non* 2. Cor. 8.
secundùm id quod non habet. Dat etenim quod habet, & nihil retinet, ne quidem habendi voluntatem aut potestatem: qui est supremus liberalitatis gradus. Quare non immeritò supremũ etiam præmium reportat, auctore Domino, qui ait: *Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, &* Matth. 19.
da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo. Sed priùs in animo hunc thesaurum recipiet, iuxta Regium Prophetam: *Dispersit, dedit pauperibus*, Psal. 111.
iustitia eius manet in sæculum sæculi.

45. Nec est quòd quispiam obtendat quantitatem operis externam *Obiectio.* esse; metiendum valorem, & petendum ab animo, cùm externus actui interno nihil addat dignitatis, & à forma ac fine nobilitas operis pendeat: quia qui dat aureos centum, agit etiam internè, non minùs quàm *Responsio.* is qui dat quinquaginta tantùm. quare prior largitio, si par sit in intensione ac feruore, pluris æstimari debet, estque posteriore nobilior; primùm quia difficilius est dare centum aureos quàm quinquaginta, ideoque contra repugnantiam exurgentem conatu ac labore maiori opus est, quod & actum facit meliorem. Sed sint paria omnia: qui centum ex Caritate largitur, finem non minùs nobilem intendit quàm qui quinquaginta ex eadem; sed plus tribuit, estque res illa præstantior quàm altera; bonitas namque finis tota sese cõmunicat toti huic summæ ampliori. Nec sic considerata res est tantùm indifferens, qualis est thesaurus; sed euehitur ad dignitatem quandam supernaturalem, qua informatur; effectumque habet nobiliorem ac maiorem, sicut & opus ipsum maius fuit & dignius. Pone te offerre agnum Domino in sacrificium, & ego offeram agnum immaculatum noui Testamenti: ceteris paribus, sacrificium meum nobilius est tuo, etiamsi in sola materia constituatur discrepantia; quia melior est Christus agno. & centum millibus ducatorum plus vtilitatis adfertur reipublicæ, & ad Dei honorem, quàm quinquaginta; vnde præmium maius ac melius respondere debet. maioremque pœnam meretur, ob maius peccatum, qui centum millia, quàm qui quinquaginta ducatos furto abstulerit.

46. Huic proxima industria est, vt Deo obsequamur ex optimo ope- *Industria 8.* rationum genere. Sunt enim opera alia alijs meliora, non tantùm ra- *Optimum operationis genus.* tione materiæ subiectæ, sed etiam finis. Nobilius sacrificium altaris, quàm donum aliquod templo oblatum: melius docere ignorantes, quàm mortuos sepelire: dignius deuotè contemplari, quàm à cibis abstinere. Si materiam spectes, sunt & formæ aliæ alijs digniores: spei namque dignior forma quàm fidei, & fortitudinis laudabilior quàm sobrie-

ſobrietatis; denique Caritas ceteris virtutibus antecellit, quia nobiliſſima virtutum eſt; eiusque finis propiùs, & excellentiſſimo modo in hac vita poſſibili, & ob excellentiſſimam rationem Deum attingit infinitè bonum & perfectum, arctiusque hominem Deo coniungit, quàm ceteræ virtutes: ideo maior nobis vtilitas ac fructus ex ea accedit. Ille ergo operæpretium facit, qui omnes ſuas hac tam nobili forma inueſtit ac informat actiones; nec modò humanas, ſed etiam ſupernaturales, vt ſunt oratio, humilitas, fidei ac ſpei, continentiæ, iuſtitiæ, ac temperantiæ functiones atque officia.

Finis externus bonus nouam bonitatẽ actui tribuit.

Actus namque moralis ex obiecto bonus, vel etiam ſupernaturalis, ſi ſimul referatur ad finem extraneum, qui diſtinctam habeat honeſtatem, nouam bonitatis rationem recipiet, etiam retenta priore: vt qui ex miſericordia veſtiat pauperem, primùm quidem ad ſubleuandam inopiam, tollendamque miſeriam, quod ex ſe bonum honeſtumque eſt; ſi idipſum Chriſti amore faciat, tamquam ipſi Chriſto, adijcit operi nouam bonitatẽ finis, qui forma actus illius eſt, & per ſe ſufficiens vt bonitatem ei conferat: à nullo namque impeditur, quo minùs eam impertiat. Quid enim? qui furatur vt adulterium committat, magis adulter eſt quàm fur: non minùs verò eſt efficax intentio finis honeſti circa bonam electionem, quàm mali circa malam. Qui igitur eleemoſynam dat vt Deo placeat, magis Dei amans dicendus erit quàm miſericors.

Simile.

Fines varij honeſti in vnica actione.

Nec finis iſte nobilior alium actum proprium excludit: quia honeſtas honeſtati non repugnat. Qui enim veſtit nudum, verè ſubleuat nuditatem: nihilominus non impedit quo minùs idipſum in Deum referat. Vt, quæ mater alit filium, honeſtè facit: ſi vt ipſe parentis ſenectutem fulciat, rurſus honeſtè agit: ſed hoc ipſum deſiderat, vt, occupatus officijs pietatis erga parentem, otium fugiat; ne deinde cum ſoluta iuuentute corrumpatur: vlteriùs optat, vt hac opportunitate virtutem ac ſtudia capeſſat; ad quid? vt rempublicam iuuet: pergit in optatis, vt labentem religionem virtute operaque fulciat, & maximè quidem, ſi ita Deo viſum fuerit, in ſtatu PERFECTIONIS; denique ſeſe Deo per omnia cõſecret ac voueat; &, ſi fieri poteſt, vt filium, tamquam altera Machabæa, hoſtiam per martyrium factam aliquando videat. Omnes iſti fines non impediunt ſeſe: fitque actus talis nobiliſſimus, omnesque omnium actuum, qui in hoc vnico concluduntur, bonitates ac dignitates includit ac complectitur. Quando Chriſtus pauit quinque hominum millia, intendebátne ſolùm illorum famem depellere, & ſanos conſeruare? Nequaquam: omnes pauit corporaliter, ſed paſcere intendebat ſpirituali cibo fidei, eorumque animas Patris ſui obſequijs adiungere; item vt Patris voluntati ſeſe conformaret; deni-

2. Mach. 7.

denique vt gloriam eius promoueret. Ideo nobiles erant omnes Christi actiones; quem & nos imitari conuenit, si vtiliter mercari, si diuitijs crescere, si perfici cupiamus.

CAPVT XXXVIII.

Quanta merces singulis operibus reddatur, & quot gradibus gratia ac virtutes augeantur.

47. VNVM superest, quod supra modum sitim & auaritiam nostram spiritualem potest acuere: nimirum, *Quanta ex singulis actibus gratiæ fiat accessio; quot gradibus virtutum habitus augeantur*. Quæstio difficilis, vtilis tamen, & digna curiositate sancta, & æmulatione religiosa.

Ad hoc lucrum faciunt plurimum duæ illæ industriæ, quas in operum virtutumque præstantia, in ardore ac intensione constituimus: non enim omnium virtutum fructus est æqualis, alioquin earum nulla esset alia dignior.

Ad augmentũ gratiæ plurimum valent operũ præstantia, ac feruor seu intensio.

In lucro tria quoque consideranda sunt: gratiæ augmentum, accretio habitus aut virtutis, denique gloriæ reposita merces. Pari passu gratiæ & gloriæ præmium sese comitantur; non tamen æqualitas est in habituum accretione. Id quoque in actionis intensione ac feruore extra controuersiam est, remissa intensiorem esse meliorem, effectumque producere auctiorem; quantumlibet tamen actum remissum, aliquid efficere: vnde qui dat eleemosynam ex pia intentione, sine magno feruore, (quis enim, huiusmodi opera externa dum peraguntur, semper intendit ac dilatat interiùs animum, vt cum magno feruore fiant? vt quãdo [a]Martha seruiebat Christo, aut [b]vidua illa dabat sua minuta duo, fortè neutra de feruore cogitabat, sed bono affectu faciebant) qui, inquam, sancto proficiendi desiderio Deo aliquid largitur, etsi non ferueat quantum potest, augmentum gratiæ ac gloriæ acquirit.

Omnis actus iusti, etsi remissus, auget gratiam ac habitum virtutis. Probatur 1.
a *Luc. 10.*
b *Luc. 21.*

Crescit etiam virtutis illius habitus, etiamsi nonnulli aliter sentiant. Quid enim id impediat? Verbi gratia, obsequium Marthæ cum magna licet solicitudine & distractione factum, pio Christi placendi studio, habet omnia quæ requiruntur ad opus meritorium, tum ex parte operantis, tum ex parte operis, tum ex parte illius cui obsequebatur. [c]*Diligebat* namque *Christus Mariam, Martham, & Lazarum.* [d]Constabat ergo inter ipsam & Christum amicitiæ vinculum, quæ prima est meriti condicio. Opus Christo gratum erat, auctore [e] D. Augustino. nam dicens Mariam elegisse optimam partem, innuebat eius quoque esse bonam: coope-

Abulensis & Conradus.
c *Ioan. 11.*
d *Meriti condiciones.*
1. *Dei amicitia.*
2. *Opus bonũ & supernaturale.*
e *Serm. 27. de verbis Domini, post medium.*

Matth. 19. cooperabatur enim operi redemptionis; & recipiens Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipere merebatur. Opus quoque liberum erat. Non cogebatur Martha seruire; hospita erat, & gaudenter Christum excipiebat. Illud quidem fateor: lubenter vidisset sororem suam iuniorem simul manus operi admouere. Denique ita pacisci Deus nobiscum voluit, ac promittere, eum qui potum aquæ frigidæ dederit vni ex suis minimis, non perditurum mercedem. Quis ergo dicet Martham ita distractam varijs curis, vt solent hospitæ in hospitum variorum aduentu? vel cogitasse de illa animi contentione conatuque interno, vt is habitum Caritatis excederet, alioquin nihil promeritam in Christo excipiendo? Quis eam docuisset hanc doctrinam, cùm nec ipsi Apostoli adhuc rudiores subtilitates has intelligerent?

3. Opus liberum. 4. Promissio Dei. Matth. 10.

Probatur 2.

Philosophi de hac doctrina sentiant quod velint: actibus naturales habitus generari ac crescere nullus diffitetur; at habitus supernaturales non sic generantur, vt causa sola efficiens sit actus, sed infunduntur diuinitus, & meritis accrescunt, etsi morali quodam modo actus nostri Dei gratia & auxilio adiuti requirantur. Si ergo actus aliquis remissus eliciatur, qui meriti condiciones habeat; sine temeritate negari non potest esse meritorium, &, si nonnihil excrescat, plusculum amplius meriturum, quia melior est priore, & sic deinceps. Secundùm ergo omnes suos gradus erit meritorius, quia omnes illi gradus sunt eiusdem naturæ & condicionis, & vnum bonum opus efficiunt.

Qua ratione habitus augeantur. Dupliciter gradibus operis gradus gratiæ respondent.

Hoc tamen non æqualiter fit in omnibus virtutibus. Duobus namque modis fit, vt singulis gradibus operis, singuli gratiæ gradus respondeant. [a] Priori, vt æqualitas graduum seruetur, totque gradus gratiæ reddantur ac infundantur à Deo, quot actus ipse continebat. [b] Altero, vt vni gradui operis boni respondeat portio aliqua gratiæ, non tamen æqualis; nec tantundem recipiat gratiæ ac gloriæ, quantus actus fuerit: vt, si actus sex gradus habeat feruoris, duo gratiæ reddantur; si duodecim, quatuor recipiat; si viginti-quatuor, proportione simili octo mereatur; atque ita de singulis dicendum est.

a 1. b 2.

In virtutibus à Caritate distinctis non respondent omnes gradus gratiæ gradibus actus quo illam meremur. Simile.

48. In actibus namque virtutum, (Caritatem excipio, de qua postea dicturus sum) vbi Deus super omnia non diligitur, non redditur æqualitas; sed proportio illa, quam secundo loco posuimus, Doctorum probabili sententia seruatur. alioquin omnes virtutes essent æqualis meriti, quod non caret errore: videmus enim in humanis, nos quibusdam facinoribus Principes magis demereri, quàm alijs obsequijs. Gratius est Regi hostium expugnatio, ac fortis exercitus deletio, quàm coqui cuiusdam ministerium, ac mensæ opiparæ præparatio. Sic & Deus pluris æstimat actum heroicum ipsius causa exantlatum, quàm abstinentiam diei vnius à carnibus.

49. Hoc

49. Hoc verum eſt quoad gratiæ acceſſionem, ſed quid de virtutum habituumq́ue incremento? Non priuamur ſanè omni ſpe, præmioq́ue cupito: nam actus quilibet virtutis auget virtutis ſuæ habitum ſecundùm totam actus PERFECTIONEM, ac intenſionis ſuæ latitudinem; magnam etenim habet actus ipſe proportionem cum hoc augmento: ſi enim eſſet productiuus habitus, produceret habitum ſibi æqualem in ſubiecto idoneo. Meretur igitur habitum ſibi æqualem infundi, & eundem per actus augeri.

Creſcunt tamen virtutum habitus iuxta actuum latitudinem.

50. At quid dicemus de Caritate, virtutum ſole ac Regina, magni Regis ſponſa, quæ in eius thalamo commoratur? Illi hoc peculiare eſt, vt, dum diligit, dum ſuper omnia Deum quærit ac complectitur, tantum reportet ſiue habitus, ſiue gratiæ augmenti, quantum eius actus intenſus fuerit: primas enim inter meritorios actus obtinet, ſummamq́ue cum illo præmio proportionem habet, magnaq́ue ex parte præmium in hac Dilectione (vt antè teſtimonijs Scripturæ declarauimus) conſiſtit. Nec, quæ dicimus, fundamento carent: in iuſtificatione namque tantum quiſque gratiæ recipit, quanta Dilectio, quæ præceſſit, fuerit; non enim minùs à Deo diligimur, quàm ipſum diligamus. vnde Christus loquens Simoni de Maria Magdalena, *Remittuntur*, inquit, *ei peccata multa, quoniam dilexit multùm.* & Concilium Tridentinum, *Iuſti*, ait, *nominamur & ſumus, iuſtitiam in nobis recipientes, vnuſquiſque ſuam, ſecundùm menſuram quam Spiritus ſanctus partitur ſingulis prout vult, & ſecundùm propriam cuiuſque diſpoſitionem*. Multo ergo magis iuſtus tantum gratiæ reportabit, quantus erit actus, quo aliquid merebitur. Si hoſtis per præcedentem iuſtitiam tantum conſequitur, quid de filio credendum eſt? Similiter argumentatur Apoſtolus: *Si enim* (ait) *cùm inimici eſſemus, reconciliati ſumus Deo per mortem Filij eius; multo magis reconciliati ſalui erimus in vita ipſius*. quaſi dicat: Si ante reconciliationem, dum inimici eſſemus, gratia nobis reconciliationis tanta tributa eſt, quantam Deo placuit nobis ſuis meritis elargiri pro ratione noſtræ diſpoſitionis; quanto magis vita eius viuentes ſalutis opera faciemus, quibus gratiam ac vitam conſequamur æternam! Cur non liceat inferre de quantitate adepta per opus huius iuſti, quod de munere ac menſura gratiæ à Concilio ſtatuitur? Et ſanè Deus pronior eſt ad benefaciendum, quàm ſit ad puniendum: non punit vltra condignum; iuxta enim menſuram delicti mandatur & plagarum modus. Reddet igitur & meritis noſtris, & maximè filiorum, quod non negauit hoſtibus; & *menſuram* quidem (vt promiſit) *bonam, & confertam, & coagitatam, & ſupereffluentem*.

In Caritate gratia & habitus tantū creſcit, quantus actus eſt quo meremur.

Luc. 7.

Seſſ. 6. cap. 7.

Rom. 5.

Deut. 25.

Luc. 6.

51. Itaque illud efficitur, quod in omni opere Caritatis, aut Amoris Dei ſuper omnia: vt tot gradus gratiæ accreſcant, quot actus continebat; etiamſi idem non emineret ſupra totam PERFECTIONEM habitus.

Computatio magnæ mercedis operantium ex tota latitudine habitus.

Schema duplicata vnitatis trigesies & bis.

habitus. Quòd si ex plenitudine habitus quispiam operetur, tantum excrescet, quantus actus fuerit: vt, si actionis feruor decem gradus continebat, addentur alij de-
cem, & habitus intendetur vt viginti: si rursus idem eli- 1
ciat actum ex tota latitudine virtutis, accessio fiet aliorũ 2
viginti, sicque habitus quadraginta continebit; deinde 4
octoginta, & sic deinceps duplicando. hinc verè dicitur, 8
B. Virginem tantum omnino meruisse vltimo vitæ actu, 16
quantum tota anteacta vita: nam vltimus actus, quem 32
ex summo conatu ac PERFECTIONE elicuit, om- 64
nes gradus acquisitos duplicauit, ac prioribus adiecit. 128
Quapropter dici non potest, quantum accumulet stu- 256
diosus virtutis diuitiarum spiritualium, qui non minùs 512
auarè eas concupiscit, quàm pecuniæ periturae sitibun- 1024
dus helluo: si enim vel trigesies progressus fueris in hu- 2048
iusmodi additione, quam putas summam collegeris, vel 4096
vnius diei spatio? Dici potest, vix credi potest. Anno 8192
1608. Vicepræsidi Castri Bulloniensis, mihi familiari, 16384
quidam equum mediocrem vendidit, quem licitanti 32768
obtulit pretio vnius grani frumenti toties duplicati, 65536
quot in equi pedibus claui erant. In singulis reperti octo, 131072
in vniuersum triginta-duo. Primo clauo attributum est 262144
granum vnum, secundo duo, tertio quatuor, quarto 524288
octo, quinto sexdecim, & sic deinceps. Numeris paulo 1048576
maioribus impleta est infima quædam mensura granis 2097152
numeratis, quæ pluribus vicibus repleret duodecimam 4194304
partem modij magni, quem vix homines sex robusti fer- 8388608
re possint. Numerus trigesimus-secũdus & vltimus erat, 16777216
duo millia, centum quadraginta-septem milliones, quadringen- 33554432
ta octoginta-tria millia, sexcenta quadraginta octo grana: quę 67108864
in mensura Duacensi conficiunt *quadringenta triginta-* 134217728
tria millia; ducentas octoginta-quinque cuppas, quas vocant: 268435456
quarum quatuor conficiunt vnam raseriam, quæ homi- 536870912
nem sufficienter onerat. Raseriæ verò ex his conflan- 1073741824
tur *mille ducentæ triginta-nouem:* quæ totidem ducatis fa- 2147483648.
cilè æstimantur. Carè equum vẽdidit: nesciebat emptor alterius industriam; deceptus est. & verè nescimus pretium rei quam Deo vendimus: nihilominus Deus gaudet decipi à nobis. Quod promisit, quod pactus est, lubenter persoluet, nec vel vnum granum subtrahet.

52. Si mercatoribus tales opportunitates sæpe obtingerent, putásne vel

vel vnam prætermitterent? nequaquã. Ad Indos tot maris tempestatibus ac procellis insani periculis obnoxij peruadunt, spe mercium rariorum comparandarum, quas simili periculo reuehant; & sæpe frustrati nauim vitamque naufragio amittunt. Quid facerent, si Romam vsque tantùm esset eundum? si Parisios? si Bruxellas? At in hac negotiatione satis est, si templum accesseris, vbi Sacramenta recipias; ad ianuam tuam, vel viciniam, vbi pauperes pascas & vestias; ad oratorium tuum, vbi feruentissimè tete excites: imò nec pectus tuum egredi necesse est. Si hæc non possis, quis se non posse amare queri poterit? [a] S. Maria Ogniacensis flectebat millies & centies vno die naturali genua. [b] Dominicus Loricatus duodecim Psalteria continenter recitabat, cædens sese interea verbere. Id de Ioanne Taxedo Hispano, Ordinis D. Francisci, (qui anno 1550. obijt Vallisoleti) reuelationibus, raptibus, rebusque præclarè gestis, & (quod caput est) virtutibus inclyto, narratur: certo tempore illi solemne fuisse, centies noctu & centies interdiu genua flectere, & recitata oratione Dominica ac salutatione Angelica meditationem de aliquo Christi Domini mysterio instituere.

August. libro 50. hom. 6.
a *Iacobus à Vitriaco lib. 1. Vita eius apud Surium.*
b *B. Petrus Damian. libro 1. epist. 19. ad Alex. Papam.*

Si verò nos duplicemus quotidie quinquagies, annis sexaginta actus intensissimos Caritatis eliciendo, vt Beatam Virginem fortè & pluries annisque pluribus fecisse putandum est; quem numerum putas conficiemus? Pater Christophorus Clauius demonstratiuè ostendit, numerum quem ponit quinquaginta-duarum cifrarum tantùm, longè maiorem esse numero arenularum totum mundum vsque ad concauum firmamenti replentium, etiamsi arenulæ tam exiguæ essent, vt decem millia efficerent dumtaxat sphærulã grano papaueris æqualem. Crescunt enim numeri facilè additionibus, & vna cifra multos milliones potest efficere. Anima nostra infinitorum graduum gratiæ & PERFECTIONIS capax est, sine mensura augeri potest. Dolebimus certè, cùm ad vitam alteram intrandum erit, nostramque incusabimus socordiam, quòd occasiones augendi peculij nostri neglexerimus. Mirabimur tot gradibus nos ab infinita Dei PERFECTIONE abesse; tot beatos nos præcedere, subsequi perpaucos. Verè *filij huius sæculi prudentiores filijs lucis in generatione sua sunt*. quot artificijs, quot industrijs vtuntur ad augendas opes, ad rem suam promouendam!

In c. 1. Sphæræ Ioan. à Sacrobosco, sub finẽ.
Luc. 16.

In silua non ignota mercator quidam pro summa non admodum notabili emit quercus ea lege, vt tot sibi prosterneret, suasque faceret, quot vno die ab aurora ad vesperam vsque posset signare siluestri malleo. Contractus initus est. Obseruauit in primis emptor præstantissi- 1.
mas quasque cum otio; locaque designauit, quibus adeundis compendiosè ordinem seruaret; expectauit dies longissimos, & ab aurora ad vesperam vsque, ascitis aliquot socijs, quorum nonnullus panem vini-

Varia exempla, quibus ad lucrũ spirituale excitemur.

que lagenam conferebat, pæne totam siluam, quæ longitudine duo milliaria superat, latitudine non omnino æquali, quercubus spoliauit, incredibili domini damno. Has industrias filij lucis prætermittimus: quis enim adeò manè surgit, vt ad vesperam vsque salutis suæ negotia promoueat, vt insigni commentatione defectus suos obseruet, altas quercus superbiæ, amoris proprij, iudicij tenacioris, peruicacis voluntatis, auaritiæ, iræ decutiat, imò & prosternat? *Omnis qui in agone contendit*, (vt & mercatores isti) *ab omnibus se abstinet*; & illi vt corruptibile lucrum recipiant, nos autem incorruptum: & dormimus, & incurij languemus? Possumus tamen nullius damno aut incommodo, nostro verò commodo maximo, Deique summa voluntate, hoc pactum cum Deo initum, hunc contractum persequi ac complere. Quid ni facimus? Si à summo mane ad vesperam vsque prauam aliquam consuetudinem vel habitum pœnitentiæ malleo concuteremus, cauaremus certè lapidem illum, (quid ni? si gutta repetita cauare possit?) multas virtutes consequeremur. Lugebunt damnati ob pœnas quas sentient; lugebunt & socordiam, qua & pretium hoc incomparabile perdiderint, & gloriam societatemque beatorum amiserint.

1. Cor. 9.

2. Cogita si te Rex in ærarium suum induceret, potestatemque faceret vno quadrante horæ educendi ex eo quidquid diuitiarum velles; qua sedulitate, quo ardore id perficeres! dormires? (quæso) ederes? numerares tuas tenues pecunias? contenderes verbis? excusares te? Hoc fac dum viuis, quia vita nostra vt momentum stateræ est: ærarium Regium tibi apertum est. *Quodcumque facere potest manus tua, instanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quò tu properas*. Nihil tibi perdetur, nisi quod neglexeris. Age dum potes, breui non poteris: quia vbi quarta illa horæ pars excesserit, claudetur tibi Regium ærarium.

Eccle. 9.

3. Si mulier illa, quæ auctore Eliseo comparauit sibi vasa non pauca, putasset oleum tam fortunatè fluxurum, nónne longè plura vasa comparasset, quibus egregiè potuisset locupletari? haud dubiè. Id sanè nullus mercator prætermitteret, si Propheta quispiam hanc ei facultatem offerret. Defectus ergo non ab oleo, sed à vase prouenit. Tot vasa in nobis sunt, quot virtutes: sed ijs non vtimur, perinde ac si eas non haberemus. Sapientia oleum effundit, & petit, Da mihi aliud vas; & respondes, Non habeo; & bene: quia virtutibus aut cares omnino, aut abuteris; quas si haberes dilatatas ac patentes, non deesset oleum quod illas repleret. Et ne Deum accuses, quasi vas tibi non dederit: dedit vtique; sed vel nescis te habere; vel, si scias, non vteris; imò eius loco vitio contrario repleris, quod vsum huius excellentis vasis excludit.

4. Reg. 4.

53. Sed ad institutum redeat oratio. Statuamus tantum nos in spiri-

tuale lucrum velle intendere, modumque quæramus. Difficile namque est, excellentissimo quoque modo operari, nisi industrias suprà allatas sequamur: imò admodum difficile homini est, ex tota habitus PERFECTIONE operari. Duobus tamen modis videtur fieri posse vt id consequamur. Primo, vt à iuuentute, dum mollior ac tenerior animus est, hanc mamillam sugere, atque intimis medullis Deum complecti; aut certè, si annos illos excessimus, longo vsu internis operibus, ijsque frequentibus & incensis, insistere assuescamus. Vis enim omnis ab homine interno prodire debet; nec prodibit, nisi impressa fuerit; nec imprimetur, nisi exercitio atque actibus assiduè repetitis, vt latiùs libro secundo dicturi sumus. Altero, vt feruenti prece Deum in auxilium nostrum adsciscamus. Si enim nos visitauerit, auxiliumque adiunxerit; quod summa difficultate vix valemus, nullo negotio conficiemus. Ad quam visitationem seu gratiam actualem obtinendam plurimum valet orationis studium. Est enim oratio clauis cæli, ostium benedictionis, per quod lumen cæleste ac diuina solatia inferuntur: est scala, per quam cælum conscendimus, & è cælo auxilia accersimus ac reportamus; quæ si affluxerint, haud difficile erit intensissimè ac feruentissimè agere, & incredibiliter beneficia parta nouis accessionibus cumulare. Si enim gratia illa excitans eiusdem amplitudinis fuerit cum habitu, ea adiuta facultas laborem non sentiet: si verò excedat virtutis insitæ quantitatem ac intensionem, & ex illius plenitudine ac PERFECTIONE opus intendas, crescet habitus non ad mensuram qua constabat, gradus duplicando; sed actus cum gratia adiuuante elicitus tot ei gradus conferet, quot actus ipse continebit: vt, si habitus gradus centum nec plures habeat, superueniente auxilio mille gradus intenso, quo actus consentiens ac conformis eliciatur, habitus ad mille gradus extendetur. Quare magni momenti est, consolationibus illis cælestibus imbui & abundare; nullaque occasio prætermittenda est eas consequendi, vitandaque omnia obstacula, & maximè peccatorũ quantumcumque exilium, propter quę meritò hisce auxilijs priuari merere-mur. Minimus puluisculus oculum lædit, & conscientiæ mentisque suauitatem leuis culpa exterminat.

Modus operandi ex tota latitudine habitus duplex.

1.

2.

Orationis laus.

Peccati venialis detrimenta.

54. Quapropter, vt finem faciam, (nam de hisce dicendi locus ad Praxim pertinet) *dum tempus habemus, operemur bonum. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis*. Sapiens quoque nos monet: *Non defrauderis à die bono, & particula boni doni non te prætereat*. Præuideamus diem illum, quo nos oportebit coram iudice rationem actionum gratiæque acceptæ reddere: cogitemus quid respondere debeamus; quod sapientis omnino est. nam *qui custodit præceptum, non experietur quidquam mali. Tempus & responsionem cor sapientis intelligit*. Vrget Apostolus Paulus vt simus

Gal. 6.
2. Cor. 6.
Eccli. 14.
Eccle. 8.

Rom. 12. simus *solicitudine non pigri, spiritu feruentes, Domino seruientes: cautè ambulemus, non quasi insipientes, sed vt sapientes, redimentes tempus, quoniam*
Ephes. 5.
Tomo 2. in adhort. 3. de virtute ad nouitiũ Monachum. *dies mali sunt.* Quod sapientissimè S. Ephræm iuxtà ac copiosissimè inculcat. *Piscis,* ait, *in aquis constitutus si captus perruperit rete, seq; in fundum impulerit, saluatur: at cùm extractus in terram fuerit, sibi ampliùs opem ferre non potest. Sic & nos, donec in hoc sæculo versamur, potestatem à Deo habemus disrumpendi à nobis vincula earum rerum quas cupit inimicus, abijciendiq; graue onus peccatorum per pœnitentiam, & saluandi nos in regnum cælorum: at si tremendum illud præoccupauerit edictum, & anima è corpore egressa fuerit, corpusq; in sepulcrum illatum, non ampliùs nos ipsos iuuare poterimus; quemadmodum neque piscis ab aquis extractus, & in vasculo conclusus, sibi ampliùs opem ferre potest. Demus ergo operam, carissimi, vt laqueos inimici bonis euitemus operibus, antequam veniat & illucescat dies illa magna, in qua reuelabuntur quæcumque in occulto & tenebris egimus. Ne igitur expectemus donec mors aduenerit, vt non confundamur in resurrectione mortuorum, quando amicti conspicientur sancti stolis candidis, quas sibi per bona pararunt opera. Si nos ipsos tunc conspexerimus non solùm resplendente nudatos gloria, verùm etiam denigratos ac fœtore plenos, qualis putas nos occupabit confusio! Despiciendum nobis prauæ concupiscentiæ opus, & pro re nihili ducendum: vincamus exiguum illud pietatis amore, & ne in minimo cernamur reprobi. Magnum naufragium peccati opus, & quisquam erit qui tantam iacturam pro nihilo putet? Enitamur igitur ne tali tantoq; periculo succumbamus.* Hæc B. Ephræm; Diuus verò

Hom. 13. in Euangelia. Gregorius in eandẽ sententiam sic ait: *Quia momentis suis horæ fugiunt, agite, fratres carissimi, vt in boni operis messe detineantur. Audite quid sapiens*

Eccle. 9. *Salomon dicat: Quodcumque potest manus tua facere, instanter operare,* &c. *Quia ergo & venturæ mortis tempus ignoramus, & post mortem operari non possumus, superest vt ante mortem tempora indulta rapiamus. Sic enim, sic mors ipsa, cùm venerit, vincetur, si, priusquam veniat, semper timeatur.*

Hactenus fundamenta iecimus PERFECTIONIS acquirendæ; eam opportunè ipsa, quam altero libro trademus, praxis docebit, Deo duce & auctore, qui hactenus manum nostram tenuit ac direxit: cui meritò, vt omnia, sic & opusculum hoc nostrum adscribimus, rerum omnium principio ac fini, meritis Domini nostri IESV Christi, qui seruis suis opem suam inuocantibus non denegat; cui in vnitate Spiritus sancti sit laus & gloria annis perennibus.

AMEN.

DE STVDIO

PERFECTIONIS

LIBER SECVNDVS

QVO

PRAXIS ET NEGOTIATIO

SPIRITVALIS

TRADITVR.

Negotiamini, dum venio. LVC. 19.

PRÆFATIO.

CARISSIMIS FRATRIBVS PRAXIM AC NEGOTIATIONEM SPIRITVALEM.

ARBITROR *aliqua ex parte me votis dubijsq́; vestris, amantißimi fratres, respondisse, ijs præsertim quæ ad Theoriam spectant: valent verò plurimum ad demittendos animos, suiq́; Deiq́; cognitionem, & maximè gratiæ assertoris nostri Domini* IESV *Christi, assequendam. Sed Praxim potißimùm optastis. Eam trado, qua possum perspicuitate: nam abdita illa animi, diuinæq́; gratiæ, difficulter oculis proponũtur. Parum prosunt, quæ priori libro diximus, nisi Praxis accedat. Præsentiæ Dei considerationem plurimi reformidant; quòd ardua res sit, molesta, & perdifficilis. In hoc potißimùm laborauimus, vt exercitium hoc cum voluptate suscipiatur. Discußionis seu Examinis nomen, vt asperum ac tetricum, rei propositæ facilitate varijsq́; figuris reddimus sapidum atque optabile. Praxim virtutum, Caritatis, Fidei, ac Spei, (quæ bases virtutum aliarum sunt) delibandi gratia porrigimus; vt ceterarum exercendarum in vobis sitis ac desiderium accendatur. Negotiatio spiritualis ad Caritatem*

ritatem pertinet; Fidei ac Spei suus cuique tractatus tribuitur. Luc. 19. Negotiamini, (*ait Christus*) dum venio. *Sola scientia ne contenti sitis: illa namque lucrum reportat nullum; vt pecunia otiosa. Nec cibus mensæ appositus nutrit, nisi ori admoueatur, & in stomachum transmittatur; nec arma muniunt, nisi induantur; nec ædificia sine operis consurgunt. Idem sanè in Negotiatione spirituali accidit. Si Caritas sit otiosa, lucrari desinit; animum nequaquam pascit; vincimur tentationũ impetu; ædificium spirituale non modò non surgit, sed etiam corrumpitur quod exstructum est.* Greg. hom. 30. in Euang. *Denique* Amor Dei numquam est otiosus: magna operatur, si est; si autem operari renuit, Amor non est. Ioan. 6. Operamini cibum qui non perit. *In Praxi fructus est, laus est, gloria, & exultatio. Ad experientiam prouoco. Dominum* IESVM *Christum ex animo diligite, illum pro me precamini. Valete.*



DE STVDIO PERFECTIONIS

LIBER SECVNDVS

QVO

PRAXIS ET NEGOTIATIO SPIRITVALIS TRADITVR.

CAPVT I.

Deum vbique esse præsentem, intueri omnia, omnia perficere ac operari.



A Dei præsentia Praxim nostram exordimur; quòd ea via quædam compendiosa sit, & quasi multorum adminiculorum, quibus ad PERFECTIONEM veniatur, complexio. Initium est & quasi exemplar futurę beatitudinis: ita enim viuunt beati, vt Deum semper intueantur, semper ament; à bonis operibus, à laudibus numquam cessent; in actione semper versentur; Dei voluntatem cognoscant & exsequantur; ipsi quoque supremo Regi, quando lubet, loquantur; in eo exultent,

Laus concepta Dei præsentia. 1.

2.

exultent, &, gaudijs illius immersi, omni dolore & tristitia vacent. Idem accidit ijs, qui Deum oculis animi obuersantem statuunt; singulari enim beneuolentia ipsum complectuntur, ei colloquuntur, laudant, &, quantum humanæ vires ferunt, à bono opere actuque interno non cessant; eum in rebus agendis consulunt, eiusque sanctissimum beneplacitum sequuntur; denique tanti amici præsentia ea animi suauitate, pace, gaudioque perfruuntur, quæ sensum sermonemque omnem vincit ac superat.

2. Cetera adminicula parum proderunt, si à Dei conspectu recesserimus; cuius consideratio mala omnia profligat, consilia optima suggerit: dissolutus enim animus, & minimè sibi præsens, parum idoneus est ad res bene gerendas; facileque bona collecta dissipat, dum ne se quidem intra rationis limites potest continere: etenim si adeò seipsum effundat, vt vix ad se reuerti, vix sese colligere valeat; quomodo cælestia dona, cogitationes diuinitus immissas, sanctaque proposita conseruabit?

Difficultas præsentiã Dei inducendi ac conseruandi.

1.

3. Horrent quamplurimi hoc exercitium, & vel numquam aggrediuntur, vel susceptum relinquunt; quòd arduum nimis, & supra vires humanas esse videatur: timent nimirum ne libertatem vagandi, cogitandi, agendique quæ velint, retinere non valeant. quis enim, Deo præsente, animo versare dolos, machinari mortem alteri, sordes cogitatione ac volũtate voluere, quis opere complere exteriùs, quis scurrilia ac maledicta proferre audeat? quis denique pecudum more ingurgitare se, bacchari, peierare præsumat eo præsente, qui romphæam ancipitem tenet in manibus? qui clauem mortis habet & vitæ? qui potest occidere, & in gehennam præuaricatorem mittere? Cum hoc exercitio de præsentia Dei libertas carnis consistere non potest: priùs manus mentemque purgent, atque internum oculum; sicque idonei inuenientur Christi iudicio: *Beati* (ait) *mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*.

Matth. 5.

2.

4. Alij, etsi bene viuere velint, tamen nolunt subire molestiam; rati vitam hanc fore miseram, in qua nullum humanum solatium affulgeat; sese tristitia absorptum iri, si cum Deo assiduè conuersentur; attentionem nimiam caput exhaurire; denique, quicumque velit hoc vitæ genus aggredi, eum reputari velut inter mortuos; oportere valedicat rebus omnibus, cælo, terræ, aëri, & igni; sensibus omnia oblectamenta subtrahat; oculos omnino claudat; ostia circumstantiæ ori suo admoueat; linguam membraque omnia ne moueat; &, tamquam Principi magno assistat, decenter sese componat. Hæc facilè homines abducunt à cura ac studio sibi Deum repræsentandi; fateor: nemo ibit inficias, difficile id est; &, nisi prudenter procedatur, exercitium hoc non-

numquam dæmonis illusionibus erit obnoxium. cui opportunè remedium adhibebit prudens aliquis director, ad quem recurrere necesse est in dubijs: ex cuius ore pendere, illum loco Dei tenere, sua omnia manifesta esse, adeò è re illius erit, qui hoc exercitio animum cupit expolire, vt illud vnicum præsidium (Christo auctore) firmissimum ac pæne vnicum ad cacodæmonis artes dissoluendas esse videatur. Nec admodum quemquam mouere debent difficultates allatæ: scribimus enim virtutis amantibus, PERFECTIONIS studiosis, qui mori non recusant, & *mortificari tota die*, demum *æstimari sicut oues occisionis*; qui cum Paulo dicunt: [a] *Mihi viuere Christus est, & mori lucrum:* [b] *Mihi absit gloriari nisi in cruce Domini nostri* IESV *Christi:* [c] *Christo confixus sum cruci:* [d] *Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo:* [e] *Nemo mihi molestus sit, ego enim stigmata Domini* IESV *in corpore meo portare gestio, &* [f] *mortificationem* IESV *in corpore meo circumferre*. Sic (inquam) difficultates allatæ, crepundia sunt puerorum, quibus aliquando homines sui amantes facilè implicantur.

Psal. 43.
a *Phil. 1.*
b *Gal. 6.*
c *Gal. 2.*
d *Gal. 6.*
e *Ibidem.*
f *2. Cor. 4.*

Cōsiderationes pro Dei præsentia cōcipienda.

5\. Sed nullo negotio ruent ac dissipabuntur nebulæ istæ, si cælitus sol iustitiæ radios aliquos transfundat, & considerationes è Scripturis ac Patribus desumptas opponamus; inter quas prima est: Quantumcumque mortales Deum seque ipsos negligant, (lumine rationis & fidei in rebus agendis curaque atque animaduersione præsentis Numinis prætermissis) nihilominus *certum indubitatumque est, re ipsa Deum in omnibus rebus esse; omnique loco, quantumuis abdito; nec vlla potentia, virtute, aut industria excludi posse*. nec opus est nostra cogitatione vt omni loco præsens sit, cùm vbique existat, etiamsi Angelicus humanusque intellectus vel non foret, vel idipsum non conciperet. Hinc sapientissimè Seneca, etsi auctor Ethnicus: *Sic certè* (ait) *viuendum est, tamquam in conspectu viuamus; sic cogitandum, tamquam aliquis in pectus intimum inspicere possit: & potest; quid enim prodest ab homine aliquid esse secretum? nihil Deo clausum est; interest animis nostris, & cogitationibus medijs interuenit: sic interuenit, dico, non tamquam aliquando discedat*. Hæc Seneca. Hanc veritatem si homines apprehenderent, sua se sponte inducerent ad obsequium deferendum Deo, omni loco degenti: non enim putandum est diuinum Numen in cælo totum ac perfectū videri, secundùm essentiam ac præsentiā realem; nobiscum verò secundùm potentiam dumtaxat: vt Reges, qui in regia personaliter ac realiter consistunt, auctoritate verò in toto regno esse censentur. Totus est Deus in vniuerso mundo, & totus in partibus singulis; & perfectè quidem, vt statim dicemus. Si enim id animæ corpus informanti tribuimus, vt tota sit in toto corpore, tota similiter in minimo digito, ac reliquis particulis corporis; quid mirum si id in Deo veneremur, qui spiritus est, & spirituum con-

I.
Deum esse vbique præsentem.

Lib. 11. epist. 84.

2. Paral. 2. conditor? Dicebat Salomon: *Quis poterit præualere, vt ædificet ei dignam domum? Si cælum & cæli cælorum capere eum nequeunt; quantus ego sum, vt*
Iob 11. *poßim ædificare ei domum? Excelsior cælo est,* (ait Iob) *& quid facies? profun-*
Amos 9. *dior inferno, & vnde cognosces?* & ipse Dominus per Amos Prophetam: *Si descenderint vsque ad infernum, inde manus mea educet eos; & si ascenderint*
Psal. 138. *vsque in cælum, inde detraham eos.* Denique Regius Propheta: *Si ascendero in cælum, tu illic es; si descendero in infernū, ades; si sumpsero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris, etenim illuc manus tua deducet me.*
In Man. incip. Quoniam in medio laqueorum, cap. 1. tomo 9. Augustinus verò piè sic meditatur: *Vbique Deus es, & vbique totus; qui sentiri potes, videri non potes; qui nusquam dees, & tamen ab iniquorum cogitationibus longè es; qui nec ibi dees, vbi longè es: quia vbi non es per gratiam, ades per vindictam.*

Consideratio 2. Deum omnia videre.

6. Hæc consideratio momentum habet, sed maius altera; quæ non tantùm Deum in rebus omnibus existentem, sed cuncta videntem, penitusque intuentem nobis proponit: parum enim foret vbique ipsum versari, si nos videre non posset. Hæc verò consideratio adeò nos percellere deberet, vt nihil agere, ne hiscere quidem auderemus sine ingenti timore ac tremore, proposito nobis diuino Numine, cuius adeò perspicaces sunt oculi, cuique rationem reddere oportebit omnium gestorum; quorum ipse æquissimus futurus est & testis & iudex. Quare hanc considerationem fortissimè inculcant nobis sacrę paginę.
2. Paral. 16. *Oculi Domini contemplantur vniuersam terram. Ipse enim fines mundi intue-*
Iob 28. *tur, & omnia quæ sub cælo sunt respicit. In omni loco oculi Domini contemplan-*
Prou. 15. *tur bonos & malos.*

Deum videre internas cogitationes.

At dices Deum quidem intueri opera nostra, sed internas cogitationes eum latere. Non est ita: quid enim sanctus Rex ijs qui dicebant,
Psal. 93. *Non videbit Dominus, nec intelliget Deus Iacob,* respondet? *Intelligite insipientes in populo, & stulti aliquando sapite. Qui plantauit aurem, non audiet? aut qui finxit oculum, non considerat? Dominus scit cogitationes eorum, quo-*
Isaiæ 29. *niam vanæ sunt.* & Isaias: *Væ qui profundi estis corde, vt à Domino abscondatis consilium: quorum sunt in tenebris opera, & dicunt, Quis videt nos? & quis*
Lib de Speculo, cap. 3. tomo 9. *nouit nos?* quod D. Augustinus disertè confirmat. *Tu es verè,* inquit, *Dominus solus; Deus inuisibilis, inæstimabilis, incircumscriptus, illocalis, immensus, incomprehensibilis; vbique totus, vbique præsens; ineffabiliter omnia continens, omnia penetrans, omnia sciens, cuncta prospiciens, omnia potens, vniuersa gubernans; totus in cælo, totus in terra, totus etiam vbique.* Vnde profectò magna nobis incumbit necessitas illum præsentem contuendi, ne incuriæ nostræ ac inconsiderationi succenseat, qui omnia agimus perinde ac si cæcum Deum arbitraremur, videamurque assentiri ijs qui di-
Psal. 93. cebant, *Non videbit Dominus, nec intelliget Deus Iacob.*

7. Credimus diuinos oculos videre omnia; sed forsan cordium no-

ſtrorum intentiones fineſque abditos non videt. Omnino videt: non enim tantùm Deus vbique eſt, aut opera qualitercumque diiudicat, ſed & *penetrabilior eſt omni gladio ancipiti, & pertingens vſque ad diuiſionem animæ ac ſpiritus, compagum quoque ac medullarum, & diſcretor cogitationum, & intentionum cordis; & non eſt vlla creatura inuiſibilis in conſpectu eius, omnia autem nuda & aperta ſunt oculis eius*. Addit interpres D. Chryſoſtomus: *Aperta autem Græcè dicitur* τετραχηλισμένη, *id eſt, reſupinata, à metaphora pellium quæ extrahuntur à victimis. Quomodo enim quando quiſpiam illis iugulatis pellem à carne abſtraxerit, omnia quæ ſunt intus aperit, & noſtris oculis reddit manifeſta; ita etiam Deo clara & manifeſta propoſita ſunt omnia*.

Deum videre intētiones cordium noſtrorū.
Heb. 4.
Chryſ. orat. 7. in cap. 4. ad Heb. tomo 4.

Quid verò mirum ſi Deus præſens vbique ſit, & videat ſingula? perficit enim omnia opera noſtra, eaque nobiſcum operatur; dat vnicuique rei vt ſit, vt agat, vt moueatur, vt viuat. qua de re ſapienter Diuus Thomas: *Deus* (ait) *eſt in omnibus rebus; non quidem ſicut pars eſſentiæ, vel ſicut accidens, ſed ſicut agens adeſt ei in quod agit: oportet enim omne agens coniungi ei in quod immediatè agit, & ſua virtute illud contingere. vnde in 7. Phyſicorum probatur quòd motum & mouens oportet eſſe ſimul. Cùm autem Deus ſit ipſum eſſe per ſuam eſſentiam, oportet quòd eſſe creatum ſit proprius effectus eius, ſicut ignire eſt proprius effectus ipſius ignis. hunc autem effectum cauſat Deus in rebus non ſolùm quando primò eſſe incipiunt, ſed quàm diu in eſſe conſeruantur; ſicut lumen cauſatur in aëre à ſole, quàm diu aër illuminatus manet. Quàm diu igitur res habet eſſe, tam diu oportet quòd Deus adſit ei ſecundùm modum quo eſſe habet: eſſe autem eſt illud quod eſt magis intimum cuilibet, & quod profundiùs omnibus ineſt, cùm ſit formale reſpectu omnium quæ in re ſunt: vnde oportet quòd Deus ſit in omnibus rebus, & intimè*. Hæc ſanctus Pater; qui adeò exhauſit copiam omnem dicendi, & explicandi Numinis diuini præſentiam, vt nihil addi poſſe videatur.

1. p. q. 8. a. 1.

O quàm profundè animos noſtros penetrare deberent verba illa Dei per Ieremiam pronuntiata: *Ego Dominus ſcrutans cor, & probans renes; qui do vnicuique iuxta viam ſuam, & iuxta fructum adinuentionū ſuarum!* Duplici namque ratione operum noſtrorum teſtis erit Dominus. [a] Vna, quòd ſcrutetur ac videat omnia, teſtiſque futurus ſit oculatus: [b] altera, quòd in ijs efficiendis cooperetur. Fortior & irrefragabilior teſtis inueniri non poteſt, quàm qui in opere pars fuerit. at Deus omnia opera noſtra operatur. Credetur ei, & ſententiam feret æquam, dum vnicuique iuxta viam ſuam ac fructus adinuentionum ſuarum reſtituet. D. Auguſtinus, ſcribens ad Fortunatianum Siccenſem Epiſcopum, hanc veritatem paucis egregiè comprobat. *Ego*, ait, *dico quòd Deus totus oculus eſt, totus manus eſt, totus pes eſt. Totus oculus eſt, quia omnia videt; totus manus eſt, quia omnia operatur; totus pes eſt, quia vbique eſt*.

Ierem. 17.
Duplex ratio qua Deus teſtari de operibus noſtris poſſit.
[a] 1.
[b] 2.
D. Aug. epiſt. 111. ſub finem.

Quæ hactenus dicta ſunt, eleganti diſcurſu, ſed Laconicè compre-

Lib. 2. Synon. cap. 18. hendit S. Isidorus Episcopus Hispalensis. *Ante Deum,* inquit, *nihil est occultum. Verbum iniquum nec in corde tuo dicas. Verbum malum nec silentio abscondi potest. Omne verbum absconsum non celabitur: panditur enim in manifesto, quod in occulto deprimitur. Quod intus agis vel dicis, palàm positum puta. Lapides enim, quibus conscijs loquimur, non celabunt; & ipsi parietes, quod audierunt, non tacebunt. Si homines taceant, iumenta loquentur. Ita ergo peccatum declina, quasi celare non possis: ibi pecca, vbi Deum esse nescis. Nihil celatur ante Deum: videt occulta, qui fecit abscondita. Diuinis enim iudicijs eris reus, quamuis sis humanis absconditus. Deus vbique præsens est. Spiritus eius totum implet. Maiestas eius omnia penetrat elementa. Cuncta suæ potentiæ attingit præsentia. Extra eum locus nullus est. Cognitioni eius nihil occultum est. Omnia secreta vis virtutis eius irrumpit. Nulla se latere patitur; nullis obicibus, vt non penetret, impeditur. Ipse cogitationes nouit, ipse cor inspicit. Quod intus agitur aut latet, ipse videt: quod intus disponitur, ipse comprehendit: & iam quod homo in se ignorat, ille nouit.* Hæc Isidorus. Ex quibus conficitur, non modò doctrinam hanc de Deo memorando perfectis vtilem esse, sed subinde necessariò obseruandam, si à peccatis auelli, si præcipitia vitare velimus.

CAPVT II.

Numinis præsentis considerationem non modò peccatoribus esse necessariam, sed & iustis, ac PERFECTIONIS *studiosis.*

Necessitas præsentia diuina conquirenda lapsis.

8\. QVI enim à peccatis volunt liberari, necesse est sese ad Deum conuertant per fidem; & spe magna nixi ardenter peccatorum veniam petant; amoreque in Deum concepto, illi perpetuo nexu adhærere proponant. quæ necessitas eo loco habenda est,
I. vt sine ea nemo, qui peccato letali sese inquinauerit, salutem possit sperare. Esther, odio Principis Aman condemnata ad mortem cum toto
Esther 15. populo, gratiam petitura Regem accessit. *Ingressa igitur* (ait historia) *cuncta per ordinem ostia, stetit cōtra Regem, vbi ille residebat super solium regni sui, indutus vestibus Regijs, auroq; fulgens, & pretiosis lapidibus, eratq; terribilis aspectu: cumq; eleuasset faciem, & ardentibus oculis furorem pectoris indicasset; Regina corruit, &, in pallorem colore mutato, lassum super ancillulam reclinauit caput. Conuertitq; Deus spiritum Regis in mansuetudinem, & festinus ac metuens exsiliuit de solio, & sustētans eam vlnis suis, donec rediret ad se, his verbis blandiebatur: Quid habes, Esther? ego sum frater tuus, noli metuere,* non

non morieris: non enim pro te, sed pro omnibus hæc lex constituta est. Accede igitur, & tange sceptrum. Cumq; illa reticeret, tulit auream virgam, & posuit super collum eius, & osculatus est eam, & ait: Cur mihi non loqueris? Quæ respondit: Vidi te, domine, quasi Angelum Dei, & conturbatum est cor meum præ timore gloriæ tuæ: valde enim mirabilis es, domine, & facies tua plena est gratiarum. Cumq; loqueretur, rursus corruit, & pene exanimata est. Dei præsentis consideratione peccatorem terreri, & à peccatis auelli, Deoque reconciliari, hac excellenti figura eleganter exprimitur. Quæ enim Esther damnata cum toto populo suo, nisi peccator, qui à Mardochæo, mundi Saluatore, excitatus, cum Deo nititur in gratiam redire? At vbi sordium vitæ præteritæ venit in mentem, & dominium Maiestatis versat animo, dum considerat iratum Numen, coram quo curuatur orbis, quem adorant dominationes, tremunt potestates, ad cuius vocem quatiuntur fundamenta terræ, & (vt ait Propheta) *ante faciem frigoris eius* *Psal. 147.*
quis sustinebit? *oculi* namque *eius sicut flamma ignis, & in capite eius diade-* *Apoc. 1. & 19.*
mata multa, & de ore eius procedit gladius ex vtraque parte acutus, vt in ipso percutiat gentes: quis talem Dominum præsentem cernens, in peccato perseuerare audeat? At Dominus, qui præparationem cordis nostri *Psal. 9.*
aure benigna percipit, pœnitenti occurrit, & vel minima animi demissione se flecti permittit. Respexit Petrum, & is conuersus fleuit amarè. *Luc. 22.*
Occurrit radians illa Maiestas Paulo, qui corruit in terram, victasque manus porrigens dixit: *Domine, quid me vis facere?* Expauit Manasses, *Act. 9.*
Deum in se iratum sentiens; ceruicemque pertinacem inflexit, & peccatum confessus est. Subinde namque potentiæ suæ fulmine & iræ furore contumaces adeò percellit, vt ij postmodum ceruicem duriorem placato Domino subijciant. *Leo rugiet, quis non timebit?* Sic ergo pec- *Amos 3.*
catores, timore præsentis Dei confixi ac perculsi, fateri coguntur: *Vidi te, Domine,* lumine gratiæ tuæ præcinctum, quem numquam præ- *Esther 15.*
sentem consideraueram, non modò *quasi Angelum Dei,* sed vt Deum Maiestatis; *& conturbatum est cor meum præ timore gloriæ tuæ: valde enim mirabilis es, Domine, & facies tua plena est gratiarū.* Ad hæc nos solatur benignissimus Dominus, & virga aurea collum nostrum percutit. Illa virga sunt Sacramentorum formæ, aut Dei miserentis benigna condonatio. Percussit Moyses virga maris aquas, & submersi sunt omnes *Exodi 14.*
Ægyptij, populus verò Dei incolumis euasit. Percutit Sacerdos aquas baptismales vitæ verbo, tamquam virga aurea, & peccata omnia submerguntur, Deique cultor saluus emergit. Hac virga contingere Dominus dignatus est Mariam Magdalenam: quæ cùm dolore timoreque perculsa corruisset in collum ancillulæ, id est, à se planè deficiens, confidentiæ diuina bonitate nixæ caput inclinasset; audiuit tandē: *Remit-* *Luc. 7.*
tuntur tibi peccata. quę etsi quasi exanimata ad pedes Domini corruisset,

eos lacrymis suis rigans, capillisque abstergens, audiuit rursus, *Vade in pace*; magnique Regis & reconciliationem & amicitiam promeruit.

2. 9. Beatus Ephræm hanc doctrinam verbo & exemplo optimè stabilit. *Qui lasciuis*, ait, *effusi sunt concupiscentiis, curis atque solicitudinibus plena est vita eorum; quin & recordationis ipsius Dei obliuionem capiunt, quo peius grauiusq; est nihil. Nam continua Dei recordatione turpes animæ passiones recedunt; instar maleficorum, prætore accedente; vnde & mundum Spiritus sancti habitaculum efficitur: vbi verò memoria Dei abest, ibi tenebræ cum fœtore dominantur, omnisq; res improba exercetur*. Hæc Ephræm verbo: de eodem exemplum subijciam. *Cùm Edessæ Ephræm diuersaretur, è vicinia mulier parum verecunda per fenestras eum prospexit; & petulantiùs cùm ageret, & ad turpitudinem virum Angelicum solicitaret, Placet, inquit, modò loci deligendi mihi optionem dederis. Illa annuente, vrbem mediam delegit. Ecquid? ait illa; non erubescemus conspectum hominum? Respondens magnus Ephræm, Si homines, inquit, erubescimus; multo magis Deum erubescere & timere oportebit, qui nouit etiam occulta hominum: quoniam ipse est qui veniet iudicaturus mundum, & redditurus vnicuique secundùm opera sua. Hæc audiens mulier compuncta est ex verbis illius, & accedens procidit ante pedes illius, plorans, dicensq;: Serue Dei, deduc me in viam salutis, vt à multis meis malis operibusq; improbis liberer. Sanctus autem senex, multis eam admonens, misit in Monasterium, & saluauit eius animam ex cœno flagitiorum.*

Lib. de virtute, cap. 10.

3. *In 2. Vita eius, Operibus præfixa.*

10. Hæc lapsis congruunt, qui præsentiæ Dei consideratione à peccatis reuocantur ad pœnitentiam. Quid iustis? certè diuinæ præsentiæ seria contemplatio à lapsu facilè nos vindicat ac præseruat: & sanè longè magis quàm lapsos; nam & cognitio illustrior, & beneficia ampliora, & casus à tanto gradu formidabilior est. Si enim Dei benignitatem singulari cura ac præsidio me tueri considerem, eundemque *numquam dormitare, numquam dormire, qui custodit Israel*, mei memoriam numquam deponere, amicitiæ me oculis benignissimè aspicere; quî fieri poterit, sine ingentis ingratitudinis labe, vt iterum memoria eius deposita me in pristino peccatorum volutabro prouoluam?

Iustis necessaria præsentiæ Dei consideratio.

1.

Psal. 120.

Hoc argumentum tractans D. Augustinus, necessitatem nobis incumbere maximã statuit, hanc Dei præsentiam animo perpetuò contemplandi & retinendi. *Gressus meos*, ait, *semitasq; consideras, & die noctuq; super custodiam meam vigilas, omnes semitas meas diligenter notans, speculator perpetuus, veluti si totius creaturæ tuæ, cæli & terræ oblitus, tantùm me solum consideres, & nihil sit tibi curæ de alijs. Neque enim tibi crescit lux incommutabilis visionis tuæ, si tantùm vnũ aspicias; neque minuitur, si innumera videas, & diuersa.* & paulo pòst: *Sic igitur super custodiã meam stas, sicut si omnium obli-*

Soliloq. cap. 14.

tus sis, & mihi soli intendere velis: semper quippe te præsentem exhibes, semper te paratum offers, si me paratum inuenis. Quocumque iero, tu, Domine, me non deseris, nisi prior ego te deseram. Fateor quidem, quia quidquid facio, & quæcumque facio, ante te facio; & illud, quidquid est, quod facio, meliùs tu vides, quàm ego qui facio: quidquid enim semper operor, tu pariter semper præsens assistis, vtpote perpetuus inspector omnium cogitationum, intentionum, delectationum, & operationum mearum. & inferiùs: *Cumq; hæc diligenter considero, Domine Deus meus, terribilis & fortis, timore pariter & ingenti rubore confundor; quoniam nobis magna est indita necessitas iustè rectéq; viuendi, qui cuncta facimus ante oculos Iudicis cuncta cernentis.* Hæc Augustinus.

II. Enimuero si fragilitatem nostram consideremus, si hostes qui ceruicibus nostris imminent, si pericula omni tempore, loco, à quacumque parte, ac omni creaturarum genere parata contemplemur; si efferatam naturam nostram, quæ, nisi freno coërceatur, per varia præcipitia ruit incauta; quanta sit nobis necessitas huius præsidij, facilè conspiciemus. Lapsus est Dauid sanctissimus, cecidit Salomon sapientissimus, oppressus est Samson fortissimus; qui non corruissent, si Deum sibi præsentem reddidissent. Quid ni & nos Dei immemores? Hoc freno sanè indigemus equi indomiti. Non audet filius præsente parente familiam turbare, quod idem absente facere non formidat. Præsente magistro tacent audiuntque discipuli, qui, antequam veniret, insanire videbantur: ausine, quæso, fuissent, si vel per rimam aliquam se ab eodem obseruari cognouissent? Fugiunt latrones (ait D. Ephræm) in aduentu prætoris, qui detegi nolunt, nolunt suspendi. Non auderes immunditiam aliquam vel vnico homine præsente excitare in te; certè in præsentia patris tui non facies, non facies in præsentia Episcopi tui, non Principis, qui contra improbos gladium portat: & audebis, si Deum vibrantem fulgura, si romphæam voluentem conspicias, stipatum Angelorum vindicum myriadibus innumeris, patibula, equuleos, flammasque æternas minitantem? *Accipe*, ait Seneca scribens ad Lucilium, *& quidem vtilem & salutarem clausulam, quam te affigere animo volo. Aliquis vir bonus nobis eligendus est, ac semper ante oculos habendus, vt sic tamquam illo spectante viuamus, & omnia tamquam illo vidente faciamus. Hoc, mi Lucili, Epicurus præcepit, custodem nobis & pædagogum dedit, nec immeritò. Magna pars peccatorum tollitur, si peccaturis testis assistat. Aliquem habeat animus, quem vereatur, cuius auctoritate etiam secretum suum sanctius faciat. O felicem illum, qui non actus tantùm, sed etiam cogitatus emendat! O felicem, qui sic aliquem vereri potest, vt ad memoriam quoque eius se componat atque ordinet! Qui sic aliquem vereri potest, citò erit verendus. Elige itaque Catonem. Si hic videtur tibi nimis rigidus, elige remissioris animi virum Lælium; elige eum, cuius tibi*

2. *Probatur ratione.*

Lib. 1. epist. 11.

placuit & vita & oratio; & ipsius animum ante te ferens & vultus, illum semper tibi ostende vel custodem, vel exemplũ. Opus est, inquam, aliquo, ad quem mores nostri se ipsi erigant. Nisi ad regulam, praua non corriges. Hæc Seneca.

3. *Præsentia Patroni.*

12. Suadent SS. Patres virtutis ac PERFECTIONIS studiosis, si proficere velint, vt constituant sibi quasi intuentem se virum integerrimum quempiam, cuius puritatem admirentur, cuius sanctitatem venerentur: vt is præsentia sua, ac vitæ proposita integritate, defectus ac errores nostros tacitus arguat, reprehendat, corripiat, increpet, &, ne labamur, impediat. quod documentum admodum salutare est, & expedit Religiosos omnes sui Ordinis Patriarchas semper habere præsentes. nec falsò id quidem; est enim admodum probabile, singulos Ordinum fundatores non modò actiones suorum alumnorum cognoscere externas, sed & totius Ordinis ac singularum personarum mutationes videre, cogitationumque secreta rimari: hoc enim, auctore B. Thoma, alijsque Doctoribus, ad statum illorum pertinet, vt non tantùm Dei conspectu fruantur, (quod omnibus beatis commune est) sed etiam quæ in Ordine à se fundato fiunt, singulari Dei priuilegio, tamquam & Ordinis totius rectores, & tutores singulorum, perspecta habeant. quare etiamsi velimus tegere occulta conscientiarum nostrarum, ipsos latere non possunt. Hinc verò hic fructus emerget, quòd cùm Religiosi singuli eximio amore atque obseruãtia illos prosequantur, qui vitæ suæ duces sunt, ac conseruatores, si præsentiam illorum efforment, & ab illis se videri opinentur, à multis defectibus abstineant, quos aliàs committerent, considerata nempe eorum sanctitate, vestigijsque ad insistendum relictis: sunt enim ipsi velut speculum Religiosorum, in quo boni filij, nimirum in parentum vita, facies suas speculantur; vt vel maculas ac næuos suorum vitiorum, vel prauorum habituum ac consuetudinum rugas aduertant. Quare vbi contingit quempiam animo solutiorem esse, turbari, aut à feruore deuotionis intepescere, ad se redeat, sibique & talem personam, & vitam, & tacitam correptionem, quasi is coràm ageret, eumque audiret, constituat. Dubium non est, quin accepturus sit malis suis remedium; & eo maius, quo hoc præsidio frequentiùs vti consueuerit. Quod exercitij genus non tantùm ij vsurpare deberent, qui difficultatibus ac defectibus magnis laborant; sed & prouectiores in studio virtutis, quibus haud abs re erit, si singulis hebdomadibus, vel etiam diebus, hanc sui recognitionem ad Praxim reuocent, & frequentissimè in rebus agendis ad ipsum Parentem tamquam ad asylum recurrant.

Fundatores Ordinum, Religiosorum suorum videre actiones omnes. D. Greg lib. 12. Moral. c. 13. & lib. 4. Dialog. cap. 33. D. Thom. 1. p. q. 12. a. 8. & 2. 2. q. 83. a. 4. ad 2. Caiet. ibidem. Dur. in 4. d. 49. q 3. n. 13. & 18. S. Bonau. in 3. d. 14. a. 2. Molina in 1. p. S. Thomæ, ad q. 12. a. 8. disp. 5. memb. 3. in fine.

4. *Angeli tutelaris præsentia.*

13. Qui Religiosi non sunt, assumant Diœcesis vel Ecclesię vel nominis sui Patronum, cui sese clientes deuoueant. Et ne quis excusationi locus sit, singulis hominibus à natiuitate Angelus deputatur; quem Pæda-

Pædagogum ac Magiſtrum protectoremque cognoſcamus, cuius præſentiam vereamur, cuius audiamus monita, cuius Dominũ timeamus: habitat namque is in cæleſti palatio; & (vt ait Dominus) *Angeli eorum in cælis ſemper vident faciem Patris mei, qui in cælis eſt*, meritaque noſtra Deo quotidie offerunt. Quòd ſi nos officio noſtro deeſſe, ſi ſe contemni Magiſter, ſua monita negligi, Deum in poſtremis haberi, immo oppugnari vitijs viderit; iuſtas de nobis apud Deum querelas deponet, proteſtabitur nos rebelles agere, Deoque (quod impijſſimum eſt) parêre nolle, eundemque in die mortis noſtræ teſtem infenſiſſimum experiemur. Raphaëlem Tobias honorauit, ideoque tutelam & opes magnas, cùm temporales, tum ſpirituales, adeptus eſt. Non erubuerunt ſuorum Præſidum oculos fœdare mariti ſeptem Saræ puellæ caſtiſſimæ, ideoque Aſmodæus eos oppreſſit ac ſuffocauit. Illud dignum memoria, quod de quodam Societatis noſtræ Sacerdote narratur: qui cùm Angelo ſuo Præſidi eam reuerentiam deferret, vt, quotieſcumque portam aliquam ingrederetur, Angelo tutelari primas in ingreſſu relinqueret, is tandem opinione ſua fruſtratus non eſt; nam quodam die, dum ſingulari ſtudio locum eidem cederet, viſibilis Angelus tranſijt, & gratum ſibi huiuſmodi obſequium eſſe declarauit.

Matth. 18.

Exemplum Tobiæ. In lib. Tob.

Aliud.

14. Quòd ſi vel hominibus vel Angelis id tribuendum videatur, vt ne quid committamus, quod puriſſimos eorum oculos poſſit offendere; quo timore aut horrore percelli debemus, dum Deum omnia potentem audimus rebus omnibus intereſſe; nos in ipſo viuere, moueri, ac eſſe; & conſcientiam, eius præconem, velut ex alta ſpecula contueri! Sine cuiuſquam inuidia hîc verba Ethnici cuiuſdam referam; vt Chriſtiani videant quanta neceſſitas nobis incumbat diuinam præſentiam aſſiduè contemplandi. *Ea deliberanda omnino non ſunt*, ait, *in quibus eſt turpis ipſa deliberatio. atque etiam in omni deliberatione celandi & occultandi ſpes opinioq́; remouenda eſt: ſatis enim nobis, ſi modò in philoſophia aliquid profecimus, perſuaſum eſſe debet, ſi omnes Deos homines q́; celare poſſimus, nihil tamen auarè, nihil iniuſtè, nihil libidinosè, nihil incontinenter eſſe faciendum. Hinc ille Gyges inducitur à Platone, qui, cùm terra deceſſiſſet magnis quibuſdam imbribus, in illum hiatum deſcendit, æneumq́; equum (vt ferunt fabulæ) animaduertit, cuius in lateribus fores eſſent: quibus apertis, hominis mortui vidit corpus magnitudine inuſitata, anulumq́; aureum in digito; quem vt detraxit, ipſe induit: (erat autem Regius paſtor) tum in concilium paſtorum ſe recepit. ibi cùm palam eius anuli ad palmam conuerterat, à nullo videbatur, ipſe autem omnia videbat; idem rurſus videbatur, cùm in locum anulum inuerterat. itaque hac opportunitate anuli vſus, Reginæ ſtuprum intulit, eaq́; adiutrice Regem dominum interemit, ſuſtulitq́; quos obſtare arbitrabatur: nec in his quiſquam eum facinoribus potuit videre. ſic repentè anuli beneficio Rex exortus eſt Lydiæ.*

5. *Conſcientia timenda.*

Act. 17.

Cicero lib. 3. Officiorum.

Hunc

Hunc igitur ipsum anulum si habeat sapiens, nihil plus sibi licere putet peccare, quàm si non haberet: honesta enim bonis viris, non occulta, quæruntur. Hæc ille.

Verùm si nec homines nec cælites nos videant, quid timendum putas, cùm sine arbitro quippiam perpetrem? Certè te saltem facinus tuum latere non potest: caue tibi à teipso; si enim sciueris, totus orbis resciet; nec accusatorem habiturus es grauiorem, quàm teipsum, ac conscientiam tuam: & quidem apud teipsum; nam quietem tibi ipsa nullam concedet. *Iussisti, Domine*, ait Augustinus, *& verè sic est, vt pœna sibi sit ipsi inordinatus animus. Magna est vis conscientiæ*, ait quidam, *magna in vtramque partem: vt neque timeant qui nihil commiserint; & pœnam semper ante oculos versari putent, qui peccauerint.* vnde Isidorus: *Omnia fugere poterit homo, præter cor suum: non enim potest à se quispiam recedere; quocumque enim abierit, reatus sui conscientia illum non derelinquet.* Magna conscientiæ vis est, ac intolerabilis eius aculeus, si vel ei neges quod facere teneris, vel velis quod agere non possis.

Lib. 1. Confes. cap. 12.
Cic. pro Milone.
Lib. 2. Sent. cap. 26.

Recens & rarum cõscientiæ exemplum in peccatore.

Nostra ætate vir quidam locuples & potens facinus quoddam admiserat, quod fateri erubescebat; morteque ipsa & damnatione ei grauius erat, illud manifestare: conscientia tamen, vt Christiani hominis partes expleret, ita hominem stimulabat, vt nullo loco posset consistere. Audiuerat Antuerpiæ ex concionatore quodam, neminem teneri ea peccata fateri, quæ memoria exciderant, factaque diligentia non occurrerent.

1. Hanc doctrinam tegendo sceleri suo opportunam ratus, vt peccati obliuisceretur, nihil diligentiæ atque industriæ prætermisit. Dedidit se inprimis voluptatibus, varijsque peccatorum generibus se implicauit, peccata peccatis cumulando; vt vel ipsa confusione peccatorum vnius recordatio alterius memoriam obrueret. Verùm recurrebat assiduè tetra illa ac mordicans animi cura; quoque profusiùs se delicijs immergebat, eo atrociùs rodebatur interiùs, malumque in conscientia acriùs sæuiebat.

2. Profectus est deinde in regiones longinquas, vt locorum mutatione, & rerum varietate, memoria præteritorum confunderetur: verùm quantumcumque à patria recederet, à conscientia comite disiungi non poterat.

3. Adiecit animum studijs, & ijs quidem quæ attentionem maiorem requirunt, quæque totum hominem occupant, ac sibi maximè deuinciunt, & spiritus planè exhauriunt; qualis Mathematica, & Perspectiua; vt saltem hac ratione cogitationes de conscientia posset excludere: sed non potuit.

4. Tandem cùm audiuisset contritione peccata deleri, ad opera bona

bona confugit, in cinere & cilicio pœnitentiam agens, multaque pauperibus elargitus est in eleemosynam. Nec his quidem atrox ipsius vulnus sanari potuit.

5. Denique actus ad extrema, & mori iam certus, malo suo finem nocte insequenti adferre adacta vi statuit. Rhedam ergo conscendit; domum, à qua tum abierat, rediturus.

Errantem ac pereuntem ouiculam benignissimus Deus hîc iuuare ac reportare dignatus est.

Quidam de Societate nostra, (cum quo, dum viueret, familiariter vixi) per Brabantiam iter faciens cum socio, homini desperabundo (Deo ita disponente) occurrit: quem ex rheda conspicatus, rogauit vt currum conscenderet, vicitque recusantem importunitate. Cùm Pater esset in rheda, nullum ille fecit verbum, sed tacitus dicentem Patrem fixis intuebatur oculis: cumque Pater multa narraret, diuina prouidentia factum est vt de peccatorum confessione sermonem institueret, tetigitque inter narrandum hominis vlcus: qui stomachabundus illico, Quid, inquit, ais tu? vnde me nosti? Numquid ego te vidi antehac? ait Pater: sed nos huiusmodi narrare solemus, ne vanis & inutilibus rebus teramus diem. Ne mirere: nisi fortè quid in te sit, quamobrem iuuari velis; quod lubenter facturus sum. Iuueris? inquit ille: sed quis me iuuare potest, si confiteri renuam? atqui certò tibi persuadeas, numquam id me in æternum facturum. Si sine confessione mihi opitulari possis, tum enimuero patiar vt me adiuues. Solatus hominem Sacerdos, bono animo esse iubet; remedia alia proponit, promittitque (prudenti consilio vt hominem caperet) se sine confessione (de qua ad tempus silendum putabat) auxilium allaturum. Tum ille confidenter, quod res erat, edixit: mortem se sibi ea nocte destinasse, nisi remedium adueniret malo; angustias conscientiæ suæ vltrà ferre non posse; si sine confessione reconciliari Deo posset, nihil esse tam durum ac difficile quod recusaret, nihil noui arbitrari dura & aspera pati. Tum, quæ ad conscientiæ carnificinam extinguendã fecisset, prolixè enarrauit. Vt ergo sine peccatorum confessione se iuuari posse sperauit, totum sese Patri ea condicione subdidit. Promittit Pater omnino se præstiturum, nec facturum de confessione verbum, si tantùm ad pauculos dies obedire vellet, & omnia, quæ præciperet, examussim facere. Cùm ergo rheda domum appulisset, petijt à Patre quid à se fieri vellet. Pater, Instrue, inquit, lætum conuiuium, lautum epulum, & hospites tuos hilariter habeas. Indigebat videlicet homo mœrore prostratus animi relaxatione, & maximè nocte illa decretoria. Post epulum idem rursum, Pater, ait, quid vis me facere? Tota nocte, inquit Pater, securus dormias, ego cum socio pro te vigilabo, Deumque precabor. Postri-

die rediјt, petens quid sibi mandatum vellet. Dictauit ei Pater quædam puncta meditationis, quæ fiduciam & lætitiam animo adderent, consideranda horis distributis; atque ita duxit vnum atque alterum diem; tradidit ei deinde examen accuratum conscientiæ: Non, inquit, vt confitearis, hæc propono; sed vt scribas peccata tua, & in memoriam reuoces, atque de singulis doleas. quod perfecit accuratè. Denique abduxit illum in siluam, socio longo interuallo subsequente: rogauitque an bene excussisset animum, an nullum peccati genus intactum reliquisset; &, Ne quid fortè te præterierit aut fugerit, inquit, sciscitabor ex te quædam. Rogauit quidquid horrendum, triste, atrox cogitari poterat per omnia scelerum genera, donec illud peccatum tangeret, quod ille admiserat, ac confiteri non audebat. Ibi perturbatus miser, & horrore concussus, vltro fassus est: Illud, illud (inquit) est triste, infandum, horrendum, quod eloqui non audeo. Tum suauiter & benignè, Atqui, ait Pater, in libris meis grauiora sunt, & funestiora; ab hoc aliјsque multo atrocioribus te possum absoluere: iam confessus es, nec opus est pluribus, nisi vt dicas cetera quæ scripsisti. Procidit vir bonus in genua, cetera dixit, ac rite confessus beneficium absolutionis accepit; domumque reuersus, lætiorem vitam duxit, quam paucis annis pòst cum æterna ac feliciore commutauit. Dum adhuc viueret, nactus Patris eiusdem alloquendi occasionem, Quantum bonum est, inquit, mi Pater, peccatorum confessio! quàm securum me lætumque reddidit! quàm multa tristia sum passus, confessionem fugiens; quæ facilè euadere potuissem, si conscientiæ parêre voluissem!

Qui dixit, *Conscientia mille testes*, dixit optimè, sed non satis. Conscientia præterea est & scelerum vindex, & iustus iudex. Addo eandem etiam tortorem agere, & adhibitis furiјs à scelerato delicti pœnas exigere ac inferre. An non in die mortis extremique iudiciј prodibit omnium prima, vt sese deferat, & facinora sua prodat, proclamet, ac denuntiet? Dei namque illa vices gerit, cuius refert similitudinem; pro eodem excubat, rationis præferens facem; seuerique monitoris explet munus. Quòd si mens in vitio suo in hoc mundo cæcutiat, & rationi offundat tenebras; illæ illæ discutientur in morte: omnium memor erit conscientia; seque grauissimè incusabit, quòd ne munere quidem suo vitæ suæ tempore ipsamet perfuncta fuerit.

15. Hæc etsi vera sint, nihilominus non effugimus Dei oculos, cuncta cernentis; sed grauior timendi oboritur ratio, necessitasque præsentiæ diuinæ concipiendæ, animoque retinendæ, quo plures, qui nos obseruent, habemus; conscientiam inprimis nostram, quam effugere non valemus; Angelorum innumerabilium exercitus; dæmonem aduersarium; Patronos etiam nostros in cælo; Deum denique ipsum, æquissimum

mum iudicem, qui reddet vnicuique secundùm opera sua, & non patietur impunè, tantam tot sceleribus, quæ in dies patrantur, iniuriam ac contemptum sibi inferri atque irrogari.

CAPVT III.

Præsentiæ diuinæ conspectum non solùm mentis conceptione constare, sed à voluntate & affectu maximè pendere.

16. DIDYMVS (vt scribit Socrates) cùm puer adhuc litterarum elementa disceret, morbo oculorum visum amisit; eique Deus pro visibilibus oculis intelligibiles condonauit. Is tempore magni Antonij florebat; ad quem cùm venisset Alexandriam, fertur ei dixisse: *Non te conturbet, Didyme, amißio sensibilium oculorum; tales enim oculi tibi desunt, quibus & muscæ & pulices frui vtique possunt: sed gaude potiùs, quoniam habes oculos quibus etiam Angeli coütuntur; per quos videtur Deus, eiusq; lumen inspicitur.* Hæc Socrates. His ergo mentis oculis nos vti conuenit, si Deum præsentem intueri voluerimus. *In hist. Trip. lib. 8. cap. 8.*

Ad illam igitur considerationem venio, quæ nobis explicabit quæ & qualis sit hæc, de qua agimus, præsentiæ diuinæ contemplatio, apprehensio, visio, ac conceptio. Diuersis namque modis id fieri posse, ex ijs, quæ diximus, sat potest colligi. Apprehendere namque Deum potest quispiam solo intellectu, vt Philosophi; potest & fide, solo intellectu cooperante; potest denique vi & imperio amoris: si enim animum is possideat, facultatibus omnibus imperat, & ad exercitium appellit & applicat. *Modi, quibus Deus præsens apprehenditur, tres.*

Prima ratio videndi Dei non est contemnenda: honestum enim id est, & laudabile, & finis quàm optimus, Deum nosse, & à malo cauere. non sufficit tamen, nec constans esse poterit: non enim natura idonea ac sufficiens est vt molestiam ac laborem toleret, arceatque fluxum rapidum cogitationum occurrentium, impetum variarum appetitionum comprimat, motusque passionum, quæ hominē longissimè abripiunt. Fieri tamen potest, vt in complexione feliciore, aut etiam timidiore, apprehensio nascatur vehementior, & Deum interdum timeat plus æquo, quem præsentem nouit etiam lumine naturali. Hæc autem conceptio non sortietur effectum quem quærimus: concipiet enim Deum, non vt amantissimum parentem, aut benignum, misericordem, amabilemque benefactorem; sed vt seuerum Dominum, iudicem pertimescen- *Modus 1. Solo intellectu naturali.*

mescendum, scelerum vindicem implacabilem. ex qua consideratione seruilis timor, odij diuini ac blasphemiæ cogitationes exurgunt, inquietudo conscientiæ, desperatio: & quia tales difficulter à peccatis abstinent, putant de salute sua actum esse; nec ratio est & placandi conscientiam, & in spem erigendi; nec confitendi modum ponunt, aut finem faciunt. Idcirco inter Philosophos pauci sunt qui hac de re scripserint, pauciores qui exercuerint; & qui hac de re scribunt, paradoxa loqui videntur.

Modus 2. Per fidem. Heb. 11.

17. Mollior est apprehensio cùm ex fide nascitur: nam fides spei fundamentum est; vel, vt Paulus loquitur, *est sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium*. etsi seuera Dei iudicia interminet vna manu, altera benignitatem ostentat. Dicit ergo fides ex vna parte: Deus & *iustus* & *iudex* est; *nisi conuersi fueritis, gladium suum vibrabit, arcum suum tetendit, & parauit illum: & in eo parauit vasa mortis, sagittas suas ardentibus effecit*. at quibus? ijs nempe *qui parturiunt iniustitiam, concipiunt dolorem, & pariunt iniquitatem*. Ex altera verò parte iustis *adiutorium à Domino, qui saluos facit rectos corde*. Etsi sit Deus *iustus* & *fortis*; tamen addit, *Et patiens; numquid irascitur per singulos dies?* denique dixit, *Nisi conuersi fueritis*. si ergo conuersi fueritis, non vibrabo gladium, nec sagittas inflammatas emittam. Sic ergo fides rigorem iustitiæ misericordiæ benignitate temperat: arida tamen est fidei cognitio, si nihil (præter eam) accedat diuinæ præsentiæ considerationi; nam fides longè veriùs & potentiùs inculcat iudiciorum diuinorum seueritatem, quàm humana ratio: & licet ex eodem fidei fonte solatia ac remedia promantur, quæ ad spem excitent; sine nouo auxilio tamen non apprehenduntur, nec apprehensa sufficiunt ad frangendum impetum timoris & desperationis.

Psal 7.

Deinde, sine gratia excitante rarò Deus præsens concipitur, ne quidem à fidelibus, quorum fides præuio auxilio destituta sopita esse videtur; vnde opus est graui excitatione, concionatorum magnis clamoribus, punitione malefactorum, bellorum vastationibus, pestis ac famis flagellis, quibus homines vix, ac ne vix quidem, ad Dei manum extentam cognoscendam permouentur.

Modus 3. Fide & caritate. Tract. 2. in can. epist. Ioan. post medium, tomo 9. a Matth. 8.

18. Optima verò illa est ratio Deum coràm contemplandi, quæ ab amore proficiscitur; & ea non tam timore quàm beneuolentia nititur: nam (vt ait D. Augustinus) *cognitio sine caritate non saluos facit. Scientia inflat, caritas ædificat. Si confiteri vultis, & non amare; incipitis dæmonibus similes esse. a Confitebantur dæmones Filium Dei, & dicebant, Quid nobis & tibi? & repellebantur. Confitemini & amplectimini: illi enim timebant de iniquitatibus suis, vos amate dimissorem iniquitatum vestrarum.* Quid mirum si amans præsentem amicum facit, cùm animus sit ampliùs vbi amat, quàm

quàm vbi animat? vbi dolor, ibi manus; vbi amor, ibi oculus. Excitat amor desideria, desideria cogitationes, cogitationes fingunt imagines; vt præter eum, quem diligas, aliud cernere non videaris. quem affectum in quodam amico suo defuncto graphicè describit Augustinus. *Expetebant*, inquit, *eum vndique oculi mei, & non dabatur mihi; & oderam omnia, quia non haberent eum: & factus eram ipse mihi magna quæstio; & interrogabam animam meam quare tristis esset, & quare conturbaret me valde.* Hæc & plura Augustinus. Magna enim vis amoris est in vtramque partem, vt dolorem excitet, si ipsi, quod amat, tollatur; vel gaudium, si adsit quod diligit: vtroque tamen casu rem amatam præsentem constituit; quare, si constans amor fuerit, constans erit & dilecti memoria. *Lib. 4. Confess. cap. 4. in fine.*

19. Formam hanc ab ijs, qui suprema beatitudine potiuntur, desumimus. non enim beatos facit sola nudaque summi boni visio, antequam amauerint ipsi, amore beatifico: sed visio, quæ ex amore hoc sequitur, comprehensio possessioque vocatur; æternaque est, quia amans animus separari non vult; potestatemque habet imperandi intellectui, vt amicum teneat, nec dimittat. & nos quoque numquam præsentem Deum feliciter constanterque tenebimus, si sola cognitione nitamur, affectu vacui; sed si vehemens præcedat dilectio, illa dilectum cogitatione tenebit, *nec dimittet, donec introducat nos in domum matris nostræ* Ierusalem, *& in cubiculum genitricis nostræ*, diuinæ Sapientiæ, quæ *nos verbo veritatis genuit*. *Vt in beatis.* *Cant. 3.* *Iacob. 1.*

De hac præsentiæ Dei cognitione, quæ ab experientia sensuque interno nascitur, loquitur D. Ioannes: *Omnis qui diligit, ex Deo natus est, & cognoscit Deum*. & Propheta Regius: *Gustate & videte quoniam suauis est Dominus*. *1. Ioan. 4.* *Psal. 33.*

Expertus est hoc Ionathas filius Saul: qui cùm ausu insolito castra Philistinorum inuasisset cum solo armigero, magnamque edidisset stragem, & prostratis tandem ac trucidatis proprio mucrone hostibus deficeret, vixque oculos ad videndum posset intendere; oblatum opportunè mellis fauum extrema virga, quam manibus tenebat, delibauit, *& illuminati sunt* (ait Scriptura) *oculi eius*. Ionathas strenuum Christi militem, virtutisque ac PERFECTIONIS studiosum designat; qui magno animo statuit, solo Christi IESV præsidio armisque munitus, vitiorum leuiores lapsus, defectuum reliquias, concupiscentiæ impotentiam aggredi ac sternere. O quantum potest absolutum voluntatis imperium, inuictaque resolutio carnem subigendi, & antiquum hominem cum actibus suis prosternendi! si vel vnum vitium aggrediaris, & illud præsertim, ad quod natura magis propendeat, cetera nutant, sensimque ruunt, &, quasi mucronibus in mutua capita versis, passiones ipsæ virtuti seruiunt. Non deest interea generoso athletæ suo benignis- *Allegoria Ionathæ.* *1. Reg. 14.*

Apoc. 2. simus Dominus, *vincenti manna absconditum* mellitæ consolationis porrigens; (talis namque est cibus Dei causa pugnantium) eiusdemque præsidio illuminantur oculi, quibus ipse agnoscatur, eiusque pulchritudo; atque anima in posterum his pasta delicijs, eidem inseparabiliter adhærescat.

Exemplum S. Augustini. Solilоq. cap. 31. Hoc D. Augustinus expertus, ita sibi contigisse fatetur; quærit namque in hæc verba: *Inueni te, Domine Deus meus; sed qualiter inueni te?* & respondet: *Cognoui te in te. Cognoui te non sicut tibi es, sed cognoui te sicut mihi es; & non sine te, sed in te; quia tu es lux quæ illuminasti me. Sicut enim tibi es, soli tibi cognitus es. Cognoui te, quia Deus meus es tu. Cognoui te solum verum Deum, & quem misisti* IESVM *Christum. Erat enim tempus quando non cognoscebam te. Væ cæcitati illi, quando non videbam te: væ surditati illi, quando non audiebam te. Cæcus & surdus per formosa, quæ fecisti, deformis irruebam: & mecum eras, & tecum non eram; & ea me tenebant longè à te, quæ non essent, nisi essent in te. Illuminasti me lux mundi, & vidi te, & amaui te. Nemo quippe te amat, nisi qui te videt; & nemo te videt, nisi qui te amat. Serò te amaui, pulchritudo tam antiqua & tam noua; serò te amaui. Væ tempori illi, quando non amaui te.* Hæc Augustinus: vbi distinguit cognitionem fidei, quam caritas sequitur; à cognitione proficientium, quam caritas præcedit.

Sola caritas sufficiens non est ad præsentiam Dei excitandam. 20. Nemo tamen fallatur, ratus quemuis, qui habet caritatem, illico præsentem Dei conspectum nactum esse: habitus namque caritatis etsi facultatem adiuuet naturalem, & inclinet ad agendum; tamen si in ea sit repugnantia, si animus sit dispersus, si homo socordiā non excutiat, si intellectum ac memoriā non excitet, non mouebitur habitus ipse, nec mouebit. quare vel necesse est vt singulari priuilegio Deus animos illuminet ac præueniat, excitando mentem, inflammando voluntatem ad conspectum diuinum intenta cogitatione quęrendum ac retinendum; *Simile.* vel certè opus est animi contentione, sicut cùm artes traduntur & discuntur, qualis ars memoriæ, artesque liberales: vnde & à nonnullis de arte amandi scribentibus dicitur, maximam animi vim contentionemque, vt amici memoria cum beneuolentia retineatur, adhibendā esse. Sic & artem diligendi Dei, perpetuamque eius memoriā conseruandi, non nisi summo cum affectu conatuque industriæ nostræ haberi posse putandum est. Et licet in artes mechanicas, vel etiam liberales, aliásve sublimiores, quibus victus comparatur, homines suopte ingenio ferantur æquo ardentiùs; paucos tamen reperies qui in artem amandi Dei *Prou. 3.* velint incumbere, etsi *primi & purissimi fructus eius*, & *infinitus thesaurus* *Sap. 7.* ac *innumerabilis honestas* per illam amatoribus eius subueniant: ideoque fructus nonnullos hîc spargam, colligendos his qui arborem emere nolunt, ni gustu primùm eius excellentiam probauerint.

CAPVT IV.

De ſeptem fructibus eximijs, è diuini Numinis præſentis memoria prodeuntibus, tres explicantur: cognitio ſui, Dei clarior notitia, ac lætitia ſpiritualis.

21. PRIMVS ille decerpendus eſt fructus, qui primus erumpit, ac ceterorum eſt baſis atque fundamentũ; nempe ſui ipſius cognitio: vnde enim homo clariùs faciem ſuam videbit, quàm in illo ſpeculo, in quo omnium facies repræſentantur? eſt namque Deus *candor lucis æternæ, & ſpeculum ſine macula*, in quo facies noſtræ videntur planè ſibi conformes. *Talis tantusq́; es, ô homo,* (ait quidam Sanctus) *qualis quantusq́; coram Deo inueniris, & nihil ampliùs*. Et quia condicio noſtra, vel tenebræ nôſtræ mentis, ſine luce agnoſci nequeunt; hinc maximè humilitatem ac vilitatem noſtram, ſcilicet Deo præſente, videmus, ſine quo velut cæci iudices remanemus. hinc nos hortatur Regius Pſaltes: *Accedite ad Deum, & illuminamini, & facies veſtræ non confundentur*.

Primus fructus præſentiæ Dei, cognitio ſui.

Sap. 7.

S. Franciſcus apud Thomã à Kempis lib. 3. de imit. cap. 50.

Pſal. 33.

22. Quòd autem hæc ſcientia ceteris ſubſterni debeat, docent nos ſancti Patres. Eſt enim primum hominis ſapientiam affectantis, contemplari quid ipſe ſit, quid intra ſe, quid infra, quid ſupra, quid contra, quid antè, quid poſtea ſit. Hæc conſideratio quadripartitum parit fructum: vilitatem ſui, caritatem proximi, contemptum mundi, amorem Dei. Hinc Hugo Victorinus: *Fruſtra cordis oculum erigit ad videndum Deum, qui nondum idoneus eſt ad videndum ſemetipſum: prius enim eſt vt inuiſibilia ſpiritus tui cognoſcas, quàm poſſis eſſe idoneus ad cognoſcendum inuiſibilia Dei; & ſi non potes cognoſcere te, ne præſumas apprehendere ea quæ ſunt ſupra te. Præcipuum ac principale ſpeculum ad videndum Deum, animus rationalis intuens ſeipſum*. D. Bernardus: *Scio neminem abſque cognitione ſui ſaluari; de qua nimirum mater ſalutis humilitas oritur, & timor Domini, qui & ipſe ſicut eſt initium ſapientiæ, ita eſt & ſalutis*. Quos verò fructus pariat, ſcribit idem ad Eugenium. *Primùm, ait, ipſum fontem ſuum, id eſt, mentem, de qua oritur, conſideratio purificat; deinde regit affectus, dirigit actus, corrigit exceſſus, componit mores, vitam honeſtat & ordinat; poſtremò diuinarum pariter ac humanarũ rerum ſcientiam confert*. D. Gregorius paucis multa in hanc ſententiam ſcribens complectitur: *Quanto quiſque ſe minùs videt, tanto ſibi minùs diſplicet; & quanto maioris gratiæ lumen percipit, tanto ampliùs reprehenſibilem ſe eſſe cognoſcit*. Hæc Gregorius.

In Inſtit. Monaſt. lib. 3. de anima, cap. 6.

Serm. 37. in Cant.

Lib. de Conſid. cap. 7.

Lib. 32. Moral. cap. 2.

23. Hæc verò ſcientia, ſi vſquam, maximè in compoſitione voluntatis noſtræ cum diuina Maieſtate ac magnitudine comparatur. Quamdiu enim oculos in opera noſtra, diuitias, aut ſplendorem externum (quo opinione hominum florere aut aliquid poſſe videmur) conijcimus, vel aures hominum adulatorum laudibus præbemus, mira de nobis concipimus, quaſi nemo melior, nemo ſit excellentior, ſaltem in aliquo genere; pluraque nobis affingimus, quàm reuera habeamus: ſed vbi Deum intuemur, cui mundus vniuerſus ſi comparetur, ne gutta quidem roris antelucani, vel momentum ſtateræ dici poteſt, & in omni PERFECTIONIS genere eminet, ſine vllo peccatorum næuo; criſtas demittimus, cùm & nulla ſit noſtra virtus quæ cum eius gloria conferri queat, multaque ac enormia vitia deliteſcant in nobis, quibus turpiſſimi apparemus.

Sap. 11.

Secundus fructus, notitia Dei.

24. Secundus fructus eſt cognitio Dei: hæc enim clariùs apparet, cùm trabem ex oculo noſtro amoris proprij eduximus per notitiam infirmitatis noſtræ, vt eleganter obſeruauit Hugo de S. Victore. *Redi*, ait, *ad cor tuum, & ſubtiliter diſcute ipſum. Conſidera vnde venis, quò tendis, quomodo viuis, quid agis, quid amittis, quantum quotidie proficis, vel quantum deficis, quibus cogitationibus magis incurſaris, quibus affectibus frequentiùs tangeris, vel quibus tentationum machinis à maligno ſpiritu acriùs impugnaris: & cùm totum interioris & exterioris hominis ſtatum & habitum, quantum poſſibile eſt, plenè cognoueris, & non ſolùm qualis ſis, verùm etiã qualis eſſe debueras; de cognitione tui poteris ſubleuari ad contemplationem Dei.* Hæc Hugo. Quis verò clariùs Deum videt, quàm qui in eius faciem perpetuò intendit oculos? Intuendo enim, homines cognoſcimus; & quo diligentiùs ſingula lineamenta ac frequentiùs aduertimus, eo maior notitia ac familiaritas ex conuerſatione mutuisque officijs enaſcitur. Accedit, Deum eſſe *lucem quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*; & lumen quidem quod ſimul ignis eſt: vnde, qui propiùs accedunt, illuminantur & accenduntur; meritoque de eo dici poteſt, *Non eſt qui ſe abſcondat à calore eius*, ſi quis ſe illuminandum exhibeat. Hoc igne calefactus Iacob in voces lætiſſimas prorupit. *Vidi*, inquit, *Deum facie ad faciem, & ſalua facta eſt anima mea*. Eminens quædam ſpecies ac figura Dei obiecta fuit oculis Patriarchę, quę incredibiliter eum permouit. Vtinam & nobis diuina bonitas tale lumen figuramque obijceret! nam magno labore intellectus, rebus corporalibus & grandioribus figuris imbutus atque aſſuetus, Dei ſpeciem efformat inhærentem. cauterio opus eſſet, quod noſtris eam mentibus inureret.

Lib. 3. cit. de anima, cap. 6.

Ioan. 1.

Pſal. 18.

Geneſ. 32.

25. Hęc verò cognitio, adiuncta noſtri notitia, *conſummata iuſtitia eſt*; (vt ait Sapiens) *& ſcire iuſtitiam & virtutẽ, radix eſt immortalitatis*. Oritur namque ex caritate & ſapientia, quibus Dominus aliquid auxilij præuenien-

Sap. 15.

uenientis adijcit; & quærenti ſe liberali animo, liberalitatem rependit, nouo & ampliori lumine ſe patefaciens. Ex quo naſcitur ſenſus quidam de Deo, & iudicium præſtantius de eius excellentia, potentia, gloria, infinitate; maior item animi ſubmiſſio atque obſeruantia. Confirmatur quoque notitia de vilitate hominis concepta, ex collatione tantæ Maieſtatis cum abiectiſſimo vermiculo. vnde cùm D. Franciſcus in quodã Tuſciæ monte, ſeu Aluerniæ, quem dominus Vrlandus ei dederat ad conſtruendum Monaſterium, oraret, magna noctis parte diuino ſpiritu eleuatus, nihil à Fratre Leone, qui illum tacitus obſeruabat, auditus eſt dicere aliud, quàm: *Nouerim te, Domine; nouerim me. Quid es tu, dulciſſime Deus meus; & quid ego vermiculus paruulusq́; ſeruus tuus?* Vidit idem Frater Leo, dum hæc identidem Franciſcus repeteret, flammam ignis, oculis maximè delectabilem, è cælis in caput Franciſci, in ſilua, eleuata in cælum facie, nixis genibus manibusque extenſis deuotiſſimè orantis, demitti, tertioque in ſinum immiſſam manum educi, eleuari ac protendi in cælum velut geſtu quidpiam Deo offerentis. Deprehenſus eſt poſt orationem Frater Leo; qui B. Franciſco narrans quæ obſeruarat, ab eodem dictorum verborum, flammæ, protenſæque in cælum manus interpretationem accepit. *Eram*, inquit Franciſcus, *cùm verba illa proferrem, (Nouerim te, nouerim me; Quid tu es Domine Deus omnipotens, & quid ego ſum?) in lumine quodam contemplationis, in quo videbam abyſſum infinitæ bonitatis diuinæ, & imum deplorandum vilitatis meæ: ideoq́; dicebam, Quid es tu, Domine, ſummè ſapiens, ſummè bone, ſummè clemens, vt viſites me, qui nihil aliud ſum quàm ſummè vilis, vermiculus moaicus, abominabilis, & deſpectus? Petijt verò à me Dominus, cùm lumen illud videres, tres oblationes: quas cùm me habere negarem, iuſſus ſum textiò manum in ſinum inijcere, & reduxi ſigillatim numiſmata tria inuſitatæ magnitudinis, pulchritudinis, ac fulgoris, aurea; quæ eidem, vt mandabat, obtuli: factaq́; trina oblatione, flexis poplitibus gratias egi, quòd & dona largitus fuiſſet, & illa ipſa, tamquam à me profecta, ſuſcepiſſet. Quibus ſignificabat, paupertatem, caſtitatem, & obedientiam, virtutes altiſſimas ac ſplendidiſſimas, dono ſuo oblatas acceptiſſimas eſſe, & eas à me exactè ſeruari teſtabatur.* Hæc Franciſcus. Ex quibus fructum hunc duplicem oriri à conſpectu diuini Numinis colligimus, vt & humilitatem noſtram cognoſcamus, & Dei excellentiam memori mente retineamus; eique lubenter opera noſtra, tamquam eius beneficia, quæ tamen vt noſtra recipit, accepta referimus.

D. Franciſci exemplum. Anton. 3. p. hiſt. tit. 24. cap. 2. §. 8. & in Chron. Min. Gall. 1. p. lib. 2. cap. 55. Bonau. in Vita ſancti Franc. cap. 13.

26. Nec triſtitiæ vmbram hinc ſuſpicari quis poteſt, (quod initio obiectum fuerat) quaſi miſeram ætatem degant, qui ſe totos diuinæ amicitiæ dedunt; niſi dicamus præſentiam amici triſtitiam amico & dolorem adferre ſolere: nos verò [a] fructum tertium in ſpirituali lętitia collocamus; etenim verè ait quidam: *Excepta ſapientia nihil melius datum eſt*

a Tertius fructus, lætitia ſpiritualis.

Cic. lib. de Amicitia.

homini à Deo immortali, quàm amicitia. Quid enim dulcius, quàm habere quo-cum omnia audeas sic loqui, vt tecum? Quis esset tantus fructus in prosperis rebus, nisi haberes amicum, qui illis æquè ac tu ipse gauderet? aduersas verò res ferre difficile esset sine eo, qui illas grauiùs etiam quàm tu ferret. Illis sanè graue est præsentem Deum sustinere, qui cum eo gerunt inimicitias; non ijs qui eum habent in delicijs. Tutò ei potes tua credere; fidelis est: siue enim in prosperis, siue in aduersis, semper eum æquabilem inuenies.

Allegoria Nabal. *1. Reg. 25.* Cùm Nabal recusasset pueris Dauid subsidium annonæ eo tempore quo tonsores ouium conuiuio excipiebantur, & iratus Dauid cum quadringentis viris totam Nabalis familiam deleturus properaret; occurrit ei Abigail vxor Nabal, ac liberali oblatione humilique sermone sic iratum Dauidem placauit, vt non modò pepercerit Nabal, totique familię, sed & postmodum Abigail, prudentissimam mulierem, vxorem acceperit ac in delicijs habuerit.

Veterem hominem nostrum, qui erga Deum illiberalis est, eumque spernit, Nabal iste designat. Eius vxor, anima nostra fide & sapientia imbuta, altera Abigail eo prudentior est. Ille horret coram vero Dauide comparere; eius potentiam fugit ac reijcit: sed Abigail alacriter occurrit Domino suo, eum Regem vocat, illum prædicat, illi se commendat. nec frustra: talis namque anima non modò non interficitur, sed eam etiam benignè Dominus excipit; in sponsam assumit, & in delicijs habet. Mortuus quidem est Nabal; vti & vetus homo crucifigi debet, si Abigail diuinæ sapientiæ copulari velit: quæ certè lubentiùs & honoratiùs, maiori cum quiete ac gaudio, Deo nouoque sponso quàm veteri suo viro adhæret; sicut & Abigail lubentiùs ac splendidiùs erat cum Dauide in palatio, quàm cum Nabal in Carmelo. Plus enim deliciarum habet homo spiritualis vno die, plus honoris cum Deo, quàm centum diebus in desiderijs corporis sui. quod ipse Dauid testatur, cùm ait: *Melior est dies vna in atrijs tuis super millia*; ideoque *elegi abiectus esse in domo Dei mei magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum.* *Psal. 83.*

27. Adde magnam homini Deo familiari ingenerari confidentiam; auxiliumque aduersus hostes perpetuò esse paratum: quo quidem nihil iucundius accidere potest, deserto præsertim ac solitario, omnique humano solatio destituto; maximè vbi aduersarij & varij & acres insistunt; exploratumque est homini, se nec fortiorem nec sapientiorem nec certiorem cælesti Numine protectorem nancisci posse. *Qui habitat* namque *in adiutorio Altissimi, in protectione Dei cæli commorabitur. Dicet Domino: Susceptor meus es tu, & refugium meum.* & ei vicissim Dominus: *Clamabit ad me, & ego exaudiam eum; cum ipso sum in tribulatione; eripiam eum, & glorificabo eum.* *Psal. 90.*

Non

Non dicant ergo vani homines vitam tristem agere, qui Deo sese
familiares reddunt: enimuero tristissima est illa vita, qua à Deo, vero
solatio, separamur; omnisque vita, quæ ab illo non manat, innumeris
doloris ac tristitiæ aculeis manet obnoxia. Qui lætari vult, à peccato,
à mundo, à delicijs carnis recedat: *extrema* enim talis *gaudij luctus occu-* *Prou. 14.*
pat. Vos autem *exultate iusti in Domino, rectos decet collaudatio. Læta-* *Psal. 32.*
tus est populus, (vt in libro 1. Paralipomenon legitur) *cùm vota sponte pro-* *1. Paral. 29.*
mitterent, quia corde toto offerebant ea Domino: sed & Dauid Rex lætatus est
gaudio magno, & benedixit Domino coram vniuersa multitudine. Quare cum
eodem Rege sancto læti dicamus: *Renuit consolari anima mea; memor* *Psal. 76.*
fui Dei, & delectatus sum, & exercitatus sum, & defecit spiritus meus. &:
Prouidebam Dominum in conspectu meo semper; quoniam à dextris est mihi, ne *Psal. 15.*
commouear. Propter hoc lætatum est cor meum, & exultauit lingua mea; in-
super & caro mea requiescet in spe. denique: *Introite in conspectu eius in* *Psal. 99.*
exultatione.

CAPVT V.

Proponuntur duo alij fructus quos diuinæ præsentiæ memoriæ producit: timor & humilitas.

28. QVARTVS fructus, qui ex præstantissima hac arbore colli- *Quartus fru-*
gitur, est timor Domini: non is tantùm, qui principium est *ctus, timor Do-*
sapientiæ; sed & ille, qui à filio patri redditur, aut à sponsa *mini.*
marito; quíque à Sapiente [a] *gloria, & gloriatio, & lætitia, & corona exulta-* a *Eccli. 1.*
tionis appellatur. Et sanè, qui incipiunt cum Deo familiariter versari, *Gradus timo-ris Domini.*
primùm omnium timorē velut ex matris vbere lac sitientes hauriunt. 1.
Hinc prima reconciliationis fundamenta iaciuntur. *Timor* enim ille 2.
expellit peccatum: nam qui sine timore est, non poterit iustificari. Dicitur *Eccli. 1.*
enim: [b] *Initium sapientiæ timor Domini*. &: *In timore Domini declinatur à* b *Ibidem.* *Prou. 16.*
malo. Pergitur vlteriùs: incipiet enim ad Deum accedere per opera 3.
bona. *Qui timet Deum, faciet bona*. Opponet quoque se tentationi- *Eccli. 15.*
bus: [c] *qui* enim *timet Dominum, nihil trepidabit, & non pauebit, quoniam ipse* 4.
est spes eius. denique, [d] *qui timetis Dominum, diligite illum; & illuminabun-* c *Eccli. 34.* d *Eccli. 2.*
tur corda vestra. Hic timor radix sapientiæ est: erumpit enim ex eo 5.
amor Dei, & timor filialis, qui *plenitudo sapientiæ est*; & vterque ex Dei *Eccli. 1.*
assiduo conspectu oritur.

Regina Saba venit à finibus terræ audire sapientiam Salomonis, *Regina Saba.*
detulítque secum præstantia munera; quem cùm vidisset & audisset, *3. Reg. 10.*

Ex conspectu Dei nasci timorem. non habuit vltrà spiritum, & in has voces erupit: *Verus est sermo quem audiui in terra mea super sermonibus tuis, & super sapientia tua; & non credebam narrantibus mihi, donec ipsa veni, & vidi oculis meis, & probaui quòd media pars mihi nuntiata non fuerit. Beati viri tui, & beati serui tui, qui stant coram te semper, & audiunt sapientiam tuam.* O vtinam omnes homines hanc sapientem mulierem imitarentur, venirent Ierusalem, intrarent animos suos, alteram Ierusalem, pacisque visionem, vbi *Deus pacem loquitur in plebem suam!* (*Psal. 84.*) Vana sunt omnia quæ lucente sole videmus, quæ audimus: *gloriosa dicta sunt de te, ciuitas Dei;* (*Psal. 86.*) sed homines credere nolunt. *Ecce plus quàm Salomon hîc.* (*Matth. 12. Luc. 11.*) Ipsum adeant, muneraque deferant: alia verò feras opus non est, nisi cor tuum; da illud, & ad conspectum tanti Salomonis admittêris. Quòd si tibi hoc contingat, miraberis stultitiam tuam; tanto nempe tempore tantam gloriam neglexisse: perdes omnino spiritum præ admiratione eorum quæ in tali Dei obsequio videntur & audiuntur. O beati serui illi, Domine, qui stant perpetuò coram te, & vident sapientiam tuam! (*Luc. 10.*) Multi Reges voluerunt videre & audire; non viderunt, & non audierunt: (*Matth. 11.*) *Deus* enim *abscondit hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelat ea paruulis,* seque timentibus. & meritò: nam cor nostrum natura sua vanitati obnoxium est, facileque diuitias suas exponit; nec desunt fures, qui domum ingrediantur, & thesaurum abripiant: (*Timor ianitori comparatur.*) quare ianitore opus est, qui & nonnihil seuerior sit, & neminem admittat; nemini quoque ianuam aperiat sine domini expresso mandato. Eius cura est, fenestras corporis claudere; nihil eorum, quæ intus aguntur, iniussu domini manifestare; curiositatem exterminare; verbositatem cohibere; ab ingressu latrones, vanam gloriam & desidiam, arcere. (*2. Reg. 4.*) Luctuosus namque casus fuit Isboseth, filij Saul: qui cùm in meridie dormiret super stratum suum, & ancilla ostiaria, purgando tritico deputata, obdormisset; duo latronum principes, Rechab & Baana, ingressi sunt domum latenter, & percusserunt eum in inguine, & fugerunt. Isboseth, Rex Israël, virtutis amatorem designat, Deo seruientem, iamque passionum suarum impotentiæ vtcumque imperantem, plus æquo tamen in suo feruore, quasi in meridie, confidentem. Etsi namque confidere in Domino, atque in eo quiescere debeamus; non sine ancilla tamen vigile, nempe Dei timore: cuius est etiam purgare intentiones nostras, & paleas à bono grano separare; cogitationes bonas admittere, pellere noxias. quæ ostiaria si dormierit; en duo latrones, vana gloria ac desidia, quæ admodum furtiuè solent ingredi: (*Vana gloria ac desidia facilè se insinuant absente timore Dei.*) & quamuis blandæ prima facie appareant; quidquid agant, petunt iugulum. Desidia auocat à Dei præsentis conspectu, vana gloria penitius inuadens furatur omnia. At caue: qui tibi hæc dona largitus est, gloriam in alterum transferri prohibet. *Gloriam*

meam,

meam, inquit, *alteri non dabo*. Nec modò hæ pestes Dei dona surripiunt, sed & ceruicem petunt, sensim vitam adimunt. Quid enim refert, siue ingentem trabem secem securi, siue vermis depascens illam rodendo comminuat? *Time sagittam*, ait Bernardus: *leuiter volat, leuiter penetrat; sed dico tibi, non leue infligit vulnus, citò interficit. Nimirum sagitta hæc vana gloria est*. Hæc Bernardus.

Serm. 6. in Psal. Qui habitat.

29. Meritò ergo timet, qui tantum habet præsentem Dominum; quia potens est, & multa ei ad manum punitio est: etsi non essent alia, quàm quòd concessa bona ab ingratis & furibus retrahat, quòd faciem suam abscondat, quòd solatia sua subducat, quòd sine timore nemo possit perseuerare. Sicut enim ciuitas sine custodia, hostium cupiditati patet; &, quantumcumque altos muros habeat, sine tamen defensione aut vigilantia suas vires amittit: sic & animus hominis virtutum præsidio munitus, ac thesauris refertus cælestium donorum, facilè occupabitur, si timore Domini custode careat. *Secretum meum mihi, secretum meum mihi. Multi pacifici sint tibi, & consiliarius sit tibi vnus de mille.*

Timoris vtilitates.

Simile.

Isaia 24.

Eccli. 6.

Sic luceat lux vestra, ait Christus, *coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est*. Videant quidem homines, sine tamen operantium ostentatione ac iactantia. Inter opera præcipua, quibus Deus in hominibus laudatur, modestia est, timor Domini, & ceteri fructus qui ex præsentiæ Dei conspectu prodeunt. Offenduntur homines nostra gloriæ cupiditate, nullo nostro fructu; imò iacturam maximam internorũ bonorum interea facimus. Nemo pecuniæ locuples appendit crumenam, etsi holosericam, collo suo, cùm sese dat in iter, vbi præsertim latrones multi sunt; alioquin censetur & crumenam & pecuniam prodigere, & periculo euidenti exponere. quod D. Gregorius eleganter expressit. *Deprædari*, ait, *desiderat, qui thesaurum publicè portat in via*. Qui ergo hoc exercitio se cupit expolire, ac proficere, sic exteriùs se gerat, vt nemo facilè aduertat quid animo verset: vbi cubiculo conclusus vel tenebris tectus est, faciat quod velit; suspiria tamen non trahat, non impediat aliorum orationes aut quietem: &, si qui deprauati in se motus exurgentes comprimendi sint, sic agat, vt signa externa non edat, quibus alij offendantur, aut infirmi temere iudicandi occasionem accipiant; sicque arcanorum omnium solus Deus testis habeatur. In conuersatione communi etsi aliorum defectibus se conformare ac inquinare non debeat, Stoicos tamen mores fugiat, & præter modestiam singularem nihil exteriùs effingatur, quod omnibus ædificationi esse non possit.

Matth. 5.

Simile.

Hom. 15.

Notanda quædam documenta modestiæ.

30. Quintus fructus est humilitas, germana timoris: quis enim quidquam sibi audeat arrogare, quis sibi aliquid adscribere, quis honores ambire, qui præsentē habeat tantam Maiestatem? Si enim viginti-qua-

Quintus fructus, humilitas.

Apoc. 4.

Apoc. 5. tuor seniores viso Agno cadunt in faciem suam, *habentes* in manibus *phialas aureas, plenas odoramentorum, quæ sunt orationes sanctorum*; quanto magis mortales, qui de salute sua adhuc titubant, incerti *vtrùm amore an odio digni sint*! *Eccle. 9.* Considerantes namque Dei gloriam immensam, non modò in faciem cadere, sed vsque ad inferos se demittere, æquissimum videretur. *Isaia 6.* Seraphim alis senis sic vtuntur corā immensa illa Maiestate, vt duabus volent, duabus Dei pedes tegantur, duabus velent faciem eius. Et quidem volare necessariò nobis incumbit, si in cælum cupiamus pertingere: ideo enim alæ orationis & contemplationis datæ sunt. Et sanè multis indigemus, quæ, nisi petendo, non obtinebimus: nec petere debitè poterimus, nisi ad cælum volemus. At quis coram illa Maiestate comparere audeat? Tegi debent & pedes timore ac amore, sed humilitate ac modestia facies velanda est. *Psal. 61.* Quid? *nónne Deo subiecta erit anima nostra?* & si in faciem Moysi nemo posset oculos intendere, *Exod. 34.* *2. Cor. 3.* propter gloriam vultus eius, ideoque velo obduci debuit; quanto magis modestiæ velum inter nos Deique faciem debet intercedere!

Allegoria Rebeccæ. *Gen. 24.* Cùm Rebecca abduceretur à domo patris sui Nachor, vt Isaac sociaretur coniugio; ipsa in Palæstinam veniens reperit virum quendam occurrentem sibi in via quę ducit ad puteum, cuius nomen est Viuentis & videntis. Ipse erat Isaac, qui illuc meditandi gratia venerat. quem prospiciens Rebecca, à seruo sciscitata quisnam esset ille vir, respondit seruus: *Ipse est dominus meus* Isaac. Quare *Rebecca, conspecto Isaac, descendit de camelo, tollensq; citò pallium operuit se. Isaac* verò *introduxit eam in tabernaculum Saræ matris suæ, & accepit eam vxorem; & intantum dilexit eam, vt dolorem, qui ex morte matris eius acciderat, temperaret.* Rebecca animam Dei amantem ac virtutis studiosam significat, quam Deus, verus Isaac, in sponsam adsciscit. quæ antequam in sponsi præsentiam veniat, sæculi moribus imbuta, & inuerecundiæ assueta, parum curat qualis in conspectu Dei appareat, modò hominum placeat oculis: at vbi præsentem eum videt, cui perpetuo amoris vinculo copulari desiderat, tamque stupendam in eo Maiestatem aduertit, è camelo ac superbiæ sede descendit, gradus, dignitates, opinionem hominum abdicat à se, aut certè parui facit, & quasi vna de turba pedibus ambulat, corporis nuda, parum decora, contegit velo humilitatis, & pallio modestiæ animum mentemque operit.

Modus hic est demerendi sibi verum Isaac, vt nos in tabernaculum suum introducat, & in carissimam sponsam, quam deinde summo amore complectatur, accipiat.

CAPVT

CAPVT VI.

Reliqui duo fructus qui ex præsentia diuinæ conspectu colliguntur: nempe compositio morum, totiusq́ hominis externi; item vltimus, anonymus.

31. SEXTVS fructus est morum totiusque hominis externi compositio. Quis enim audeat præsente Rege nugari, cachinnari, insanire, alium percutere, Regi aut eius filio detrahere, calumniari, domestico illius iniuriam facere? Quod de ieiunio D. Basilius scribit, hîc Dei præsentiæ adscribere non est alienum. Sicut enim (ait) discipuli in classe, absente magistro, nimiùm insolescunt, verbis & verberibus sæpe contendunt, vociferantur, currunt, omniaque euertunt; superueniente verò magistro, momento quiescunt omnia, vixq́ue vnus mutire audet: sic & homines bacchantes ante Quadragesimam; cuius ieiunio comparente, die nempe Cinerum, sedatissima sunt omnia, bacchantium voces nullæ audiuntur, sed potiùs pœnitentium gemitus. Sic & homines, Dei memoria deposita, quasi absente magistro, moribus dissolutissimi sunt: qui vbi Magistrum magistrorũ oculis animi conspiciunt, componunt sese, & quid dicant, quid agant, quibus motibus agitentur, considerant; ne Heri reprehensione castigati, si sese non correxerint, à conspectu Domini reijciantur. Solent vxores maritorum desiderijs placere, non modò in vestitu, sed & in oculis demittendis, torquendis, dirigendis, in modo loquendi; vt, seruato decoro, cuicumque, quod suum est, tribuant: in gestibus verò sic student accommodare se, vt, siue incedant, siue caput, manus, pedesque moueant, compositionis cuiusdam rationem habere videantur. Non sunt viri Deo meliores; nec minori nos vinculo Deo obstricti, quàm vxores maritis.

Sextus fructus, compositio morum, totiusq́ hominis externi.

Orat. 2. de ieiunio, circa medium.

Simile.

Magistri præsentia coërcet discipulos.

Quomodo ergo oculos componemus? Vtinam imitaremur seruos aut pedisequas, dominos aut principes mulieres omni loco comitantes! attentissimè obseruant omnes nutus ac motus dominorum: qui si manum oculúmve moueant, statim, quid illi velint, serui concipiunt, aduolant, audiunt, & mandatum exequuntur. Modum hunc exemplo suo præscribit Regius Propheta. *Ad te*, ait, *leuaui oculos meos, qui habitas in cælis. Ecce sicut oculi seruorum in manibus dominorum suorum, sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ; ita oculi nostri ad Dominũ Deum nostrum, donec misereatur nostri*. Vtemur ergo optimè oculis, si attendamus quid à no-

Sensuum compositio.

I. Oculorum.

Psal. 122.

à nobis Dominus, quem oculis obiectum habemus, faciendum exigat. Turpe est viro, ac sponso cælesti displicet, si cuius oculi in faciem alterius defigantur; meritoque zelotypiæ concipiendæ zelanti domino præbetur occasio. qua nihilominus, (vt ita dicam) si quis alius, Dominus Deus laborare videtur, & se hoc zelo teneri profitetur; oditque profanos oculos, quibus videntes vel inordinatè mouentur ipsi, vel alijs permouendis ansam præbent.

In Chron. Minorum Gallicè, lib. 1. cap. 34. Pulchra parabola de custodia oculorum.

32. Hanc doctrinam D. Franciscus Fratribus sedulò inculcabat, allato etiam hoc ænigmate. *Rex quidam præpotens, sed pius, successiuè duos ad Reginã legauit nuntios; quorum prior reuersus, & verbis tantùm propositis verba reddidit, & de Reginæ persona planè retulit nihil: siquidem oculos cautè tenuerat, ne in Reginæ faciem prosilirent. Redijt alter, & post pauca, quæ ad legationem pertinebant, Verè, inquit, domine Rex, vidi pulcherrimã mulierem: felicem te reputo, cui illa coniux obtigerit. Serue nequam, inquit Rex, verè impudicitiam tuam prodis: quid superest, nisi vt concludam, te prospectam impudicis oculis, opprimere animo cogitasse? Priori verò nuntio ascito, Quid, ait, de Reginæ tibi persona videtur? Optimè, respondit: nam & patienter me audiuit, & sapienter respondit. Sed quid de forma & pulchritudine eius censes? Tuum id esto, ait, Rex, & videre & iudicare: mei muneris fuit, verba eius audire ac referre. Tum Rex, de vtroque ferens sententiam, illum palatio expulit, hunc verò à cubiculis constituit: Ne, inquit, ille thalamum meum polluat; tu verò illum custodias.* Quibus Franciscus subijciebat: *Quis non deberet vereri, in Christi sponsam profanos oculos conijcere?* Quod D. Paulus de vxoribus & mundo statuit, sensibus externis accommodare abs re non fuerit: *vt, qui habent vxores, tamquam non habentes sint; & qui vtuntur hoc mundo, tamquam non vtantur.* Visum habeamus, & tactum, aliosque sensus, simus tamen tamquam non habentes; sicque ijs vtamur, tamquam non vtentes, nisi quantum necessitas requirat: velant enim internum obtutum accepta phantasmata, nobisque (vt ad summũ altare velum appensum & extensum) Dei conspectum ac visionem adimunt. Nihil verò sic valet ad visum sensusque alios moderandos, quàm mentem sanctis cogitationibus habere occupatam, & in Deum præsentem intentos oculos retinere.

1. Cor. 7.

2. Quomodo loquendum. a Eccli. 20.

33. Sapienter & sensatè coram Rege loquendum est: nam (vt ait [a] Ecclesiasticus) *sapiens in verbis producet seipsum, & homo prudens placebit magnatis.* Prodit se fatuum, qui sine sensu coram Principe, quidquid in buccam venit, effutit. Coram Deo quàm sensatè, quàm prudenter nobis loquendum est! Hinc studium taciturnitatis in Patribus, qui multis annis ne verbum quidem locuti sunt, nisi confessionis Sacramentalis gratia. Et sanè facilius est omnino tacere, quàm prudenter loqui: vnde eum D. Iacobus perfectum vocat, qui in lingua non deliquerit.

Iacob. 3.

querit. Dicit quidam: *Quoties inter homines fui, minor homo redij.* &tamen ille ipse inter perfectos reputari meritò potest. Quantum ergo à nobis desciscimus, dum sine modo, sine præsentis Numinis intuitu, linguæ habenas laxamus; nec frenum, quod manu contrahamus, retinemus!

Apud Thom. à Kempis lib. 1. de imit. cap. 20.

34. In conspectu Regum de eorum gestis, aut maiorum, sermonem institui, gratum illis est. In cælo magnifica Dei opera referuntur; nec sermo alius, quàm magnitudinis eius, beneficentiæ, rerumque ab eo præclarè gestarum commemoratio. *Beati qui habitant in domo tua, Domine; in sæcula sæculorum laudabunt te.* Qui in cælorum atrijs versari volunt, & cum Rege conuersari, eos de rebus ad eius gloriam pertinentibus loqui oportet: idque meritò exigit, quandoquidem iure optimo ab omnibus omnia ad eius honorem referri debeant.

Quibus de rebus loquendũ.

Psal. 83.

35. Cauenda quoque à nobis iactantia est, quasi aliquid egerimus, aut facere statuamus, postposita eius memoria vel auxilio. Non solent vmquam Palatini coram Imperatore commemorare quidquam à se factum, etsi Rex nesciuerit quidem, si auctoritate aut nomine Regio fecerint, quod Principi suo non adscribant. Rex officia dedit, ipse sententias tulit, ipse noxam remisit: quia nempe eius nomine factum est. Caueamus coram Rege ne quidquam nobis attribuamus, cùm sine eius gratia auxilioque facere potuerimus nihil, aut possimus in futurũ: ideoque ei gratiam hominum colligamus, non nobis; ne furti arguamur, & vanæ æmulationis. hoc enim delicti genus valde noxium est. Idcirco B. Petrus, cùm stupentes Iudæi cateruatim accurrerent, vt viderent claudum in verbo Petri ambulantem, *Viri*, ait, *Israëlitæ, quid miramini in hoc, aut nos quid intuemini, quasi nostra virtute aut potestate fecerimus hunc ambulare? Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob glorificauit Filium suum* IESVM. Gratiam ergo populi non aucupari, sed Christo deferri voluit. & D. Iacobus, *Ecce nunc*, inquit, *qui dicitis, Hodie aut crastino ibimus in illam ciuitatem, & faciemus ibi quidem annum, & mercabimur, & lucrum faciemus; pro eo vt dicatis, Si Dominus voluerit.* Displicet namque Deo arrogantia iactantiaque cùm interna, tum maximè externis signis expressa; & arrogantior agendi modus, qui superbiæ suspicione carere non potest. Si offendantur Principes, quòd familiares, quæ fecerint ipsi, sibi arrogare videantur, & animos ac beneuolentiam subditorum sibi conciliare; non offendetur Dominus, qui rerum omnium auctor est, non tantùm quia eius auctoritate fiant, vel nomine, sed quia *sine ipso factum est nihil?* Nihil rectè ac laude dignum geremus, si nostra nobis tamquam auctoribus arrogemus.

In sermone cauenda iactantia & arrogantia.

Act. 3.

Iac. 4.

Ioan. 1.

36. In conuersatione etiam Philosophi profani multa obseruarunt. *Sit sermo lenis*, ait [a] Cicero, *miniméque pertinax. Neque verò, tamquam in possessio-*

a Lib. 1. Offic.

In conuersatione qualis sermo esse debeat.

possessionem suam venerit, excludat alios, sed cùm reliquis in rebus, tum in sermone communi, vicißitudine nonnumquam vtendum putet: ac videat inprimis quibus de rebus loquatur; si serijs, seueritatem adhibeat, si iocosis, lepôrem. In primis prouideat ne sermo vitium aliquod indicet inesse moribus: quod maximè tum solet euenire, cùm studiosè de absentibus detrahendi causa aut perridiculum, aut seuerè, aut maledicè contumelioseq́; dicitur. habentur autem plerumque sermones aut de domesticis negotijs, aut de republica, aut de artium studijs & doctrina. Danda igitur opera est, vt, etiamsi aberrare ad alia cœperit, ad hæc reuocetur oratio. Sed quoniam in omni vita rectißimè præcipitur, vt perturbationes fugiamus, id est, motus animi nimios, rationi non obtemperantes: sic eiusmodi motibus sermo debet vacare, ne aut ira existat, aut cupiditas aliqua, aut pigritia, aut ignauia, aut aliquid tale appareat. maximeq́; curandum est, vt eos, quibuscum sermonem conferimus, & vereri & diligere videamur. Ita profani Philosophi in præsentia Rationis loquendum esse censent, ne ab ea arguantur: quid Christiani in præsentia Creatoris sui? Quòd si officio rectè obeundo desint, si aberrent, si quid libidinosè, intemperanter, iracundè, scurriliter loquantur, quanto magis reprehẽsibiles erunt! Hi loquuntur de priuatis negotijs, de republica, de studijs: nobis non desunt historiæ quoque sacræ, infinita sunt quæ de Deo, de beatorum rebus gestis, de sacris litteris, de virtutũ exemplis narrentur; & si quando à scopo aberret, ad hæc capita reuocetur oratio. Verùm ad mores corporisque reliqui compositionem veniamus.

Morum compositio corã Deo.

37. Illud sanè videndũ, quid coram grauibus sapientibusque viris nobis agendum foret: solet enim quisque, vel etiam deprehensus, illico sese in se recipere, quidque sibi agendum, & quid qui præsens, honore dignus, exigat pro sua dignitate, cogitare.

Apud Surium tom. 3. fol. 721.

De S. Romualdo scribit Petrus Damianus, Rainerum Tusciæ Marchionem, vanitatibus mundi alioquin & potentia tumentem, solitum » dicere, sibi non Imperatorem posse tantum metum incutere, non vl- » lum mortalium, quantum se Romualdi terreret aspectus: ante eius » quippe vultum neque quid diceret scire, neque, quibus se defenderet, » excusationes inuenire. Habebat reuera vir sanctus hanc ex diuino mu- » nere gratiam, vt quicumque peccatores, præsertim potentes sæculi, in » eius præsentiam venissent, mox vt ante Maiestatẽ Dei territi formida- » rent. Sanctus nimirum Spiritus, qui pectori eius insidebat, hunc ter- » rorem iniustis intentabat. Vbi ergo Deum habemus præsentem, si verè apprehendamus, docebit ipsa ratio quid tanti Domini sapientia ac dignitas requirat, ni velimus confundi.

Sunt qui morum motuumque ac gestuum tradant præcepta; quæ cùm ex naturæ lege eruantur, & verò ex prima & æterna lege promantur, non possunt non iusta probari. Audiamus de hisce præcepta tradentem

dentem Philoſophum moralem. *Cùm autem pulchritudinis duo genera ſint,* (inquit) *quorum in altero venuſtas ſit, in altero dignitas; venuſtatem muliebrem ducere debemus, dignitatem virilem. Ergo & à forma remoueatur omnis viro non dignus ornatus, & huic ſimile vitium in geſtu motuq́; caueatur: nam & palæſtrici motus ſæpe ſunt odioſiores, & histrionum nonnulli geſtus ineptijs non vacant; & in vtroque genere, quæ ſunt recta & ſimplicia, laudantur. Adhibenda eſt præterea munditia, non odioſa, neque exquiſita nimis, tantùm quæ fugiat agreſtem & inhumanam negligentiam. Eadem ratio eſt habenda veſtitus; in quo, ſicut in pleriſque rebus, mediocritas optima eſt. Cauendum eſt autem ne aut tarditatibus vtamur in greſſu mollioribus, vt ſimiles pomparum ferculis eſſe videamur; aut in feſtinationibus ſuſcipiamus nimias celeritates: quæ cùm fiunt, anhelitus mouentur, vultus mutantur, ora torquentur; ex quibus magna ſignificatio fit, non adeſſe conſtantiam.* Hæc ſunt è natura deprompta. Pudet, quæ ab Ethnico ſcribuntur, à Chriſtiano, qui ſe in præſentia Dei perpetuò verſari credit, non ſeruari. *Cicero Offic. lib. 1.*

Maior in diuinis tremendiſque myſterijs cautio reuerentiaque requiritur; quam parum attendunt, qui ſtantes oculos huc illucque detorquent, variaſque & pernicioſas cogitationes aſciſcunt, cincinnos capitis conuoluunt, barbam mulcent, aut vtrimque diducunt, veſtes oſtentant, denique ibi tantummodo inciuiles ac incompoſiti ſunt, eoque tempore & loco, quo tremere, proſterni, lacrymari, pectora tundere, de peccatis veniam petere deberent. Si Deum præſentem tunc non habeant, quid in conclaui, quid in ſympoſio, quid inter calices & maiora animæ pericula facturi ſunt? *Qui mores deceant in ſacris.*

38. Meditationi ſua quoque reſpondet decens aptaque compoſitio. Stant quidam lubentius; flectunt alij poplites; alij, quòd corporis infirmitas requirat, innituntur, aut ſedent. Quidquid fiat, Deo ſua debetur reuerentia, ſed maximè in oratione. Ne tecto capite, aut inconcinnè innitendo, vagabundis oculis orans videatur, ipſa Dei præſens Maieſtas, à qua infimis precibus aliquid petitur, omnino ſuadet. Non ſic, alioquin pauperes, mendicant; non ſic libelli ſupplices Regibus porriguntur. *In meditatione.*

39. Rebus quoque domeſticis cùm mundities, tum maximè decorus ordo ac compoſitio reſpondeat, in ijs quæ ſiue corpus veſtiunt, ſiue cubicula, oratoria, atque alia concernunt, quæ ſingulis quibuſque locis collocantur. Angeli plerumque leguntur in veſtibus albis apparuiſſe, tamquam oſores ſordium: & in ſepulcro Domini, quod Angelorum erat cuſtodiæ demandatum, omnia compoſita Petrus & Ioannes poſt reſurrectionem repererunt. *Introiens* nempe *Petrus in monumentum,* (ait Ioannes) *vidit linteamina poſita, & ſudariũ quod fuerat ſuper caput eius, non cum linteaminibus poſitum, ſed ſeparatim inuolutum in vnum locum.* *Quæ deceant in domibus & cubiculis.* *Ioan. 20.*

Circa lectum quæ deceant. Cumque omnium, quæ in cubiculis sunt, ratio magna habenda est, tum lecti maximè, & quæ ad illum spectant; vt linteorum nihil appareat; &, si fieri possit, ne ipse quidem lectus interdiu videatur, cortinis contegatur: in quo cùm quietis tempore degendum est, ea corporis compositio ac situs deligatur, qui nec diuinis oculis, nec Angelorum Præsidum puritati displiceat. magnum enim ornamentum pudicitia est, quæ, vbicumque conspiciatur, res ipsas incredibiliter venustat atque cohonestat. D. Dominicus Romæ apud S. Sabinam quiescentibus Fratribus orans, ipse B. Virginem, duabus sanctis virginibus Cæcilia & Catharina (quarum altera vas aquæ benedictæ, altera aspergillum porrigebat) comitatam, vidit singulorum cubicula adeuntem, & aqua lustrali ac crucis signo eos consignantem, quos decenter compositos reperiebat. Fratrem vnum prætermisit. Causam cùm ignoraret B. Dominicus, quæsiuit ex eodem manè quid illi ea nocte accidisset. Fassus est bonus Frater aliquid in decentia ac honestate in se desiderari potuisse: nam euigilans se nudo corpore esse repererat, ceteroquin omni culpa carentem. Ideo, inquit Dominicus, suam benedictionem beatissima Virgo cùm ceteris impertiuisset, te tamen dignata non fuit.

In Vita eius apud Surium. Lib. 2. Vita S. Dominici, c. 13. S. Dominici pulchra visio de B. Virginis solicitudine.

Septimus fructus, anonymus. Septimus fructus anonymus est; ideoque caret nomine, quòd nominari scirique non possit, nisi ab eo qui expertus fuerit. Si [a] manna velis appellare, [b] *absconditū* est, *& nomen nouum, quod nemo scit, nisi qui accipit*. si [c] consolationem, [d] *magna* sanè est *multitudo dulcedinis Dei, quam abscondit timentibus se*. si [e] præmium, [f] *oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus ijs qui diligunt illum*. si [g] vnctionem Spiritus, certè illa non deerit vnctio, quæ sanet, quæ inflammet, quæ nutriat; sanet vulnera, corda inflammet, sancta desideria nutriat. Iis sanè, qui sensus in hoc genere exercitatos habent, dicit D. Ioannes: *Vos vnctionem habetis à Sancto, & nostis omnia*. &: *Vnctionem quam accepistis ab eo, maneat in vobis; &, sicut docuit vos, manete in eo*. &: *Non necesse habetis vt aliquis doceat vos; sed sicut vnctio eius docet vos de omnibus, & verum est, & non est mendacium*.

a Manna. b Apoc. 2. c Consolatio. d Psal. 30. e Præmium. f Isaia 64. & 1. Cor. 2. g Vnctio. 1. Ioan. 2.

Hic fructuum fructus locupletissimus est. Beata dies illa, qua nos fecerit in tabernaculum suum Dominus introire, in illo manere, illo frui, in eo ad finem vsque perseuerare. Qui deinde fructus consequantur, nemo nouit, nisi qui accipit; expertus cum Regina Saba potest exclamare: Vidi oculis meis, & probaui quòd media pars mihi nuntiata non fuerit. Maior est Dei bonitas, eiusque opera, quàm rumor quem audiui. Non credebam narrantibus mihi, donec ipse veni & vidi. Beati ergo ij qui stant coram te, Domine, semper, & audiunt sapientiam tuam. Sit Dominus Deus eorum benedictus in sæcula.

3. Reg. 10.

CAPVT VII.

Ex tribus modis generalibus existentiæ Dei in rebus, per essentiam, præsentiam, & potentiam, eruuntur alij particulares.

40. AGGREDIAMVR demum quod in hac de Dei præsentia quæstione difficillimum est, cùm vt explicetur, tum vt in Praxim reducatur. Præsens etenim vita à futura in eo distinguitur, quòd beati actualiter perpetuò de Deo cogitant, Deum amant, & non cogitare, non amare non possunt: nobis ea præsidia viresque non suppetunt; corpore quippe mortali, tamquam instrumẽto corruptibili, nobis vtendum est, cuius modum limitesque excedere frustra tentaremus: vnde, nisi quis prudenter in hac Praxi versetur, tantum abest vt negotium PERFECTIONIS suæ promoueat, vt etiam vires exhauriat, caput lædat, & se omnino ad mentalia officia exercenda inutilem reddat.

Vita præsentis & futuræ differentia.

Cautela adhibenda in exercitio præsentiæ diuinæ.

Nihilominus suadent sancti Patres hoc conceptæ diuinæ præsentiæ exercitium, tamquam medium & instrumentum conueniens ad PERFECTIONEM capessendã, cùm propter exercitij præstantiam, tum propter plurimas vtilitates, quarum nonnullas capitibus præcedentibus attigimus. qua de re ita loquitur Hugo de S. Victore: *Sicut nullum est momentum quo homo non vtatur ac fruatur Dei bonitate & misericordia; sic nullum debet esse momentũ quo eum præsentem non habeat in memoria.* Omne tempus in quo de Deo non cogitas, hoc te computa perdidisse.

Instit. Monast. lib. 3. de anima, cap 3. & Bern. lib. de interiori domo, cap. 9.

41. Quare modi quidam è sanctis Patribus educendi erunt; ijque & faciles, ne concipiendo lædatur imaginatio; & varij, vt varietas delectationem adferat, pellat tædium, iuuet denique continuationem.

Illud in primis constat omnibus, hîc non agi, vertique in dubium, vtrùm Deus sit in rebus locisque omnibus; eo enim Scripturæ diuinæ Patresque omnes nihil pæne inculcant frequentiùs; & vt idipsum certum testatumque presupponeremus, initio probaui Deum esse vbique, & omnia videre ac operari: sed quæritur quemadmodum concipiamus præsentem, & memores simus illius; eum denique, qui nos videt ac intuetur, quomodo videamus. Quare modi quidam concipiendi sunt, quibus id cum facilitate, fructu, ac delectatione assequi possimus.

Modi ergo seu rationes generales, quibus vbique esse Deus declaretur, auctore D. Thoma post S. Gregorium, sunt tres. Est enim in rebus omnibus ac locis per essentiam, præsentiam, & potentiam: quæ tria capita

Par. 1. q. 8 a. 3. Tribus modis Deum esse in rebus.

capita sunt, ex quibus multi modi effingi ac concipi possunt, quibus nobis Deus præsens redditur. Consideratur enim in omnibus [a] priùs verè existere: [b] deinde sic in illis esse, vt cuique rei esse tribuat & cõseruet: mouet etiam, agit, operatur, dum homo intelligit, vult, amat; & hæc tamquam primus motor, & causa effectiua. quod D. Gregorius ita distinguit: *Omnia tangit, nec tamen æqualiter omnia tangit: quædam enim tangit vt sint, nec tamen vt viuant & sentiant; sicut sunt cuncta insensibilia: quædam tangit vt sint, viuant, & sentiant, non tamen vt discernant; sicut sunt bruta animalia: quædam tangit vt sint, viuant, sentiant, ac discernant; sicut est humana & Angelica natura.* Hæc Gregorius. Nonnulli namque, etsi ad diuinam prouidentiam cuncta pertinere non diffiteantur, voluerunt tamen non omnia propriè à Deo creata esse; sed ipsum quædam condidisse, quæ postmodum cetera crearent. Non est ita: attingit enim sapientia creatrix *à fine vsque ad finem fortiter, & disponit* non aliqua tantùm, sed *omnia suauiter*. Huc pertinet tertius modus, quo Deus esse statuitur in operationibus humanis tamquam obiectum operantis animæ. Cùm enim homo de Deo cogitat, eumque cognoscit; res cognita à cognoscente Deus est: item si animus eum diligat ac desideret; res desiderata ac dilecta à desiderante ac diligente Deus est: & vt obiectum in eo esse dicitur, quod naturæ rationali propriè conuenit. Quòd si cognitio sit omnino naturalis, præsens erit per essentiam sine gratia: si cognitio amorque supernaturalis fuerit, censebitur in nobis esse per gratiam. quod D. Gregorius [a] sic declarat: *Qui numquam deest, & tamen ab iniquorum cogitationibus longè est: nec ibi deest, vbi longè est; quia vbi non est per gratiam, adest per vindictam.*

Modus 1. per essentiam. / a 1. / b 2. / *Hom. 8. in Ezech. ante medium.* / *Sap. 8.* / 3. *Deus per modũ obiecti cogniti ac dilecti in homine esse dicitur.* / 1. *Naturaliter.* / 2. *Supernaturaliter.* / a *Loco citato.*

Ex hoc ergo capite Deus vbique est, quia vbique existit; rebus omnibus deinde impertit vt sint, illudque esse conseruat; & vt agant tamquam prima causa immobilis mouet omnia: est in memoria, cùm de eo cogitas; est in intellectu, cùm illum cognoscis; est in voluntate, cùm eum diligis; denique nouo modo est in homine iusto, cui nouum esse gratiæ tribuit, & supernaturalem quandam rationem viuendi & agendi largitus eandem conseruat, & cooperatur veluti prima causa in genere vitæ supernaturalis, vt latiùs explicuimus priori libro.

Modus 2. quo Deus vbique est, per præsentiam.

42. Alterum caput est, nempe omnibus in rebus reperiri Dei prouidentiam per præsentiam: quod idcirco ponitur, quia posset quispiam dicere Deum quidem in omnibus existere secundùm suam substantiam, non tamen videre ac nosse quæ agantur. Dicimus verò aliquid alicui loco præsens esse, cùm res omnes, quæ in eo sunt, eius patent aspectui: fuerunt namque qui dicerent Dei prouidentiam in cælestibus occupari, ad corpora ista inferiora se minimè extendere; *circa cardines cæli perambulare, nec nostra considerare*, vt refert Iob. Non ita est; longè

Iob 22.

aliter

aliter sentiebat Augustinus, cùm diceret: *O tu bone, omnipotens, qui sic curas vnumquemque nostrûm, tamquam si solum cures; & sic omnes, tamquam singulos!* Sicut enim qui in aliqua domo residet, quæ in eius conspectu sunt, in ijs esse dicitur, quia sunt in eius præsentia: sic, etsi Deus essentialiter in omnibus non esset, constat tamen hunc orbem, tamquam domum, ipsum fabricasse; & non modò Angelos curare, eorumque cogitationes habere præsentes, & eorum rebus interesse, sed etiam omnium hominum res habere perspectas.

Lib. 3. Confess. cap. 11.

Simile.

43. Ex tertio capite, diuinæ nimirum potentiæ, dicitur Deus esse rebus omnibus præsens; contra Manichæorum errorem, qui statuebant diuinæ potestati non omnia subiecta esse, sed sola spiritualia & incorporea, corporales verò ac visibiles res nequaquam, sed potestati cuidam principij contrarij. Non ita credimus, sed cum Mardochæo libenter oramus: *Domine Rex omnipotens; in ditione enim tua cuncta sunt posita, & non est qui possit tuæ resistere voluntati, si decreueris saluare Israel: tu fecisti cælum & terram, & quidquid cæli ambitu continetur; Dominus omnium es, nec est qui resistat Maiestati tuæ.* Daniel etiam ait: *Ipse mutat tempora & ætates; transfert regna, atque constituit; dat sapientiam sapientibus, & scientiam intelligentibus.* Ex his tribus capitibus formandi erunt modi quidam familiares, quibus Deum nobis reddamus præsentem, aut potiùs nos memores præsentiæ eius sistamus.

Modus 3. diuinæ præsentiæ, per potentiam.

Esther 13.

Dan. 2.

CAPVT VIII.

Tres modi concepta præsentiæ diuinæ per essentiam. Primus est, Deum non esse animam mundi, sed quid nobilius per omnia diffusum. Secundus, esse lumen quoddam immensum, omnia penetrans. Tertius, tamquam Oceano omnia in ipso contineri.

44. PHILOSOPHI quidam in primis, inter quos Cicero & Varro apud D. Augustinũ, dixerunt *Deum esse animam mundi*: mundum enim animatũ constituebant; cui oculi duo essent, Sol & Luna, in capite, id est, in cælo, quod orbis quasi caput est: rerum omnium vim in agendo ac mouendo ab illa anima, quæ omnia moueat ac impellat, promanare; haud secus quàm in corpore humano singula videmus

Cic. de natura Deorum lib. 2. Aug. lib. 7. ciuit. cap. 6.

Mundum esse animatum ex Philosophorum sententia.

demus membra, distinctis officijs agentia, ab vnius animæ influxu pendere: ex quo rursus sequitur, res omnes aliquid esse Dei: nec mirum videri quòd diuina quædam Dei indicia in homine appareant, cùm ipse pars diuini corporis potissima sit, & (velut cor) nobiliùs de Dei diuinitate vitaque participet. Falsa hæc opinio est. Non enim Deus forma aut anima mundi est: est enim Deus causa agens, nec venire vllo

Parte 1. q. 3. a. 8.

modo potest in compositionem. D. Thomas hunc errorem doctissimè refutat. Philosophi tamen, qui de præsentia Dei nonnulla rimari voluerunt, hunc modum tamquam faciliorem vsurparunt, vt Deum præsentem intuerentur.

Modus 1. præsentiæ diuinæ. Deum perfectiùs esse in toto mundo, quàm si esset mundi anima.

a 1. Simile.

b Hom. 8. in Ezech.

Quod si commodè concipiamus, non erit abs re istum modum bene correctum in Praxim adducere. Etsi enim Deus anima mundi non sit, est tamen suo modo in toto mundo; & longè potentiùs nobiliusque, quàm anima in corpore. [a] Sicut enim anima est tota in toto corpore, & tota in singulis partibus: sic Deus in singulis mundi partibus totus est, & in vniuerso totus. ita enim [b] Gregorius: *Transeat ergo animus, & ab ijs transcendat omne quod creatum est: in solo creatoris sui lumine fidei oculos figat; quòd vnus viuificet omnia, qui creauit, Deus; quòd vbique est, & vbique totus*. En D. Gregorius Deo tribuit quòd rebus omnibus vitam adferat; quia & esse, & vitam, & quidquid ex ea oritur, efficit; seu (vt ait idem Gregorius) *viuificat*: non tamen vt forma, sed vt effectiua causa; quæ longè plus possit, quàm ipsamet rei forma, quæ quidem sine ipsius primæ causæ concursu nihil efficeret. Hanc similitudinis partem

In Psal. 118. ad Vers. Propè es tu Domine.

D. Hilarius optimè applicat. *Nihil*, ait, *Deo vacat, nihil indiget; vbique est, modo animæ incorporalis, quæ in membris omnibus diffusa, à singulis quibusque partibus non abest: etiamsi priuata quædam ei regia in toto corpore sedes est, tamen in medullis, digitis, artubus infunditur*.

2. Simile.

Deinde, vt anima singulis corporis membris diuersa officia tribuit, & agit; videt oculus, digiti scribunt, pes ambulat, dentes molunt, pulmones respirant, cor spiritus diffundit, hepar sanguificat, & vna anima hæc omnia operatur: sic & Deus in omnibus omnia operatur, cùm singula operantur.

3. Simile.

Denique, vt in homine viuente apparet vita in omnibus corporis partibus per eius operationes: ita in toto orbe sat diuina prouidentia rebus ipsis inesse conspicitur, cùm ordo vniuersi vno tenore conseruetur, & euentus varij ac prodigiosi eueniant, qui à solo Deo fieri possunt. vnde Psalmista: *Ordinatione tua perseuerat dies, quoniam omnia seruiunt tibi*. &: *Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annuntiat firmamentum*.

Psal. 118.
Psal. 18.

4. In hoc omnino etiam animam informantem Deus rebus inexistens superat, quòd illa corpore dumtaxat vtatur, ad actiones determinatas; nec

nec enim aut potest digito secare ferrum, aut brachijs volare, sursumque ascendere in aëra, aut sputo sanare lepram: Deus verò omni instrumento vtitur, vt inusitatos maximè producat effectus. [a] Luto cæcum illuminat, [b] de lapidibus suscitare potest filios Abrahæ, [c] felle curat Tobiæ oculos, [d] extenta manu Aaronis producit ranas, [e] Moysisque virgâ infinita patrat prodigia, aqua naturali lauat animas, verbisque quibusdam characterem imprimit animæ. Cùm enim rebus omnibus intimè sit præsens, tum, vt creator omnium, omni re tamquam instrumento vtitur, ad effectus diuersissimos producendos. Ideo magis timendus est, quòd flagella vbique parata habeat; ideo magis amandus, quòd ad bene agendum vbique paratus & ad manum à nobis semper habeatur.

a *Ioan. 9.*
b *Matth. 3.*
c *Tobiæ 11.*
d *Exod. 8.*
e *Exod. 9. 10. & 14.*

Quidni ergo possemus concipere mundum quasi Deo plenum? vt loquitur D. Chrysostomus: non quòd eius sit anima, sed quidpiã sublimius; quod potentiùs contineat omnia, quàm anima corpus quod animat. Hac enim ratione creaturis omnibus vtemur tamquam ab eo conditis; Deo seruientibus, tamquam instrumentis; vt Deo plenis: quæ ratio nos ab abusu creaturarum vehementer auocat; quandoquidem & in ijs præsentem Deum videamus, cui singula vindictæ instrumenta esse queant: & hoc ipsum nos ad magnam confidentiam concipiendam, eiusque implorandum auxilium, excitat; cùm profiteamur nos nihil sine eius concursu posse operari. Nec magno labore opus est ad hoc concipiendum: satis est enim hoc nosse, & momento reminisci, sine nouarum specierum efformatione, nostra opera in Dei præsentia efficiendo.

45. Alius modus est [f] D. Augustini, qui Deum sæpe apprehendit tamquam infinitum quoddam lumen, diffusum per molem vniuersi orbis; quodque cuncta penetrat, nec tamen inclusum; quodque à nulla re excludi possit. Declaratur hac similitudine. [g] Ponamus mundum esse crystallinum, solemque à nullo impeditum radios suos directè immittere: radij solares omnia illustrabunt, erunt omnia transparentia ac conspicua. Quòd verò iam id non fiat, causæ sunt, materies rerum densa, plena, & opaca; quodque per varias moles soli oppositas sol radios diffundere non possit. Sed diffusionem infinitam diuinæ lucis, nullum corpus, quantumlibet durum, densum, vel opacum, impedire potest: est namque Deus *lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. In ipso* Dei Verbo *vita erat,* (ait Ioannes) *& vita erat lux hominum; & lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.* & Christus dicit de se: *Ego sum lux mundi.* denique Iacobus: *Omne datum optimum & omne donum perfectum desursum est, descendens à patre luminum; apud quem non est transmutatio, nec vicißitudinis obumbratio.* Quòd

Modus 2. Deum esse lumen infinitum omnia penetrans, non tamen exclusum.
f *Soliloq. cap. 3.*
g *Simile.*
Ioan. 1.
Ioan. 8.
Iac. 1.

verò lux illa non videatur, vel mentes hominum non illustrentur; non est luminis defectus, sed oculorum & mentium nostrarum imbecillitas ac tenebræ.

Solis omnia illuminantis cum Deo vbique præsente collatio.

46. Concipi ergo potest Dei præsentia quasi immensum lumen peruadens singula, vt sol si mundum crystallinum inueniret. Differt tamen hæc diffusio per res omnes à solis illuminatione: & primùm quidem, quòd sol non seipso, sed radijs suis diffundatur per amplissima illa
1. orbis spatia; Deus verò, totaque eius essentia, præsens sit vbique.
2. Deinde singulis quibusque rerum partibus partes radiorum respõdent, non ipse sol integer: Deus verò totus est minimis quibusque locis; quasi tot essent soles, quot minimæ rerum locorumque particulę. Adde
3. quòd sol res ipsas non efficiat, nisi calore rebus omnibus communi; non continet autem res factas, aut conseruat: Deus verò seipso facit, continet, & conseruat omnia; sine quo aut nihil esset, aut nihil rema-
4. neret. Sol etiam visum non confert, sed iuuat visionem: Deus & facul-
5. tates creat, & ad videndum iuuat, & cooperatur. In particula quoque aliqua radiorum solis non sunt omnes radij simul; nec tanta vis est ad illuminandum, quanta in amplissimis aut omnibus simul radijs: in diuino autem lumine, vbi quasi soles sunt infiniti, in singulis quibusque (vt ita loquar) identitatibus ac replicationibus tota ipsa diuinitas existit: nec tantùm PERFECTIONES eius extentæ sunt per totum, tamquam infinita quædam ornamenta sibi inuicem cohærentia, sed singulæ PERFECTIONES omnes continent; ita vt in sapientia potentia sit, iustitia, bonitas, fortitudo, patientia, gloria, & si quid de Deo valemus excogitare: & singuli illi soles ac PERFECTIONES regunt mundum, vident omnia, operantur cuncta, sustinent vniuersa.

6. Accedit quòd ea, quæ sol videnda obijcit, in se non habeat: in æterno verò & immenso illo lumine res omnes existunt, longè perfectiùs

Lib. 83. Quæst. q. 46. tomo 4.

quàm in seipsis. quod idem Augustinus sic eleganter describit: *Omnia (inquit) ratione sunt condita; nec eadem ratione homo qua equus, hoc enim absurdum est existimare: singula igitur proprijs creata sunt rationibus. Has autem rationes vbi esse arbitrandum est, nisi in ipsa mente Creatoris? non enim extra se positum quidquam intuebatur, vt secundùm id constitueret quod constituebat: nam hoc opinari sacrilegum est. Quòd si hæ rerum omnium rationes creandarum creatarúmve in diuina mente continentur, neque in mente diuina quidquã nisi æternum atque incõmutabile potest esse; (atque has rationes rerum principales, ideas appellat Plato) non solùm sunt ideæ, sed etiam ipsæ veræ sunt; quæ æternæ sunt, & eiusmodi atque incommutabiles manent.* Hactenus Augustinus. Quibus de rebus plura scripsimus libro superiori, capite primo; quæ non abs re fuerit videre: est enim hæc consideratio liber eximius, in quo otiosi habemus quod legamus; & quamuis nullus alius

exstaret,

exſtaret, ſufficit ad legendum per omnem æternitatem. Quiſque tamen eo vti poteſt, prout corporis animíque ferent vires.

47. Tertius modus facilè ex dictis concipi poteſt: cùm enim conſtet Deum vbique degere, omnia penetrare & peruadere, nuſquam vel includi vel excludi; ſequitur eundem non tantùm in nobis inueniri, ſed etiam in ipſo eſſe omnia, nos in eo moueri, viuere, & exiſtere. ita enim ratiocinatur Sanctus Auguſtinus: *Non eſſem, Deus meus, non omnino eſſem, niſi eſſes in me. An potiùs non eſſem, niſi eſſem in te, ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia?* Cùm enim ex Deo ſimus, & per eum ſubſiſtamus; eſſe non poſſemus omnino, niſi in ipſo eſſemus, & de eſſe ipſius participaremus, illudque nobis ipſe perpetuò communicaret ac conſeruaret. Sed modum, ô magne Domine, quærimus, quo te non modò præſentem in nobis, ſed nos in te degentes concipiamus. Hic modus tertius eſt conceptæ diuinæ præſentiæ: cuius conceptiones ſeu rationes ſex ſtatuemus.

Modus 3. quo omnia in Deo eſſe declarantur.

Lib. 1. Conf. cap. 2.

Rationes ſex quibus in Deo eſſe cenſemur.

Prima eſt D. Auguſtini: qui ante conuerſionem ſuam mali naturam inueſtigans, mundum inſtar ſpongiæ, diuinum verò Numen Oceanum immenſum reputabat, in quo res vniuerſæ mergebantur. Eius ſunt verba: *Tamquam ſi mare eſſet vbique, & vndique per immenſa ſpatia infinitum ſolum mare, & haberet intra ſe ſpongiam quamlibet magnam, ſed finitam tamen; plena eſſet ſpongia illa ex omni ſua parte ex immenſo mari: ſic creaturam tuam te infinito plenam putabam & dicebam.* Hac conſideratione inquiſitioni ſuæ ſatisfacere nitebatur Auguſtinus; nec omnino aberrabat: Deus enim replet omnia, &, ſi ita loqui liceat, etiam loca imaginaria quæ extra mundum comminiſcimur; eſtque veluti vaſtiſſimus quidam Oceanus, continens omnia ac replens: non vt aqua, quæ totam quidem ſpongiam madefacit, eam tamen ſpongiam non efficit; complectitur in ſe, non tamen conſeruat, ſed putrefacit; non tribuit eſſe, ſed deſtruit ſubſtantiam; Deus verò res efficit & conſeruat. Et licet res ipſæ vetuſtate vſúque atterantur ac conficiantur; non comminuit tamen ipſe, ſed veteraſcentes comitatur, &, naturis rerum ſeſe accommodans, benignè in omnem ſe eum ordinem inflectit, quem in earum productione cuique attribuit.

I. Vt ſpongia in mari.

Lib. 7. Conf. cap. 5.

Deus mari comparatur.

Spongia illa, quantumuis magna, comparatione maris immenſi vix punctum reputari debet. Nec maior rerum vniuerſitas, quæ *tamquam momentum ſtateræ & gutta roris antelucani* meritò cenſenda eſt: nam finiti ad infinitum nulla eſt proportio.

Sap. 11.

Nunc ad nos recurrat oratio. Sit Deus mare diffuſum per omnia, à terræ centro ex omni parte vſque ad conuexum cæli empyrei, atque vndique fine carens: quid demum erit, ſi quiſpiam mari illo mergatur? Si orbis ipſe ac mundi machina puncti inſtar eſt, collatus cum immenſa

illa Maiestate; quid erit exigua mundi portio, homuncio, inquam, in longum octo, in latum pedem vnum aut alterum protensus? Exurge nunc animo, ô homo; considera gloriam tuam, contemplare dignitatem tuam. In Deo es, in Deo viuis, in Deo moueris: non vt spongia, quæ insensibilis & ex se immobilis est, aquæ motu & agitatione maris iactatur; sed ratione præditus, te versari in cælesti illo mari cognoscis ac intelligis. Et agitaris quidem; non violenter, sed spontaneè & liberè. Nec dubitare potes, tanto Numini deesse non posse potentiam, vires, opes, subsidia, thesauros incomparabiles, quibus te tueatur & augeat. Illa, illa in te sunt: & sic extra te, vt in ijs medius consistas; quocumque os, manus, brachia conuertas, illa capias, gustes, sentias, complectare; & in hoc latissimo æquore velut spongia volui, reuolui, sursum, deorsum, dextrorsum, sinistrorsum, omnem denique in partem te diffundere summo tuo emolumento atque extendere possis. Time, si peccasti: in te est qui te puniat, qui se de illata per peccatum iniuria vlciscatur; extra te est, vt te ab amicitia sua, à beneficijs, à regno excludat atque exterminet. Spera, si ipsum ames: auxilij in eo, & quidem omnipotente, plus satis est, & sanè in tua potestate; tu enim in ipso Oceano mersus, Deo plenus es, & in eius plenitudine delitescis.

Quid modò otiaris animo, & quereris, quasi de diuinis rebus cogitandi seges minimè suppeteret? Oceanus hic infinitus est, singulæ eius guttæ immensæ: at quot, quæso, in tanta vastitate numerabis? Plures in Deo PERFECTIONES, quàm in mari guttæ: singulas apprehende, suge, gusta quàm suauis sit Dominus. Vberrima profectò copia perpetuò meditandi, cogitandi, animoque summa cum voluptate voluendi ac reuoluendi materies deesse non potest.

Psal. 33.

Ratio 2. Nos instar piscium in vasto mari gratia diuina immergi. Psal. 76.

Quia verò spongia vitam non habet, non respirat, non graditur, sed alieno motu temere agitatur, potiùs pisces efficiamur (quæ secunda ratio est) quàm spongia; & in illo excellentissimo mari vitam & salutis viam conquiramus: quandoquidem *in mari via tua, Deus, & semitæ tuæ in aquis multis*. Nempe apprehendamus nos non tantùm in Deo esse per naturam, sed omnino in eodem immergi per gratiam. Christus enim IESVS bonorum omnium cælestium infinitus est Oceanus: infinitis vitæ ac mortis perpessæ meritis aridum alioquin erga nos alueum diuinæ benignitatis impleuit, & Spiritus sui vberrima abundantia locupletauit. Felices illi, quibus in hoc salutari lauacro & mergi submergique, & in eo perpetuò viuere donatum est. De hoc loquitur Apostolus Paulus: *An ignoratis quia quicumque baptizati sumus in Christo* IESV, *in morte ipsius baptizati sumus? Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem: vt, quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus*. Hîc ergo peccati vita submergitur, & vita

Rom. 6.

vita animæ exurgit: cuius felicitas est, in hac aqua viuere; aqua latissima, quæ hominum multas myriades tamquam vnum hominem capere possit. Hanc plenitudinem nobis oblatam ac communicatam testatur B. Ioannes. *De plenitudine eius*, inquit, *nos omnes accepimus*. In hoc ergo mari & *viuamus*, & *respiremus*, & *natemus*. Per gratiam namque Domini IESV, quæ latissimum immensumque alueum implet, viuimus interna animæ vita. O vita optanda! a *Bonum est nos hîc esse* & viuere. Caueamus ne ex hoc viuario egrediamur, & letiferum mundi spiritum, qui ad vitam piscibus spiritualibus fouendam minimè idoneus est, hauriamus. Is non refrigerat, sed suffocat.

Ioan. 1. *Piscium spiritualium tria officia.* 1. *Viuere in aqua.* a *Matth. 17.*

Illud namque magna obseruatione dignũ, pisces extra aquam non viuere. sic nec homines extra Dei gratiam. *Si quis*, ait Christus, *in me non manserit, mittetur foras, & arescet, & in ignem mittent, & ardet. Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum*. Piscis præterea mortuus in aqua putrescit, ac fœtore suo alios inficit. Pari modo, qui animi vitam amisit, etsi fidem habeat, multisque Dei beneficijs affluat, putrescit tamen sensim, atque mentem fœdis cogitationibus inquinat, appetitum scelestis desiderijs sauciat, memoriam infandorum recordatione contaminat, tetroque odore aliorum mores corrumpit. Maneamus ergo in hoc mari, si viuere cupimus.

Ioan. 15.

Sed respiremus, (nam & pisces respirant) & nos aqua hac salutari impleamus. *Pisces namque* (auctore D. Basilio) *non habent respirandi organum, quo aërem hunc attrahant; sed quod in terrestribus aër obtinet rationis, id est generi natatilium aqua. & causa est in promptu. In nobis est pulmo; viscus porrò est rarum, meatibusque multis patens, quod per ipsum pectus dilatatum; attractum recipiens aërem, internum diuentilat nostrumque refrigerat calorem: in illis dilatatio contractioque branchiarum attrahentiũ humorem, reddentiumque, spirandi munus efficiunt*. Hæc Basilius. Felices illi, magne Domine spirituum, quorum hac spiratione sitibundos animos recreas ac refrigeras: hæc enim aqua omnes libidinis faces extinguit, pellit animi morbos, accendit tepidiores, vitam efficit ac conseruat, corroborat debiles, nutrit animam; ne labantur, infirmos fulcit ac sustentat. Hanc attrahunt in se, qui auidè diuina audiunt vel legunt, quibus internè Deus loquitur, & cælestem auram aspirat, qui sensu quodam animi in omnibus Deum gustant, vniceque æternis rationibus delectantur: emittunt verò, cùm Deum laudant, meditantur, ad eum omnia sua referunt, hortantur proximos, de diuinis rebus piè colloquuntur, ardenter orant, Dei gloriam quærunt in omnibus, &, quasi aquis vndique cincti forent, quidquid gustant, vident, tangunt, odorantur, audiunt, amoris diuini facibus incitari videntur.

2. *Respirare.* *Hom. 6. in Hexam.* *Gratia diuina aquæ comparatur: eius effectus.*

Hæc omnia claris verbis B. Paulus expressit. *Verbum*, inquit, *Christi* *Col. 3.*

habitet in vobis abundanter, in omni ſapientia; docentes & commonentes voſmetipſos, pſalmis, hymnis, & canticis ſpiritualibus, in gratia cantantes in cordibus veſtris Deo. Omne quodcumque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini IESV *Chriſti; gratias agentes Deo & Patri per ipſum.* Hæc Apoſtolus verbis; facto & opere Elzearius Comes è Narbonenſi Gallia oriundus: qui cùm ætatis annum ageret decimum-quintum, ipſis ferijs aſſumptæ Virginis Matris, ſuſcepta piè Euchariſtia; ſub prandij horam cùm ad menſam patruo ſuo ſeruire deberet, ieiunus id obſequij præſtare voluit. Accumbenti deinde viciſſim, ſubitò ſuperuenit Spiritus gratiæ, cor eius vehementer inflammans, idque cum multa ſuauitate diuini amoris. Eius autem flammæ & ardoris tanta vis fuit, » vt abſcondi non poſſet: totus enim extrinſecus mutatus fuit, & toto » corpore calefactus, atque in vultu rubore perfuſus. Quod vt eius ſo- » dales aduerterunt, de eius ſalute ſoliciti, quòd eum putarent febri cor- » reptum, à menſa in cubiculum abduxerunt, vt ille quieti ſe daret. At » illis abſentibus humi proſtratus in preces incubuit, quales ſpiritus ſug- » gerebat; atque illic tantas diuini amoris perſenſit flammas, vt totus » eius colliqueſceret animus, atque in Deum transformaretur. Tum » verò oſtendit ei Deus vitæ huius breuitatem; & vt totus hic mundus, » bonorum cæleſtium comparatione, meritò ſit contemnendus: tan- » tuſque inde in illo natus eſt rerum omnium mundi huius bonorum- » que labentium contemptus, vt, ſi totus orbis terrarum, & quidquid in » illo eſt rerum pretioſarum, ei oblatum eſſet, planè fuerit recuſaturus, » nec alio quàm vilis luti loco habiturus. Hæc expertus eſt Elzearius. Duxit idem decennis, mandato Caroli ſecundi Ieruſalem & Siciliȩ Regis, Dalphinam vxorem, egregiam & nobilitate, & virtutis ſplendore, duodennem: cum qua Angelicè virginitatem coluit. Hæc quodam die miſit ad eum litteras per famulum, cupiens ſcire cur moram in monte Peſſulano traheret. Cui ille ſic reſpondit: *Sanus corpore ſum, & ſoſpes. Quòd ſi verò videre me cupis, quære me in vulnere lateris Chriſti: illic enim habito, & ibi me poteris inuenire, fruſtra alibi quæſitura.* Denique in tota eius vita præter aſpirationes & reſpirationes ſpiritualis piſcis vix aliud inuenies.

Surius 27. Septemb.

Elzearius Dei gratia immerſus omnia contemnit.

3. *Natare.*

At natare piſces diximus. Haud ſanè difficile erit, tali aura afflatos, placidos natare in æquore. Qui natant, extendunt manus, ac pedes diuaricant. Qui enim abundant Dei gratia ac viſitationibus, facilè per creaturas omnes, in quibus Deus eſt, mentem deducunt; nunc cȩleſtia rimantur, nunc ad tranſeuntium rerum breuitatẽ inſtabilitatemque recurrunt, nunc Chriſti hominis dolores ac PERFECTIONES contemplantur, nunc ad eius diuinitatem aſſurgunt. Vt igitur latiſſimus alueus piſcibus ſpatia diſcurrendi ampliora ſuppeditat: ita & copioſior

Gratia Dei meditantibus ſubſidio eſt.

pioſior Dei gratia facilitatem & voluptatem homini ſpirituali præſtat ampliorem ad voluendum animo res diuinas. Sed ne fallaris: manus extendi debent & pedes, *ſicut natantis ad natandum.* Ne otioſum te poſſe ſtare reputes in aqua, ratus ſufficere ſi ad commentationem animum appuleris: non eſt ita; manus ad opus extendendę, pedes ad motum applicandi: gradiuntur enim piſciculi pinnulis ſuis, & vel iugiter paſtum quærunt vel oblectationem in æquore. nihil illis hoc luſu iucundius. At quæ voluptates cum profectu ſpirituali, arduis facinoribus pro Dei gloria ſuſcipiendis, familiari cum Deo congreſſu (qui cibi ſunt animæ eſurientis) conferendæ? *Quis ſapiens, & cuſtodiet hæc? & intelliget miſericordias Domini?* Enimuero quidquid ſit de piſcibus, qui ſubinde videntur ſubſiſtere; quiſquis hominum in aquis eſt, & arte natandi non vtitur, haud dubiè aut vorticibus abripietur, aut illico ſubmergetur. Vtique iuſtus vt piſcis eſurit; in omnibus ſemperq́ue paſtum quærit, quærit profectum; *numquam arbitratur ſe comprehendiſſe*, ait [a] S. Bernardus; *numquam dicit, Satis eſt; ſed ſemper eſurit ſititq́ue iuſtitiam: non enim ad annum vel ad tempus, inſtar mercenarij, ſed in æternum diuino ſe mancipat famulatui. Porrò vera virtus finem neſcit, tempore non clauditur; vnde eſt illud:* [b] *Caritas numquam excidit. & item:* [c] *Patientia pauperum non peribit in finem. Audi denique vocem iuſti: In æternum non obliuiſcar iuſtificationes tuas, quia in ipſis viuificaſti me. & rurſum: Inclinaui cor meum ad faciendas iuſtificationes tuas in æternum. Non igitur ad tempus. Proinde iuſtitia eius manet non aliquanto tempore, ſed in ſæculum ſæculi. ſempiterna itaque iuſti eſuries ſempiternam meretur refectionem.* Hæc Bernardus. Meretur vtique, ſi eam quærat; nec requiem det palpebris ſuis, donec inueniat eam.

Iſaia 25. — *Pſal. 106.* — *Profectus ſpiritualis à piſcibus diſcendus.* — *Phil. 3.* — a *Epiſt. 253. ad Abbatẽ Guarinum Alpenſem.* — b *1. Cor. 13.* — c *Pſal. 9.* — *Pſal. 118.* — *Ibidem.* — *Pſal. 110. & 111.*

Hæc ratio Deum contemplandi eſt admodum elegans, ſed non minùs ſalutaris; & maximè ſi nos piſces mundi ſecundùm Legem fuerimus. *Eiuſmodi ſiquidem piſces mundos Legis ſanctio iudicat*, (vt ait idem Bernardus) *qui & pinnis leuantur, & proteguntur ſquamis.* (hi enim ſubſilire ſubinde ſolent extra aquas) *ſunt autem ſquamæ multæ, ſed vna ex eis quodammodo lorica contexitur: quia vna eſt patientiæ virtus, licet ſingulis tribulationibus exhibere ſingulas videamur. Iam verò ſicut ſquamas ad patientiam, ſic & pinnulas quoque ad hilaritatem arbitror non incongruè poſſe referri. Hilaritas quippe leuat & ſubleuat; vt ſaltus quoſdam in altum dare videatur, quiſquis exhilaratur. Sanè vt duas habeamus pinnulas, duplex nobis hilaritas quærenda eſt; & fortè propterea docet Apoſtolus (ille enim verè pinnas habebat, quibus & in tertium vſque cælum raptus eſt, & volauit in paradiſum) non ſolùm gloriari in ſpe, ſed etiam in tribulationibus* Hæc Bernardus. In Deo itaque ſumus vt ſpongia in mari, vt piſces mundi in aqua.

Piſces mundi qui. — *Serm. 1. in die S. Andreæ.* — *Patientia per ſquamas ſignificatur.* — *Hilaritas ſpiritualis duplex.* — *2. Cor. 12.* — *Rom. 5.*

Huc facit tertia ratio, qua nempe non tantùm in Deo nos eſſe meminerimus, ſed etiam in Chriſti Domini corpore myſtico. *Vos eſtis*

3. Ratio. — *Nos eſſe in corpore Chriſti myſtico.*

1. Cor. 12. *corpus Christi*, ait S. Paulus, *& membra de membro*. & idem Christus reputat sibi fieri, quod vni ex eius minimis famulis factum fuerit; exclamat-
Matth. 25. que aduersus Paulum Ecclesiæ persecutorem: *Saule, Saule, quid me per-*
Act. 9. *sequeris?* denique: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem,*
Ioan. 6. *in me manet, & ego in illo*. Manet in nobis Christus, non modò præsentia diuinitatis suæ, sed etiam per gratiam habitualem, aliaque virtutum ornamenta, quibus ipse à nobis diligitur & colitur: in ipso verò sumus, quia, cùm caput sit Ecclesiæ, totum huius corpus, eius corpus est; & qui per fidem & caritatem ei adhærent, membra eius sunt. Hæc consideratio non importuna videtur nostro instituto; nec suo fructu carebit, si subinde Christum in suis membris suspiciamus, si nos in excellenti illo vastoque Ecclesiæ ac Christi Dei corpore contineri recordemur: quod non fiet absque insigni eius solatio, qui in omnibus Deum quærit ac intuetur. sed de hoc argumento varijs locis dicendi occurrit occasio.

4. Ratio. In Deo esse, qui eius præsidio proteguntur. In Deo præterea nos esse sacra Scriptura commemorat, cùm, eius freti gratia, ipsius præsidio sperantes vtimur; ita enim Regius Psaltes: [a] *Qui habitat in adiutorio Altissimi, in protectione Dei cæli commorabitur.* [b] *In Deo meo transgrediar murum.* denique: [c] *Qui confidunt in Domino, sicut mons Sion: non commouebitur in æternum, qui habitat in Ierusalem. Montes in circuitu eius, & Dominus in circuitu populi sui, ex hoc nunc & vsque in sæculum.* Nónne meritò in Deo censendus es, si vndique septus eius auxilio, intus ac foris munitus, à nullo lædi possis? *Non accedet ad te malum, & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.*

a Psal. 90.
b Psal. 17.
c Psal. 124.
Psal. 90.

Ratio 5. In Deo esse contemplationi addictos, instar auiculæ in sole & aëre eleuatæ. Ratio quinta ad illustrandum hunc tertium præsentiæ diuinæ retinendæ modum plurimum valet. Censetur namque auicula in supremum aërem eleuata in sole esse, in aëre versari; videt inferiora omnia, superiora prospicit, radiorum solarium & aëris purissimi fruitur beneficio. Sic & nos in Deo esse dicemur, si auiculæ fuerimus spirituales; si diuitiarum pondus, honorum & officiorum sarcinas, voluptatum laqueos abijcientes, ad altiora feramur; pedeque vno terrena calcantes dicamus, *Omnia*, Domine, *detrimentum feci, & arbitror vt stercora, vt te lucrifaciam*; *Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo*; altero verò pede cælestia petamus, inflãmatisque desiderijs, quasi brachijs, nobis Deum deuinciamus, identidem his vocibus ingeminatis: *Domine, quid mihi est in cælo, & à te quid volui super terram? Defecit caro mea, & cor meum: Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum. Quia ecce, qui elongant se à te, peribunt; perdidisti omnes qui fornicantur abs te: mihi autem tibi adhærere bonum est, ponere in te spem meam.* Spirituales ergo auiculæ, pennis orationis & meditationis eleuatæ, solis radijs aëreque purissimo fruuntur; & si qui in Deo esse dicendi sunt, illi maximè, *qui vt nubes* altissimum in locum

Phil. 3.
Gal. 6.
Psal. 72.
Isaia 60.

locum delati *volant, & quasi columbæ ad fenestras suas*, in sole solem intuentes: subactis nimirum perturbationibus, contemplationi se totos addicunt; illic hærent alis suspensi, æternum iustitiæ Solem intuentur, purissimam eius gratiam vt aërem hauriunt, terrena omnia calcant ac despiciunt. Hæc mortales experiuntur in terris.

At fortè Oceanus (vt ad sextam rationem veniamus) non erit in *6. Ratio.*
cælis. Quid ni? illic enim est [a] *fons vitæ.* [b] *fluminis* inde *impetus lætificat ci-* *Beati censentur esse in Deo.*
uitatem Dei; hinc [c] *torrentes voluptatis* exundāt; hinc mare inexhaustum, a *Psal. 35.*
beatitudinem omnibus impertiens. Ad hanc beatorum societatem b *Psal. 45.*
aspirat Rex pijssimus: [d] *Quando veniam & apparebo ante faciem Dei?* [e] *Heu* c *Psal. 35.* d *Psal. 41.*
mihi, quia incolatus meus prolongatus est. quando purissimam illam aquam e *Psal. 119.*
hauriam; nec ea modò, sed & gloriæ lumine circumfluam? Esto bono animo, quicumque ad hæc aspiras: veniet dies desideratus, quando *re-*
plebitur in bonis desiderium tuum. Recordare quid in templo Salomonis *Psal. 102.*
acciderit. *Cùm* enim *complesset Salomon fundens preces, ignis descendit de* *2. Paral. 7.*
cælo, & deuorauit holocausta & victimas; & Maiestas Domini impleuit domum: nec poterant Sacerdotes ingredi templum Domini, eo quòd implesset Maiestas Domini templum Domini. Templum illud erat exiguum: at *ô Israel,* *Baruch 3.*
quam magna est domus Dei, & ingens locus possessionis eius! Magnus est, &
non habet finem, excelsus & immensus. Dominus super maria fundauit eum, & *Psal. 23.*
super flumina præparauit eum. Quanta ergo in cælo vastitas, non vnius maris tantùm, sed quæ infinita maria & flumina contineat! Illic, si vspiam, Maiestas Domini implet templum. Quid erat Maiestas illa in templo Salomonis? splendor quidam insolens, non modò oculos intuentium perstringens, sed & percellens animos reuerentia quadam, atque admiratione, singulari mixta gaudio: vnde *corruentes proni in ter-* *2. Paral. 7.*
ram super pauimentum stratum lapide, adorauerunt & laudauerunt Dominum;
quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia eius. Sed *ecce plusquam Sa-* *Matth. 12.*
lomon hîc. Locus ille *non eget sole neque luna, vt luceant in eo: nam claritas* *Luc. 11.* *Apoc. 21.*
Dei illuminauit eum, & lucerna eius est Agnus. Ille, ille plenus est Maiestate, plenus Deitate, plenus splendore & gloria: & qui in eo sunt, pleni Maiestate, Diuinitate, & gloria, & in illo gloriæ gurgite immerguntur. Immensa namque illa Maiestas conspicitur, quæ diffusa per omnia, lumine quodam incredibili rapit beatorum animos admiratione, consolatione, amoreque sui, sibique adeò arctè deuincit, vt nullo casu
separari ipsi vel queant, vel velint. *Ecce mysterium vobis dico*. Qui in *1. Cor. 15.*
amicitiæ diuinæ mari vixerint, spirauerint, natauerint, progressumque fecerint de virtute in virtutem, ijs in illa die, in illa hora (ô beata, ô felix, ô quando aderit!) dicetur: *Intra in gaudium Domini tui*. *Matth. 25.*

CAPVT IX.

Quartus modus præsentiæ Dei per essentiam in omnibus rebus existentis: cernendum esse Deum in creaturis operantem.

Modus 4. quo Deus in rebus conditis operatur.

48. VIDIMVS Dei præsentiam in creaturis existentis, nosque in ipso: videamus in ijsdem operantem, qui quartus modus est præsentiæ diuinæ concipiendæ. Conficitur enim ex his, quæ diximus, Deum vt in ipsis esse, sic & in ipsis agere, eas per eum moueri aut quiescere. Refert historia Tripartita dignam notatu rem; videlicet, cùm quidam Philosophorum accessisset Beatum Antonium „ dicens, Quomodo sufficis, ô Pater, codicum consolatione priuatus? „ respondit Antonius: *Meus codex, ô Philosophe, natura creaturarum est; & adest cùm voluero, verbaq́; Dei relego*. Insignis liber iste est, si quis oculos bonos haberet: stupenda continet; quæ perspiciemus, si modò animum in eius considerationem conuertamus. Constat etenim omnia inferiora hæc à Deo condita esse propter hominem, siue terrestria, siue cælestia; temporalia item, spiritualia, & æterna bona. *Omnia enim vestra sunt*, ait Apostolus, *siue mundus, siue vita, siue mors, siue præsentia, siue futura: omnia enim vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei*. Hisce verò indigemus omnibus ad vitam hanc mixtam, partim corporalem, partim spiritualem; & si multa ex his, quæ sunt, non essent, indigentiam hanc dolenter animaduerteremus. imò multi multa desiderant, sibique deesse queruntur, cùm ad sustentationem, aut corporis cultum & ornatum, tum ad sanitatem vel perditam recuperandam, vel integram conseruandam; ad studia ac doctrinam promouendam, ad amicitias conciliandas, ad salutem animæ consequendam. Verbi gratia: terra si hiatibus abundet, ambulare non poteris; aër obtenebrescat, operari videreque non valebis; non viues, si panis desit, si ignis, si aqua: & hæc omnia dat Deus, sine quo non essent, aut non agerent.

Lib. 8. cap. 1.

1. Cor. 3.

Peregrinum quendam è mari naufragum in Palæstinam aduenientem, capite, pedibus, tibijs, pæneque toto corpore nudum & squalidum, quidam bonus Abrahamus obuius excepit, duxitque domum. Eius famuli, iussu domini, certatim quisque (prout officium exigebat) alius galerum, alius calceos, alius caligas & femoralia subministrarunt. Lauit illi famulus pedes, faciem, corpus, & ab illuuie mundatum linteo calefacto abstersit; thorace & exomide alter eum donauit; curauit alius luculentũ ignem; cibum alius, alius vinum optimum deprompsit:

quibus

quibus omnibus refocillatum, & aliquot noctibus molliori lecto recreatum à fatigatione, thesaurarius bene nummatum dimisit. Redit ille in patriam, & Abrahami liberalitatem prędicat, de obsequijs famulorum tacet; & tamen dominus non mouit se. Deus & Dominus noster ipse est Abrahamus, qui nos excipit: omnes res conditæ ab ipso eidem obsequuntur, &, quibus velit, seruiunt. *Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum, quæ faciunt verbum eius; montes, & omnes colles; ligna fructifera, & omnes cedri; bestiæ, & vniuersa pecora; serpentes, & volucres pennatæ; Reges terræ, & omnes populi; Principes, & omnes iudices terræ; iuuenes & virgines, senes cum iunioribus.* Quare si quis te excipiat, si ignis calefaciat, si cibus reficiat, si potus sitis ardorem extinguat, si vestes tegant & ornent, si denique colores videas, si dulcorem sapias, si odorem percipias, si res alias cognoscas, scito per illum Dominum fieri, sine quo nihil fieri potest; illum ipsum esse qui hæc facit, non modò per hos famulos, sed & præcipuam ipse operis partē subit; nec illi agerent, si ipse cum ipsis non ageret. quare D. Augustinus illi quoque nomina rerum attribuit, dicens: *Cùm Deum meum quæro, quæro nihilominus quandā lucem super omnem lucem, quam non capit oculus; quandam vocem super omnem vocem, quam non capit auris; quendam odorem super omnem odorem, quem non capit naris; quendam dulcorem super omnem dulcorem, quem non capit gustus; quendam amplexum super omnem amplexū, quem non capit tactus. Ista enim lux fulget, vbi non capit locus; ista vox sonat, vbi spiritus non rapit; odor iste redolet, vbi flatus non spargit; sapor iste sapit, vbi non est edacitas; amplexus iste tangitur, vbi non diuellitur. Hic est Deus meus, & non æstimabitur alius ad illum. Hoc quæro, cùm Deum meum quæro: istud amo, cùm Deum meum amo.* Hactenus Augustinus.

Psal. 148.

Soliloq. cap. 31.

49. Huc spectat, quòd, qui hoc exercitio excoli desiderat, è rebus profanis & temporalibus, actionibusque hominum, sensus quosdam ac conceptiones spirituales eliciat. quod Christo Domino admodū fuit familiare; qui ex vulgaribus rebus elegantissimas parabolas ac conceptus educebat: vt ex asino in puteum cadente, atque extracto, peccatorem è peccati cœno esse extrahendum: è quinque panum hordeaceorum vsu, ad panis spiritualis seu fidei; deinde sui ipsius, panis viui, qui de cælo descendit; denique ad Eucharistiæ instituendæ sub speciebus panis & vini promissionem deuenit. Hinc tot parabolæ; de filio prodigo, de semine, de thesauro in agro abscondito, de denario diurno operarijs vineæ numerato, de ficulnea arida exscindenda. Ex quibus colligimus, optimum Dominum, quæcumque videbat, ad spiritualem intelligentiā solitum transferre, aut ad mores salutemque proximorū.
a Homo pariter spiritualis ex rebus omnibus creatis elicit conceptus spirituales, quibus & animum à vanis cogitationibus, otio, peccatis-

Ex profanis spiritualia eliciuntur.

a Ex rebus omnibus creatis spirituales conceptus esse excitandos.

que multis tuetur, & se velut iaculis quibusdam ignitis inflammat. Id verò fit inducta comparatione rerum terrestrium cum cælestibus aut spiritualibus; illa eleuando, horum verò excellentiam prædicando: vt cùm solem astráve suspicis, illico infer, longè illustriorem esse animam hominis, quàm cælos, si illa iustitiæ Solem virtutumque lucentes gemmas contineat. Si cælum prospicis, ad sedes beatorum animum attolle: vide illic tibi locum paratum esse, si Deo pareas, eumque colas & venerere. Si auium cantum audis, de laudibus cogita beatorum. Cùm aurum aspicis, id lutum reputa comparatione sapientiæ. Cùm thronos, diademata, atque honores tibi obijcis, veniat huius versiculi in mentem: *Beatus vir qui timet Dominum; gloria & diuitiæ in domo eius, & iustitia eius manet in sæculum sæculi*. Si cibos tractes, existima id quod est: nempe in ventrem & secessum abire, verbum autem Domini cibosque spirituales in æternum manere.

Psal. 111.

Idem fecerunt Apostoli. Paulus sanè in hoc genere erat exercitatissimus: vt, cùm de Gentilium adiunctione tractat, hoc ex hortulanorum, qui insitiones faciunt, mutuatur industria: Christianos ad profectum cursu in stadio ac pugna Olympica propositis excitat; certamina deinde instituit, promittit coronas: figuli arte vasisque compositione vocationis nostræ gratiam exaggerat.

Rom. 11.
1. Cor. 9.
2. Tim. 2.
Rom. 9.

B. Martinus, Episcopus Turonensis, hac Praxi (vt auctor est Seuerus Sulpicius) subinde vtebatur. Visitaturus diœcesim Condacensem cum discipulis suis, videns mergos in flumine piscibus capiendis insidiantes, *Forma*, ait, *hæc dæmonū est: insidiantur incautis, capiunt nescientes, captos deuorant, exsaturariq; non queunt deuoratis*. Mergos verò illos in siluas montesque abditos diuina virtute malè precatus relegauit.

Epist. ad Bassulam, socrum suam.

Ioannes Climacus narrat se in visitatione Monasteriorum Fratrem quendam, qui culinæ curam habebat, reperisse singulari lacrymarum gratia præditum; à quo cùm sedulò sciscitatus fuisset qua ratione tantum donum esset adeptus, demum precibus inductus Frater respondit *se numquam arbitratū in culinæ ministerijs seruire hominibus, sed in suis Fratribus de Apostolis bene mereri; & ex ignis, quem perpetuò cernebat, conspectu vasta ignis inferni incendia animo versasse, quæ consideratio vberes ex oculis lacrymas solebat elicere*. Præclarum illud est, quod Socrates narrat de Pambone: qui cùm Athanasio deprecante ab eremo descendisset Alexandriam, & vidisset mulierem theatralem, fleuit; & à prætereuntibus inquisitus quareploraret, *Duæ*, inquit, *me res mouerunt: vna, quæ est illius mulieris perditio; altera verò, quia ego non tantum studeo placere Deo, quantum hæc vt turpibus placere possit hominibus*.

In Scala spirit. grad. 4. post initium.

In hist. Tripart. lib. 8. c. 1.

Valuit in hoc genere spirituales conceptus efformandi ex rebus promiscuè occurrētibus [a] P. Frācisus Borgias, ex Duce Gandię Societatis IESV,

a Ribad. in vita eius Gallicè conscripta, lib. 4. cap. 1.

IESV, & demum Præpoſitus eiuſdem Generalis in ordine tertius: ſed eo magis admirandus, quòd pleraque ad ſeſe demittendum applicaret. Venienti Romam in habitu Ducali, cùm Cardinales pro more ei mulos obuios miſiſſent; *Nihil*, inquit, *vmquam opportunius, nihil conuenientius fieri potuit: beſtiæ beſtiam exceptura aduenuint*. Poſt ingreſſum in Societatem cùm nobilis Hiſpanus, motus compaſſione, quòd nimis incommodè iter faceret, rogaret vt valetudinis ſuæ aliquam curam haberet, Franciſcus ridenti facie, *Ne arbitretur dominatio veſtra*, inquit, *mihi deeſſe opportunitates itineris: ſoleo metatorem præmittere, qui commoda in diuerſorijs nobis apparet. Ecquem?* ait nobilis. *Cognitionem mei*, reſpondit Frãciſcus, *& conſiderationem pœnarum infernarum, quas peccatis exigentibus merui. Hac notitia comitatus, numquam hoſpitium tenuiter inſtructum inuenio commoditatibus, imò apparatum longè meliorem quàm mihi mereri videar*. Aliàs Xenodochium viſitantem diabolus in forma hominis ſic illum aggreſſus eſt: *Quid hîc agis, Franciſce, inter populi quiſquilias ac fæces? non pudet te Principem hiſce annumerari? Magis*, inquit, (agnouit enim increpantem) *te miror me adeò humilem abiectumq́; homunculum iuxtà ac peccatorem tuo colloquio dignari, cùm ſis Rex, & quidem ſuper omnes filios ſuperbiæ*. Hic bonus Pater intentus perpetuò videbatur, vt in Deum, virtutumq́ue acquiſitionem, obuia quæque conuerteret. *Loco citato.*

50. Aſſurgunt alij ex leuiſſimæ rei conſpectu ad Creatoris ſupremam Maieſtatem, ac pulchritudinis eiuſdem conſiderationem: quod de B. Ignatio Societatis IESV fundatore ſcribunt Petrus Ribadeneira & Maffeius; qui ex conſpectu floſculi Conditoris illico veniebat in memoriam. quod & multis Sanctis familiare fuit, qui florem quodammodo ſic loquentẽ audire videbãtur: En, eius, quem diligis, Dei ſerue, manus ſacroſanctæ fecerunt me: ille mecum eſt; meq́ue ſic ſuſtentat, *Floris loquẽtis Deumq́; laudantis deſcriptio.*
vt mecum viuat. In eo ſum, viuo in ipſo; pulchritudinem meam ab eo ,,
accipio. Si meam originem noſſe velis, in paruo ſemine delitui; quod in ,,
terræ gremio molliore depoſitum, vapore tepefactum, terra omnium ,,
mater diffudit, elicuitq́ue herbeſcentem ex eo viriditatem; quæ nixa ,,
fibris ſtirpis, ſenſim adoleuit, culmoq́ue erecta cortice veſtito, in par- ,,
tes varias velut brachia extendit ſeſe: è quibus vel folia vel flores eru- ,,
perunt certatim. Inter ceteros, roſæ mihi nomen eſt. Munior ſpinis, ,,
quæ ad cuſtodiam mihi à Conditore datæ ſunt. Quam modò explica- ,,
tam patentemq́ue conſpicis, velut globo, thecæ cuidam quaſi follicu- ,,
lo diſſecto, cõtra noctis iniurias incluſa, primùm calyx aurora ſurgente, ,,
deinde nympha explicatior euaſi. Quotquot in me folia molliora con- ,,
ſpicis, prodeunt ex capite aut globo inferiore lanugine referto, quo te- ,,
nerioribus velut vnguibus quibuſdam continentur. Prodit & capilla- ,,
mentum, ſeu tenuiſſima quædam ſtamina, in quorum apice croceus ,,

„ flos insidet; semen, ne species pereat, continens. Mirare foliorum discrimina, crispationes, ordines: vide colorem nunc purpureum, nunc Alabandicum, nunc rubeum atque ardentem, nunc albiorem: iunge odorem eximium: adde vim quam mihi auctor rerum omnium indidit, vt ex me electuaria multa conficiantur ad sanitatis humanæ conseruationem; hinc aquæ, syrupus, intrita, oleum, vnguentum rosaceum, vt non oculos modò oblectem, sed & palatum, & nares, & tactum, & stomachum; denique totum hominem beneficijs meis demerear. Si desiderio mei teneris, teneare illius, cuius manus me totam efformaueruntur; omnesque mei partes, quales vides, concinnarunt. *Scias quoniam qui hæc* omniaque alia *fecit*, (auctore Salomone) *fortior est illis, ac speciosior: speciei enim generator hæc omnia constituit; & à magnitudine* & excellentia *speciei & creaturæ cognoscibiliter poterit creator horum videri*.

Sap. 13.

Sic creaturæ creatorem suum loqui ac prædicare videntur, vt non frustra Dauid cecinisse videatur: *Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annuntiat firmamentum*. De his plura superiori libro scripsimus: sed lubet paulo fusiùs in hoc argumento immorari.

Psal. 18.

Duo in rebus creatis consideranda.

Praxis ergo modi huius ea esse poterit, vt, quotiescumque rem aliquam intueberis, animo ac cogitatione eam totam penetres, duoque in ea maximè diuersa distinguas; nempe rem ipsam conditam, & eius conditorem: quæ separata primùm, deinde composita, obijcient animo rem, non vt species externa repræsentat, sed vt à mente fide illustrata debet apprehendi.

Quadruplicia rerum creatarum genera.

Quadruplicia verò sunt rerum genera: quædam vita carent, alia viuentia sunt, sine motu; alia viuunt, & mouentur; denique discernunt alia, rationeque vtuntur & sermone; &, si homines gratia diuina præditi sunt, diuinæ nobis similitudinis speciem obijciunt.

I. *Quomodo in his, quæ vita carent, Deus videatur.*

In hisce omnibus Dei videndi ratio hæc est, & Praxis, vt, si quid videris quod anima careat, in ipsam rem penitius ineas: & primùm, quod creatum est, ex vna parte cum adiunctis ornamentisque omnibus repone; vt lapidem in imaginem artificiosè transformatum, aut etiam informem, illius item lineamenta, venas, maculas, artificium, & siquid aliud appareat: tum ex altera parte intuere separatim quasi Spiritum cùm omnibus rebus inexistentem, tum cuique rei & huic in particulari esse specificum, non vt forma, sed vt prima causa cum omnibus eius adiunctis tribuentem ac conseruantem; sine quo res illa esse non posset, nec consistere. Et sicut antè non erat, quàm istud diuinum esse sese ei adiungeret; ita planè certum est ruere, & in nihilum reuerti, vbi Deus, vt tu mente, sic reipsa se à creatura sua volet subtrahere. Adde PERFECTIONES illas ac delectationes quę siue visum, siue auditū, aliúmve sensum afficiant, ab eodem Spiritu & originem ducere, & conseruari;

uari; nec modò in eodem Spiritu ea omnia eminenter contineri, ſed eundem cuique rei eſſe PERFECTIONESque tribuere. Quia verò illud eſſe diuinum inuiſibile eſt, ſe eo modo, quo homo capax eſt, per haſce nempe creaturas, quaſi quædam perſpicilia, exhibet viſibile: vnde, ſi duo illa diuulſa coniungas, tum denique Deum rebus creatis inexiſtentem, &, vt ſint, conferentem, intueri poteris; eoque frui & delectari.

Quare ſiquid, quod vita careat, oculis oberret, quod eos delectet, conuerte aciem in eum qui latet, remque illam complectere animo; illa demum aliter tibi ſapiet, quàm ſi ſolo oculo carnis eam comprehenderes, meritoque ſuauiſſimo animi ſenſu Deum compellabis, & dices: O ſi aperti mihi forent oculi! ô ſi gratiæ tuæ lumine caligine de- „
pulſa, intueri te clariùs liceret! O beati mundo corde, quoniam ij te *Matth. 5.*
videbunt. Videbunt vtique perfectè in cælo ſine perſpicilijs iſtis. Sed „
quando ſaltem in hoc ſpeculo & ænigmate ſic te complectar, vt in exi- „
lio poſitus totus inflammer conſideratione & amore tui, rerumque „
quas condiderunt manus tuæ? Te horum omnium auctorem agnoſco, „
tibi gratias ago, quia hæc mihi omnia præparaſti; ſummoque afficior „
gaudio propter incomprehenſibilem gloriam tuam: quia amabilis es „
in omnibus operibus tuis, Domine, glorioſus, omnipotens, & lauda- „
bilis in ſæcula; ſine quo nihil eſt, & in quo ac per quem ſunt omnia. „

Si obiecta res auditum afficiat, odoratum, aut guſtum; melodiam illam, odorem, aut ſaporem à diuino Spiritu per omnia diffuſo ſeiunge; cumque immenſam illam Maieſtatē conſpexeris, ſine qua illa ſenſuum oblectamenta corruerent, eam ad te inuitans ſic dices: Tu, Domine, „
ſonum, odorem, ſaporemque & efficis, & ſuſtines: veni in me cum eis, „
vt ſciam quàm ſuauis ſit Spiritus tuus; recreet me harmonia tua, con- „
fortet odor, reficiat ſapor. O voces & ſoni! ſi vos emortuę res vim quan- „
dam effunditis, interiorem etiam hominem permouentem; quid infi- „
nitarum PERFECTIONVM, quæ in Deo conſiſtunt, concentus „
efficiet? O odor delectabilis, quàm mirabilem ſub te odorem tegis! Et „
ſi me delectat id quod fortè cras putidum erit; quid fiet cùm odore illo „
fruar, qui à natura incorruptibili promanat? O ſapientia, quæ ex ore *Eccli. 24.*
altiſſimi prodijſti, quàm ſapida es ijs qui ſanum palatum habent! O „
quando ſatiabitur in bonis deſiderium meum? „

Si verò res conſpecta vitam habeat, vt arbores & plantæ; auoca id, 2. *In plantis Deus etiam videdus.*
quod natura ſibi vendicat, à diuino illo Spiritu, & ſingula perluſtra, radices, viriditatem, flores, fibras omnes, foliola, denticulos, venas, ſurculos, gemmaſque erumpentes; tum aduerte diuinum iſtum Spiritum, qui mundi initio latè ferebatur ſuper aquas, intimè ſingulis præſentem eſſe, formaſque tribuentem, ac ſuſtinentem, & alloquens dicito: Gra- „

tias

„ tias tibi ago, immense Domine, quòd & vita cùm sis, viuere solùm tibi
„ non vis, sed & alijs vitam largiris. O foliola, ô flores, laudate Domi-
„ num Deum vestrum, sine quo vita non est. Viuitis non vobis, sed &
„ ipsi, vt enarretis mirabilia eius; & mihi, vt me in eius cognitionem &
„ amorem erigatis, & mortali vitæ hominum vsui commodoque sitis.

3. *In brutis.* Cùm intueberis animalia bruta, penetra vitam, motum, industriam, pulchritudinem, speciei totius PERFECTIONEM, decorum denique in partibus omnibus elucens: contemplare rem illam ex nihilo esse; & ex se illico in nihilum refundi, nisi alia vita ei esse, viuere, ac mo-
„ uere impertiat, & erumpens in has voces dicito: Quàm mirabilis es,
„ Domine! & quis comprehendat sapientiam tuam rebus omnibus im-
perantem? O bestiolæ & cæli volucres, laudate Dominum. Benedici- *Danielis 3.*
„ te cete, & omnia quæ mouentur in aquis, Domino. Benedicite peco-
„ ra & bestiæ terræ Domino. Illum prædicate, per quem estis, viuitis, &
„ mouemini.

4. *In hominibus.* Quòd si qui præclari conceptus in hisce tribus generibus occurrant Deum contemplanti ac laudanti; longè nobiliores in homine, & maximè iusto, ac PERFECTIONIS studioso, elucent: in quem summus ille artifex omnes rerum PERFECTIONES aggregauit, & velut in compendium omnium operum suorum, in quibus sapientiam & potentiam suam voluit emicare, plena manu profusissimè congessit.

Amandi homines præ ceteris opportunitates ac rationes.

51. Quòd si ergo res insensibiles tantum valeant, vt hominem in Deum, rerum omnium Conditorem, abripiant; quanto magis homines ipsi, quibus nihil amabilius, nihil sublimius, nihil excellentius, nihil inter res inferiores dignius, nos in sui admirationem rapere, & ad Conditoris amorem accendere debent! Non est in toto homine vnica pars, cuius fabricam ac compositionem præstantissima ingenia medicorum non suspiciant, & cum stupore Auctoris sapientiam non admirentur. Quòd si nos summi illius Architecti caritatem erga hominem intueamur; si ea, quæ eius causa facere patique voluit, quæ Deum diligentibus parauit; si seuerum mandatum quo vult eum diligi, pœnasque in eos destinatas, qui fratrem non diligunt, consideremus; qua ratione vel vnicum hominem, præsertim iustum ac probum, videre sine summa delectatione poterimus?

Cic. lib. de amicitia. *Voluptas in amore proximi.*

Si licuit Philosopho dicere, *Quoniam res humanæ fragiles caducæque sunt, semper aliqui acquirendi sunt quos diligamus, & à quibus diligamur; caritate enim beneuolentiaque sublata, omnis est è vita sublata iucunditas*: quanto magis Christianos, sui similibus diuinaque caritate copulatos, vinciri tenerique oportebit! Vnus illis Deus est, vna fides, vna religio, vnum baptisma, vnus omnium Pater, vna Ecclesia mater, eædem leges, vnus panis ac mensa reficiendis animis, locus vnus æternæ commora-

morationi destinatus. Quare nonnulli sunt qui hominē intueri, maximè si virtute prædìtus sit, non possint sine summa sua voluptate; tum propter excellentiam religionis Christianę, virtutumque, quas habere conspicitur, amorem; tum maximè ob Conditoris Patrisque communis caritatem, quem in eo considerant, & eximium in ipsum amorem, ergaque omnes homines, cælesti potissimùm gratia ornatos, beneuolentiam.

Seruierat Catharina Senensis cuidam infirmæ Palmerinæ, peruersæ mulieri, & insigni odio in eandem Catharinam flagranti. Huius precibus Palmerina recèns conuersa, Sacramentis munita è viuis excessit: sed incredibili splendore ac pulchritudine anima illa, in egressu, Catharinæ visa est; cui Christus: *Si anima vix è peccatorum emersa salebris tanta, quantam vides, Catharina, est venustas, splendor, & pulchritudo; censes te frustra quidpiam sustinuisse? hominesq́; vri subinde desiderio tales animas vel aberrantes reuocandi, vel Deo suo adhærentes conseruandi? Me certè cæli terræq́; Dominum eam ob causam sublimes cæli regiones deseruisse, & ad terræ colluuiem descendisse, passum ac crucifixum fuisse, non pœnitet.* *Raymundus in vita eius.* *Anima iustæ pulchritudo.*

52. Hic modus latissimè patet, valetque plurimum, ob varietatem, ad vitandum tædium: naturæ enim rerum variæ sunt, Deique sapientia variè sese prodit, & in singulis epulas consideranti apponit delectabiles; potissimùm in naturæ humanæ præstantia, siue naturali, siue cælitus infusa: nihilque ita valet ad inordinatos affectus motusque libidinosos extinguendos, quàm summi Dei, quem in omnibus videmus & ardenter diligimus, consideratio, eiusdēque præsentiæ admiratio ac complexus. Qui enim in alio non formam, non nobilitatem, non carnem, non colorem, non externā vestem considerat, sed Deum eiusque gratiam, sed opus amantissimi Cōditoris, filium summi optimique Parentis, eumq; æternæ hereditatis capacem suo tempore in throno cælesti sessurum, cum ceteris fortè iudicaturū orbem; quomodo de mollitie libidineque cogitabit? præsertim cùm affectio hæc ex alio fonte, quàm ex carnis fæculento stagno, promanet; ex amoris nempe diuini ac caritatis riuo: qui si longo vsu & exercitatione confirmetur, voluptatis omnis corporeæ sensum reddet odiosum, inuisum, putidum, & acerbum, imò expellet planè atque extinguet. *Varietas & vtilitas huius modi circa hominem.*

53. Illud quoque efficiet, vt non facilè contemnamus eum, quem tantopere ab illa suprema Maiestate diligi, quemque tantis muneribus, ornamentis, ac diuitijs præditum cognoscimus; cuius exigui defectus ac delicta, (quibus vix, ac ne vix quidem, carere possumus) oculis nostris temere obuersantia, tam præclaris donis ac muneribus præponderare nullo modo debent: quid enim sunt imperfectiones ac defectus, vt ob illos parui faciamus hominem, qui pro fide ac Religione,

Simile. pro Deo in se retinendo animam ponere paratus sit? absurdè enim quispiam facere censeretur, qui virum optimè compositũ, robustum, speciosum parui duceret, quòd in eius facie, alioquin admodum venusta, næuos aliquos conspiceret. Maiora sunt dona in homine iusto: *1. Cor. 6.* membra enim eius templũ sunt Spiritus sancti, anima sedes sapientiæ; *Ibidem.* empti sumus pretio magno, portamusque Deum in corporibus ani- *2. Cor. 4.* misque nostris; etiamsi illi vasis fictilibus non sint, ob infirmitatem, absimiles. Sed satis sit de hoc modo, de quo nemo pro dignitate vmquam satis dicere poterit.

Nota. Meminerit tamen (vt hoc postremò dicamus) virtutis studiosus, cùm aliquid aggredi volet, attentè cogitare, se nihil sine causa prima & agere & verò posse producere; meritoque debere ad ipsum primum „ motorem animum aduertere in hunc modum: Agè, Domine; incipe *Ioan. 15.* & operare mecum: quia sine te nihil possum. Quidquid fecero, profi- „ tebor, sicut & profiteor, à te esse & factum & perfectum: ego verò vnicè „ te in hoc opere intueor atque intendo; ipsumque opus ad te, tamquam „ auctorem, cum actione gratiarum refero: vilissimum enim instrumen- „ tum me esse confiteor, quod sine artificis manu efficere nihil potest.

CAPVT X.

Adfertur quintus, sextus, & septimus modus præsentiæ diuinæ; nempe memoria quatuor nouissimorum, timoris Domini & præceptorum eius, ac passionis Christi.

54. DIXIMVS Deum in nobis consistere per essentiam, cùm in memoria, in intellectu, in voluntate & affectu est, tamquam res memoriæ, intellectui, & voluntati obiecta, nempe memorata, intellecta, dilecta. De memoria aliquot modos ponemus, ne tantam facultatẽ in nobis otiosam ac inutilem reputemus. Hortantur nos Scripturæ diuinæ ad quædam speciali studio memoranda; atque *Modus 5. memoria nouissimorum.* in primis nouissima hominis, quæ sunt mors, iudicium, infernus, & cælestis gloria; quorum memoria admodum vtilis est, maximè ad peccatum detestandum aut fugiendum. *Memorare*, ait Ecclesiasticus, *no-* *Eccli. 7.* *uissima tua, & in æternum non peccabis*. & D. Gregorius ait: *Præsentis tem-* *Hom. 32.* *poris ita agenda est lætitia, vt numquam amaritudo sequentis iudicij recedat à memoria*. *Memor esto*, ait idem Ecclesiasticus, *quoniam mors non tardat*. *Eccli. 14.*

addit inferiùs: *Memento nouißimorum, noli obliuiſci. Memor eſto iudicij mei; ſic enim erit & tuum: mihi heri, & tibi hodie.* Ecce quàm grauiter mortis iudicijq́ue memoriã inculcat. Sanè aliquoties in die horum eſſe memorem, partim ad bonam mortis præparationem, partim ad peccata vitanda, ad nos excitandos à torpore & ignauia, & nos promouendos in via ac progreſſu PERFECTIONIS quærendæ, vtile admodum fuerit. *Eccli. 38.*

55. Frequens etiam eſt Scriptura in memoria reuocanda timoris Domini, & obſeruationis mandatorum eiuſdem. *Memorare,* ait [a] Eccleſiaſticus, *timorem Dei, & non iraſcaris proximo.* Propheta Regius hæc animo perpetuò verſabat. [b] *Memor fui,* ait, *nocte nominis tui, Domine; & cuſtodiui legem tuam.* [c] *Iuſtitia illius in filios filiorum, his qui ſeruant teſtamentum eius, & memores ſunt mandatorum ipſius, ad faciendum ea.* Tanti verò Deus hanc memoriam duxit, vt ita Moyſi præceperit: *Loquere filijs Iſrael, & dices ad eos vt faciant ſibi fimbrias per angulos palliorum, ponentes in eis vittas hyacinthinas; quas cùm viderint, recordentur omnium mandatorum Domini, nec ſequantur cogitationes ſuas, & oculos per res varias fornicantes; ſed magis memores præceptorum Domini, faciant ea, ſintq́; ſancti Deo ſuo.* & in Deuteronomio: *Erunt verba hæc, quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo, & narrabis ea filijs tuis, & meditaberis in eis ſedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens atque conſurgens; & ligabis ea quaſi ſignum in manu tua, eruntq́; & mouebuntur inter oculos tuos.*

Modus 6. memoriæ timoris Domini, & mandatorum eius.
a *Eccli. 28.*
b *Pſal. 118.*
c *Pſal. 102.*
Num. 15.
Deut. 6.

Huius argumenti vis eſt, admodum vtile eſſe, hominem non eſſe otioſum, ſed expedire ſemper aliquid animo verſari, omni loco & tempore, quantum vires humanæ ferre poſſint: & ſi putes tibi deeſſe materiam, en ſufficiens conſiderationis ſeges, vt vitam præteritam recolas, præſentem diſcutias, quidq́ue futurum ſit examines, (quod optabat Moyſes filijs Iſrael. *Gens,* ait, *abſque conſilio eſt, & ſine prudentia: vtinam ſaperent, & intelligerent, ac nouiſſima prouiderent!*) animoq́ue aliquid de Lege Domini vel diuinis Scripturis reuoluas, ruminans nunc verſiculum Pſalmi alicuius, vel ſententiam deſumptam ex diuinis paginis. quod D. Auguſtinus libro quinquaginta Homiliarum. *Memoria hominis* (ait) *ſic eſt, vt venter pecoris. Noſtis quia in Lege immunda dicta animalia quæ non ruminant; quæ autem ruminant, munda ſunt; & quæcumque habent vngulam fiſſam, pertinent ad diſcernendum verum & falſum. Vngula fiſſa pertinet ad diſcernendum quid dextrum, quid ſiniſtrum: ruminatio enim pertinet ad eos qui cogitant poſtea quod audierint & tenuerint; nam modò manducamus, & in memoriam tamquam in ventrem mittitur. Sed quid facit pecus quando ruminat? Illud quod in præſepe iactatum fuerat, & in ventre repoſitum, reuocat ad os, & in ipſa dulcedine conquieſcit. Hoc dixi, vt commendarem vobis ne ſitis immundi tamquam pecora. Accepit illud in ventre, poſtea non ruminat,*

Deut. 32.
Homil. 35.
Memoria hominis, ruminationi animalium cõparata.

nat, & transit tota dulcedo; & nihil vobis prodest quod reconditum est; quia non redit ad os dulcedo. Audite illud expresse & apertè dictum: Thesaurus desiderabilis requiescit in ore sapientis, stultus autẽ glutit illud Hæc Augustinus.

Prouerb. 21.

Hoc exercitio sollemne erat D. Augustino mentem excolere; erat enim illi in delicijs, non modò orationem aut studia, sed & mensam, Scripturarum commemoratione, tamquam optimo obsonio, condire. De D. Thoma id notum, quòd etiam dum ederet, tacitus quæstiones versabat animo, discutiebat & enodabat difficultates grauissimas.

Quare consilium hoc optimum est, & sæpe à Spiritu sancto inculcatum. *Cogitatum tuum*, ait, *habe in præceptis Dei. Erit quasi signum in manu tua, & quasi monumentum ante oculos tuos, & vt Lex Domini semper sit in ore tuo.*

Eccli. 6.
Exodi 13.

Hoc à nobis meritò exigit Deus, qui magna nobis præstitit, maiora promittit, maxima confert assiduè; nempe vt fidem datam seruemus, Legem ipsius impleamus: & tamen (quæ infirmitas humana est, dicam etiam quæ infidelitas intolerabilis) vix cum Deo pacti sumus, præsertim in tribunali misericordiæ, coram curia cælesti, in præsentia iudicis, ministri Dei, quin à contractu resiliamus, immemores pacti ac percussi fœderis. [a] Diluuio consummato, posuit Deus signum inter se & terram, arcum in nubibus; quo declararet æternam reconciliationem ex parte sua firmam & inconcussam. eum altissimo loco collocauit, & admodum visibilem, vt ab omnibus prospici posset. Nihilominus mundus non euasit melior, aut cõstantior: [b] excitauit turrim Babel, vt ad cælum vsque Deo inuito pertingeret. In Pœnitentiæ Sacramento, quasi diluuio passionum ac dolorum Christi, peccator cum peccatis submergitur: Deusque, deposita omni ira, pactum init nobiscum, & ius hereditatis reconciliatis ad bona Patris æterni restituit, (modò promissis stemus) & inter nos & cælum arcum illum purpureum, IESVM Christum crucifixum, dilaniatum à capite ad pedes, interponit medium, eoque loco constituit, tum verbo prædicationis, tum imaginibus, quæ non modò templis singulis, sed & domibus pæne omnibus ac locis patentibus emicant, tum officio quod quotannis recolitur, quoque passionis acerbitas explicatur, imò singulis diebus, ne dicam singulorum dierum horis, per vniuersum orbem in tremendis Mysterijs cõmemoratur; vt difficillimum sit, hunc fœderis arcum ac symbolum non videri. Nihilominus vix à templo, ab oratione, à propositi loco recessimus, quin immemores à contractu resiliamus, vix nostri memores. de quibus Psalmista: *Non fuerunt memores multitudinis misericordiæ Dei.* Quapropter vtilissima erit recordatio diuinorum mandatorum, quæ pactum istud conseruet, nosque nobis ipsis Deoque præsentes constituat, & à lapsu liberet ac vendicet.

Allegoria pro memoria mandatorum & misericordiæ Dei.
a Gen. 9.
b Gen. 11.
Psal. 105.

Modus 7. memoria paßionis Domini.

56. Præ ceteris omnibus nostra memoria occupari debet cùm in Christi Seruatoris vita sanctissimè traducta, tum verò potissimùm acerbissimi eius dolores cogitandi sunt. quod cùm maximè nobis salutare sit, tum ad id is ipse, qui patitur, nos impensè inuitat per Prophetam suum. *O vos omnes*, ait, *qui transitis per viam, attendite, & videte si est dolor sicut dolor meus.* & Apostolus: *Recogitate eum qui talem sustinuit à peccatoribus aduersum semetipsum contradictionem; vt ne fatigemini, animis vestris deficientes.* Pijssimus quoque Bonauentura, *Quoniam*, inquit, *deuotionis feruor per frequentem paßionis Christi memoriam nutritur & conseruatur in homine; is semper oculis cordis sui Christum in cruce tamquam morientem videat, qui deuotionem in se vult conseruare inextinguibilem. Propter hoc Deus dicit in Leuitico: Ignis in altari meo semper ardebit, quem nutriet Sacerdos subijciens ligna per singulos dies. Altare Dei est cor tuum. In hoc altari debet semper ardere ignis feruidæ deuotionis, qui singulis diebus debet nutriri per lignum crucis Christi, & memoriam paßionis ipsius; & hoc est quod dicit Isaias: Haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris. ac si diceret: Quicumque desiderat aquas gratiarum, aquas lacrymarum iste hauriat de fontibus Saluatoris, id est, de vulneribus* IESV *Christi.* Hæc Bonauentura. Multa sunt in rebus creatis, quæ summa facilitate, adhibito tamen conatu, nobis vitæ passionisque Dominicæ refricant memoriam: qualia sunt, quibus vsus est familiariùs ipse Dominus, vel quæ ipsum afflixerunt, vel certè quæ eius humanitatem Diuinitatemque testata sunt. Quare, si solem intueare; veniat in mentem illius, quòd ipso moriente sol obscuratus est, & tenebræ factæ sunt per vniuersam terram. Si terram aspicias; cogites eam Dominum calcasse sacris pedibus, & morum virtutumque vestigia nobis impressa reliquisse, eam quoque sanguineo sudore perfudisse. Si aquam; illud occurrat, quòd siccis firmisque in ea pedibus ambulauit, quodque ex eius mortui latere copiosè profluxerit. Si rupes ac saxa; memor sis, in hora mortis eius, ex terræ tremore, petras scissas fuisse, apertaque monumenta. Si aër pluuiam imbrémve demittat; recordere pluuiæ sanguineæ, quæ ex omnibus corporis saucij partibus in stipite crucis exteriti defluxit. Si videris rusticanas ædes; subeat recordatio stabuli illius, in quo Dei Filius natus est. Si malleos, si forcipes, si clauos, si spinas, si scuticas & verbera, si arundinem, si funes, si peluim aut malluuium; toties ea instrumenta passionis Dominicę fuisse memento. Cùm vestes induis; considera Filium Dei humanā induisse naturam: cùm exuis; contemplare eum vestibus spoliatum, vt flagris dirissimè laniaretur, vel immani cruci figeretur. Hæc quidem passim non occurrunt; ars tamen naturam perficit, & gratia. Accedat & conatus oportet, & studium nostrum. Amanti nihil impossibile. Qui ardenter amat, is & amici memoriam colit, & omnia, quæ eius recorda-

Thren. 1.
Heb. 12.
Lib. de perfect. vita ad Sorores, cap. 6. tomo 7.
Leuit. 6.
Isaia 12.
Qua memoriā paßionis Dominica excitē.

tionem excitant, complectitur. Ama, & conare; Deus non deerit, mercedemque memoriæ sui non subtrahet.

Partitio dierum hebdomadæ ad recolendam Christi Domini passionem.
1. Dominica.
57. Solent nonnulli viri pij hebdomadæ dies partiri, & singulis suam materiam occupandæ mentis distribuere: vt diei Dominico, qui resurrectioni consecratus est, apparitiones, quæ illo die acciderunt, cogitandas præscribere; & primùm quidem illam quę Matri Virgini beatissimæ, deinde quæ Mariæ Magdalenæ, quæ tribus aggregatis Marijs, quæ Petro, quæ duobus discipulis in Emmaus euntibus, quæ discipulis domi inclusis: vt, si quando mens otiosa fuerit, illi aliqua ex his obijciatur. *2. Lunæ.* Diei Lunæ, quæ in horto acciderunt: qualis Christi oratio; quæ deinde fuerit somnolentia discipulorum; quæ Iudæ vigilantia, proditio, traditio; quæ Christi benignitas, traditoris sui osculum sustinentis; quæ denique immanitas Iudæorum, Messiam suum vincientium & abducentium. *3. Martis.* Die Martis amplissima sunt quæ contigerunt in ædibus Caiphæ. *4. Mercurij.* Die Mercurij nonnulla quæ in domibus Pilati & Herodis. *5. Iouis.* Diem Iouis libenter occupant consideratione humilitatis Christi, pedes discipulorum eluentis; & sacræ Eucharistiæ institutione meditanda. *6. Veneris.* Diem Veneris sibi vendicat coronatio Domini cum omnibus irrisionibus, crucis baiulatio ac crucifixio. *7. Sabbati.* Sabbatum consecratur tum sepulturæ contemplandæ, tum doloribus Virginis commemorandis.

Monitio pro prudenti moderatione.
58. Hæc tamen prudenter sunt assumenda, ne caput lædatur: difficile namque est res illas concipere, ijsque sæpe efformandis facilè exhauriuntur spiritus. expedit potiùs sententiam aliquam ruminare, quæ mysterium illud omne contineat; quales essent pro Dominico die: *Psal. 119.* *Hæc est dies quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea.* *Ioan. 20.* *Si tu sustulisti eum, dicito mihi vbi posuisti eum, & ego eum tollam.* *Luc. 24.* *Nónne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via? Pax vobis.* & similes. qualis item illa diei Lunæ: *Matth. 26.* *Tristis est anima mea vsque ad mortem. Non sicut ego volo, sed sicut tu. Amice, ad quid venisti?* Die Martis, de domo Caiphæ: *Psal. 2.* *Astiterunt Reges terræ, & Principes conuenerunt in vnum, aduersus Dominum, & aduersus Christum eius. Dirumpamus vincula eorum, & proijciamus à nobis iugum ipsorum.* *Psal. 21.* *Circumdederunt me vituli multi, tauri pingues obsederunt me: aperuerunt super me os suum, sicut leo rapiens & rugiens.* item: *Matth. 26.* *Prophetiza nobis Christe, quis est qui te percussit?* *Isaia 50. & 53.* *Posui faciem meam vt petram durissimam. Non est species ei, neque decor: & vidimus eum, & non erat aspectus; & desiderauimus eum, despectum & nouissimum virorum. Verè languores nostros ipse tulit.* Die Mercurij: *Ioan. 19.* *Pilatus flagellauit* IESVM. *Ecce homo.* *Isaia 53.* *Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit: & nos putauimus eum quasi leprosum, & percussum à Deo, & humiliatum.* Die Iouis: *Ioan. 13.* *Domine, tu mihi lauas pedes? Vos vocatis me Magister & Domine, & bene dicitis. si ergo ego laui pedes vestros, Dominus & Magister; & vos debetis alter alterius*

lauare

lauare pedes : exemplum enim dedi vobis , vt, quemadmodum ego feci vobis, ita
& vos faciatis . Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus . Qui Ioan. 6.
manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo.
Probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat : qui enim 1. Cor. 11.
manducat & bibit indignè, iudicium ſibi manducat & bibit, non dijudicans cor-
pus Domini . Die Veneris : *Pilatus adiudicauit fieri petitionem eorum . Milites* Luc. 23.
plectentes coronam de ſpinis, poſuerunt ſuper caput eius ; & genu flexo ante Matth. 27.
eum illudebant ei, dicentes : Aue Rex Iudæorum . & percutiebant caput eius
arundine. Foderunt manus meas & pedes meos, dinumerauerunt omnia oſſa Pſal. 21.
mea . Die Sabbati : *Mulier, ecce filius tuus . Ecce mater tua* . Hæ & ſimi- Ioan. 19.
les ſententiæ totam hiſtoriam reuocant in memoriam ; & minori labo-
re ac tædio ruminantur, quàm ſi hiſtoria repræſentari debeat . Expedit
verò hæc ex directione prudentis Confeſſarij ſuſcipere; nec metiri con-
tinuationem hanc ex deſiderio quod gerimus, ſed ex cuiuſque faculta-
te ac viribus, vt ſit rationabile obſequium noſtrum . Rom. 12.

59. Nec velim quemquam ſic iſta intelligere, vt alia agendo, hæc ſimul voluat animo . *Pluribus intentus minor eſt ad ſingula ſenſus* . Memor eſto huius præcepti : *Age quod agis* . Si legendum, lege ; ſi ſtudendum, ſtude ; ſi loquendum, loquere . Subinde redi ad te, ne ſpiritum obruere atque opprimere videare . Caue etiam ne conſideratio hæc à ſola memoria pendeat, ſed maximè ex affectu procedat : ſic enim diuturnior erit, & magis ſapida . Exercitatio verò iſta à iuuentute aut à primis ætatis annis ſuſcepta miram parit facilitatem, miram delectationem . Quòd ſi hæc ætas elapſa ſit, neceſſe eſt hunc defectum ſuppleat magna in Chriſtum Dominum caritas, eique compatiendi deſiderium : quod enim amatur, laborem non habet ; & vbi voluptas, nulla ibi fatigat duratio .

Hunc B. Bernardus, præ ceteris, complexus eſt modum, quem tota
vita ſedulò retinere, atque ex omnibus paſſionis inſtrumentis, dolori-
bus, conuicijs ſuauiſſimi Domini ſui faſciculum myrrhæ confectum
inter vbera ſua voluit commorari ; ſic hortans nos ad imitandam ſpon-
ſam, faſciculum myrrhæ complectentem : *Tu quoque, ſi ſapis, imitaberis* Serm. 43. in
ſponſæ prudentiam, atque hunc myrrhæ tam carum faſciculum de principali tui Cant.
pectoris nec ad horam patieris auelli, amara illa omnia, quæ pro te pertulit, ſem- Faſciculus dolorum ac paſ-
per in memoria retinens, & aſsidua meditatione reuoluens ; quo poſsis dicere & ſionũ Domini.
tu : Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur . Et Cant. 1.
ego, Fratres, ab ineunte mea conuerſione, pro aceruo meritorum, quæ mihi deeſſe
cognoſcebam, hunc mihi faſciculum colligare & inter mea vbera collocare cura-
ui, collectum ex omnibus anxietatibus & amaritudinibus Domini mei : primùm
videlicet infantilium illarum neceſsitatum, deinde laborum quos pertulit in præ-
dicando, fatigationum in diſcurrendo, vigiliarum in orando, tentationũ in ieiu-

nando,

nando, lacrymarum in compatiendo, insidiarum in colloquendo, postremò periculorum in falsis fratribus, conuiciorum, sputorum, colaphorum, subsannationum, exprobrationum, clauorum, horumq; similium, quæ in salutem nostri generis silua Euangelica copiosissimè noscitur protulisse. Hæc Bernardus.

In vita Matris Teresa, lib. 3. cap. 3.

Scribit P. Franciscus Ribera, duas sorores nobilissimas, Illustrissimi Sancij Rodriguez filias, Catharinam & Mariam, fundasse quoddam „ Monasterium Carmelitarum Discalceatarum. Admiranda fuit Ca„ tharinæ primogenitæ ad Deum conuersio anno ætatis 14. (de qua pri„ mo libro diximus) quo tempore cùm ab humili Christi cultu atque ob„ sequio longissimè abesset, &, quidquid illi parentes coniugij nomine „ deferrent, opinione sua minus esse videretur, contigit vt in Christi „ cruci affixi effigiem incideret, in cubiculo quodã appensam; in quam „ coniectis oculis, legere cœpit eiusdem crucis titulum: IESVS *Nazare„ nus, Rex Iudæorum.* cuius singula verba sic eius animum peruaserunt, vt „ eodem momento, cælesti lumine igneque afflata, in aliam planè mu„ tata sit. Hausit enim illico incredibilem abiectionis suæ ac humanæ „ miseriæ cognitionem. Inflammata deinde ardentissimo Dei causa pa„ tiendi desiderio, humilitatis Christianæ altissima fundamenta ponit; „ feruentissimo odij proprij ac pœnitentiæ agendæ ardore succensa. His „ iactis fundamentis, antequam se loco moueret, castitatis voto ob„ strinxit sese, ac paupertatis: concepto simul inæstimabili desiderio sub„ ijciendi se alterius imperio; intantũ vt parata esset hanc ob causam in „ Maurorum regionem commigrare. Incredibilia sunt, quæ nobilissima „ hæc virgo à die illo fecerit, quæque illi acciderint; sanitate ei diuinitus „ restituta; visione item mirabili ostensa ei Religione quam ingredere„ tur, regulisque eiusdem instituti propositis, viginti annis antequam „ Monasterium fundaret cum sorore: cui omnia bona sua contulerunt, „ priusquam ingrederentur, nulla tamen desuper ingressus sui facta men„ tione. quæ omnia bene longo capite idem Pater persequitur. Decessit denique Catharina virtutum laude florentissima, cuius vitæ adeò illustris initium dederat tituli Dominicæ crucis & Regis Regum in ea appensi visio, attentaque consideratio.

Iosue 2. De passionis Domini memoria, praclara figura.

Misit Iosue exploratores duos in vrbem Iericho, qui explorarent qua parte ciuitas capi posset. Diuerterunt ad Rahab meretricem: cumque quęrerentur à Rege Iericho, illa eos abscõdit, ac illęsos incolumesque remisit; ea tamen lege, vt misericordiam illi præstarent in expugnatione ciuitatis; sed addito signo funiculi coccinei alligati, & à fenestra dependentis. Cùm ergo caperetur ciuitas, & omnes cæderentur, ex funiculo coccineo è fenestra suspenso domus agnita est, saluataque Rahab cum tota cognatione sua. Iericho, quæ lunam significat, mundum hunc, mutationibus innumeris obnoxium, designat.

Rahab

Rahab meretrix, quæ Latinè dilatatam ſonat, pœnitentem animam, & ad Deum conuerſam, nobis innuit. Hæc nuntios Ioſue ſeu Saluatoris recipit, & abditiſſimis cordis ſui locis abſcondit. Hi autem duo nuntij ſunt memoria Chriſti Domini amantiſſimi, ac innumerabilium dolorum eius compaſſio; qui, vt infernè deuoluantur, alligantur funiculo coccineo ſuſpenſo è feneſtra. Feneſtræ noſtræ ſunt oculi ſiue interni, ſiue externi; per has enim vita aut mors in animas noſtras ingreditur: ſed in ijs alligandi duo illi nuntij funiculo illo coccineo, qui Chriſtum in cruce colligauit & conſtrinxit; funiculo, inquam, noui Adæ, vinculis caritatis: nec in ſola cogitatione inhærere debent, ſed infernè ad cor affectumque demitti. Cùm autem vita noſtra aut mundus ipſe expugnabitur à vero Ioſue, mundi Saluatore, Iudice, & terræ promiſſionis expugnatore; funiculus ille in ſignum erit, ſi inuentus fuerit è feneſtra dependens: cognoſcentur enim ij, qui intimo affectu Chriſto compaſſi, in feneſtris animi corporiſque, patientis Domini memoriam numquam depoſuerunt; cædentur reliqui, & in infernum demergentur; ſaluabitur verò Rahab, & aſcribetur ijs qui terram fidelibus amiciſque Dei promiſſam poſſidebunt; noſque cum ea partem habebimus: *ſi enim filij, & hæredes; hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti: ſi tamen compatimur, vt & conglorificemur.*

Osee 11.

Rom. 8.

CAPVT XI.

Modus octauus, nonus, & decimus conceptæ præſentiæ Dei, per intellectum ex Regio apparatu in cælis, varijs figuris per imagines, viua fide in ſacroſancta Euchariſtia.

60. HACTENVS de exercitio memoriæ. Intellectus nobis tres quoque modos ſuppeditabit: atque in primis illum quem Dominus inſinuare videtur, dum nobis orandi normã præſcribit. ª *Sic orabitis*, inquit: *Pater noſter, qui es in cælis.* quibus verbis Patres volunt indicari, nos à terris ad cælos debere aſſurgere ac transferri mente ac cogitatione. Hinc Ioannes Damaſcenus orationem definit eſſe eleuationem mentis in Deum. & fideles ipſi, naturali quaſi instinctu, (ſicut apud Virgilium in tempeſtate ingemiſcit Æneas, *Duplices tendens ad ſidera palmas*) cùm ad Deum recurrunt, oculos manuſque attollunt in cælum, quò nimirum animus ipſe tranſmittitur. Sic Dauid orabat: *Dirigatur oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo, eleuatio manuum*

Modus octauus præſentiæ Dei, quo conſideratur in cælis apparatu Regio.

ª *Matth. 6.*

Lib. 3. de fide orthod. cap. 24.

Virgil. Æneid. lib. 1.

Pſal. 140.

Psal. 120. Psal. 122. Psal. 137. *Cur Deus in cælis esse dicatur in oratione Dominica.*

nuum mearum sacrificium vespertinum. &: *Leuaui oculos meos in montes.* &: *Ad te leuaui oculos meos, qui habitas in cælis.* denique: *In conspectu Angelorum psallam tibi.* A terra nempe, rerumque terrenarum contagione & consortio, auellenda est cogitatio atque affectus; ibique constituendus, vbi negotia magis seria, deque æterna salute tractandum est.

Isaia 6. Psal. 79. *Idea Maiestatis diuinæ in cælo regnantis.* a Apoc. 4. b Apoc. 19. c Apoc. 1. d Apoc. 19. e Apoc. 1. f Apoc. 4.

Quare nobis formare conuenit ideam rerum quas in cælis inuenire, quas videre, ac menti imprimere sine magno labore possimus. Hanc à Scripturis diuinis mutuabimur. Isaias dicit *se vidisse Dominum sedentem super solium excelsum & eleuatum, & plenam omnem terram gloria eius. Seraphim stabant super illud, alis senis contecti.* Propheta Dauid vidit etiam Dominum, sed *sedentem super Cherubim*; quos magistros aut scientes interpretamur. Septum ergo habemus Dominum exercitu Angelorum, ex Seraphinis, velut flamma ardentibus, & Cherubinis alijsque spiritibus conflato. D. Ioannes in Apocalypsi, [a] *Et ecce*, ait, *sedes posita erat in cælo, & supra sedem sedens; & qui sedebat, similis erat aspectui lapidis iaspidis*, [b] *& vocabatur Fidelis & Verax.* [c] *Caput eius & capilli erant candidi tamquam lana alba, & tamquam nix; & oculi eius tamquam flamma ignis;* [d] *& in capite eius diademata multa.* [e] *Facies eius sicut sol lucet in virtute sua.* [f] *Et iris erat in circuitu sedis similis visioni smaragdinæ, & in circuitu sedis sedilia viginti-quatuor, & super thronos viginti-quatuor seniores sedentes, circumamicti vestimentis albis, & in capitibus eorum coronæ aureæ; & in circuitu sedis quatuor animalia, plena oculis antè & retro, & requiem non habebāt die ac nocte dicentia, Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus omnipotens: & viginti-quatuor seniores adorabant viuentem in sæcula sæculorum, & mittebant coronas suas ante thronum, dicentes: Dignus es, Domine Deus noster, accipere gloriam, & honorem, & virtutem.* Item *ex omni tribu filiorum Israel duodecim millia signati*; & *turba magna, quam dinumerare nemo poterat.* Ex quibus omnibus concipi potest magnifica Regia, vbi summo ordine quique beatorum sedent, & honorem Deo tribuunt singulari reuerentia. Præter choros Angelorum visuntur & Patriarcharum Prophetarumque ordines, Apostolorum senatus, Martyrum trophæa, Confessorum turmæ, Virginum ac ceterorum beatorum chori. qua de re si aliquoties meditatio instituatur ex professo, facile erit aliquid concipere, quò te recipias ac referas, vbi de cælestibus voles cogitare.

Apoc. 7.

Phil. 3. Lib. 9. Confes. cap. 10. Psal. 35.

Hoc sensu D. Paulus loquebatur, cùm diceret, *Nostra conuersatio in cælis est.* & D. Augustinus cum matre apud Ostia Tiberina. *Inhiabamus*, inquit, *ore cordis in superna fluenta fontis tui, fontis vitæ, qui est apud te; vt inde pro captu nostro aspersi, quoquo modo rem tantam cogitaremus: cumque ad eum finem sermo produceretur, vt carnalium sensuum delectatio quantalibet in quantalibet luce corporea præ illius vitæ iucunditate non comparatione, sed ne commemoratione quidem digna videretur, erigentes nos ardentiore affectu in idipsum,*

idipsum, perambulauimus gradatim cuncta corporalia, & ipsum cælum, vnde sol & luna & stellæ lucent super terram. & paulo pòst: *Dum loquimur & inhiamus illi, attingimus eam modicè toto ictu cordis, & suspirauimus, & reliquimus ibi religatas primitias spiritus.* & post multa: *Tu scis, Domine, quòd illo die, dum talia loqueremur, & mundus iste nobis inter verba vilesceret cum omnibus delectationibus suis. Tum ait illa: Fili, quantum ad me attinet, nulla re iam delector in hac vita. quid hîc faciam adhuc, & cur hîc sim, nescio, iam consumpta spe huius sæculi. quid hîc facio?* Hæc Augustinus. Solebat & beatus Pater Ignatius, Societatis IESV fundator, frequenter oculos in cælum attollere, fixeque illud intueri, summoque desiderio beatæ illius regionis accensus in hæc verba prorumpere: *Quàm mihi sordet terra, dum cælum aspicio!* Etsi enim vbique sit Deus per essentiam, præsentiam, & potentiam, non tamen se hîc manifestat. *Cælum cæli Domino, terram autem dedit filijs hominum. Cælum illi sedes est, terra autem scabellum pedum eius.* Nos tamen [a] *spe* dumtaxat *salui facti sumus:* & licet [b] *non simus hospites & aduenæ, sed ciues sanctorum, & domestici Dei;* tamen [c] *non habemus hîc manentem ciuitatem, sed futuram inquirimus.* Quid ergo mirum, si spe, animo, desiderio in cælis cum Deo versari desideremus?

Maffeius in eius vita.
Psal. 113.
Isaiæ 66.
a Rom. 8.
b Ephes. 2.
c Hebr. 13.

61. Hic modus cùm vtilis sit gratusque omni homini rectè sapienterque vtenti, tum maximè opportunus est orantibus, quorum mens Deo attentiùs intendit: ad hoc enim natura, spiritu duce, orantem impellit & arrigit, vt oculos corporis animique in cælum attollat, ac manus eleuet. quod Moysen fecisse, & quidem Deo id probante, dum oraret, sacræ testantur historiæ. Sollemne id quoque fuit D. Francisco, qui subinde ad cubitos aliquot, interdum ad mediam fagum, denique aliàs vsquè ad summos fagorum ramos eleuabatur corpore recto, facie, oculis, manibusque in cælum protensis.

Bonau. in eius vita, c. 13. Antonin. 3. p. tit. 24. c. 2. §. 8. In Chronico Gallico, lib. 6. c. 15. edito Parisijs an. 1600.

Facilitas modi huius hinc colligi potest, quòd non minùs Deus nos videat, eumque concipere videntem possimus, quàm olim cultores solis & lunæ, qui militiam cæli adorabant, id est, astra omnia ac stellas: putabant enim (& quodammodo oculi ita iudicant) solem ac lunam habere oculos, totumque orbem contueri, ac radijs suis omnia peruadere, atque occultissima quæque patefacere; ob quam etiã causam facilè concipiebant Deum suum orantes, & meritò timebant omnia perspicientem. Quid minus Deo possumus tribuere? quid minus de eo concipere?

62. Quod de Diuinitate diximus, de humanitate Christi dici potest: nam etsi in cælo residentem ponamus, videt tamen omnia; nec cælorum altitudo, nec diuulsa intercapedo, aut domorum tecta aut parietes impediunt, quo minùs aut ipse videre nos, aut ipsi eum contemplari possimus. Certè videbat B. Stephanum generosè pugnantem: &, cùm

Quomodo Christus vbique esse dicatur.

Act. 7. vult, se manifestat; hinc vidit Stephanus cælos apertos, & IESVM stantem à dextris Dei. Ipse, tamquam principalis minister, confert gratiam in omnium Sacramentorum administratione, sacrificat inuisibiliter incruenta mysteria: quia distantia locorum nihil præiudicat ei, qui potest & regit omnia, & cuius verbo omnia obediunt.

Quod si concipiamus Christum Dominum tamquam dextræ nostræ adhærentem, veluti virum grauem, cuius vultum vereamur, cuius merita suspiciamus, cuius reprehensiones timeamus, consilia exoptemus, amicitia delectemur: etsi re ipsa coràm non sit secundùm humanitatem suam, quia (vt ait D. Augustinus) Christus Dominus quoad humanitatem omni loco esse non possit; persona tamen eius, quæ Deus est, vbique est, ideoque, vbicũque simus, ipsa adest. Deinde, suprà diximus præsentem eum esse censendum, qui omnia habeat ante oculos, perinde ac si iuxta rem ipsam eodemque loco consisteret: Christo verò Domino in cælis existenti omnia sunt conspicua, omnia aperta atque explorata; quare eum præsentem reputare possumus. Vnde idem Dominus Apostolis dicebat: *Vbi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum*. &: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi*.

Epist. 57. de præsentia Dei ad Dardanum.

Matth. 18.

Matth. 28.

Siue ergo è cælis prospicientem spectemus, siue adhærentem nobis, non fallimur: nam & diuina persona præsens est, & cor nostrum intuetur, & cogitationes nostras penitus considerat. hinc voluit re ipsa aliquando ostendere se ijs præsentem esse, qui de se magno affectu impulsi cogitarent; vti Mariæ Magdalenæ, cui secundò post resurrectionem apparuit. Catharinæ verò Senensi (quæ hanc præsentiæ diuinæ Praxim accuratè exercebat, vti postea ostendemus) ita familiaris erat,
„ vt subinde in cubiculo deambulando horarias preces cum ea recita-
„ ret, ipsaque in fine Psalmorum ita concluderet: Gloria Patri, & tibi,
„ & Spiritui sancto.

Matth. 28. Ioan. 20. Raymundus in eius vita.

Modus nonus, constans imaginibus.

63\. Sequitur alius modus, qui imaginibus & figuris exprimitur: facile enim per imagines memoria rerum, quas repræsentant, excitatur ac retinetur. quare vtilissimum est diuersis ædium locis locari imagines, quæ nobis Dei memoriam excitent; sicut & profani homines varijs formis obscenas cogitationes adsciscunt.

Regist. lib. 9. indictione 4. epist. 9. Imaginum vtilitates.

Quod D. Gregorius dicit imagines esse idiotarum libros, bene vereque dicit, sed non satis: sunt enim & peritorum libri, & quidem admodum efficaces; sicque oculos subinde animosque occupant ac permouent, vt, quod sedula lectione assequi nequiuimus, vno ictu oculi perfectè concipiamus. quare ex imaginibus optimæ meditationes fiunt; quia figuræ illæ animis impressæ, clariùs res spirituales important; & quo maior cognitio, eo & voluntatis motus potentior. Accedit,

cedit, adorandas esse imagines, eo quòd nobis prototypum repræsententent; vt, si Christi videas imaginem, ipsum Christum cernere videare: & quidem sine magno labore. quapropter imaginum vsus in templis, oratorijs, ac cubiculis admodũ opportunus est, præsertim orationis tempore. quia illico nos Deo sistimur, & illum in imagine pręsentem efformamus. hinc Petrus venerabilis Lector & Notarius sacri Patriarchatus legit in Synodo septima ex Athanasij libro quarto contra Arianos, ac concludit quòd Beatus Athanasius iudicauerit non esse duas adorationes imaginis & exemplaris, sed vnam: & quòd nos Christiani, imagines Christi & sanctorum Martyrum tenentes & osculantes, videamur nobis Christum & Martyres amplecti. *Qui enim*, inquit, *imaginem adorat, adorat etiam ipsum Regem: illius enim forma & figura est imago*. Item Ioannes Damascenus, *Adoramus*, inquit, *figuram crucis: quia vbi est Christi signum, ibi & ipse erit*. Refert D. Hieronymus epistola ad Eustochium, Paulam Romanam prostratam ante crucem Domini, quasi pendentem Christum cerneret, adorasse. quæ etiam *Bethlehem ingressa*, ait, *& in specum Saluatoris introiens, me audiente iurabat cernere se oculis fidei infantem pannis inuolutum*.

Act. 4. tomo 3. Conc.

Lib. 4. de fide orthodoxa, c. 12.

Epist. 27. c. 4.

Et sanè plurimos sanctorum Patrum, qui ad imagines orauerunt, sua non fefellit opinio. D. Thomæ coram crucifixi imagine oranti, & de studijs aliquid quærenti, tertiò vox è crucifixo reddita: *Bene scripsisti de me, Thoma*.

Petrus Ribad. in eius Vita.

D. Antoninus Florẽtinus Archiepiscopus, doctissimus iuxtà ac sanctissimus, crucifixi effigie ad fundendas orationes vtebatur in museolo, in quo inclusus pernoctabat. Domesticus quidã nocte, putans se vocari „
à beato viro, accessit primùm: & cùm ingenti luce locum vidisset co- „
ruscantem, furtiuè obseruans vidit sanctum virum multo lumine illu- „
stratum, longè à terra sublimem, ad crucifixi simulacrum abreptum; „
quod dulciter alloquens amplexibus stringebat, & lateri defosso oscula, „
incredibili voluptate perfusus, figebat. Hinc obseruatum, sermonem „
sancti viri mirabili suauitate deinceps fuisse respersum. „

Surius in Vita eius, tomo 3.

Abbas quidam Ioannes (vt refertur in Prato spirituali) in spelunca morabatur, in partibus villæ quæ dicitur Sochus, viginti ferè milliaribus ab Ierusalem. Habebat autem senex in spelunca imaginẽ immaculatæ Dominæ nostræ, Dei genitricis, semperque virginis Marię, in vlnis ferentem Christum Dominum & Saluatorem nostrum. Quoties igi- „
tur abire volebat ad locum aliquem, siue Ierosolymam ad adorandam „
sanctam crucem & venerabilia loca, vel in Sinai montem orationis „
gratia, siue ad Martyres distantes ab Ierosolymis multis prolixisque in- „
teruallis, reficiebat candelam, & accendebat, vt sibi consuetudo erat; „
atque ad orationem stans, & Deo, vt suum iter dirigeret, supplicans, „

Pratum spirit. sect. 180. Refertur act. 5. Synodi Nic. 2. sub finem.

» dicebat ad Dominam, intendens in imaginem ipsius: Sancta Domina » nostra, Dei genitrix, quia longum iter iturus sum, diebus multis perficiendum, candelæ tuæ tu curam habe, eamque (ne extinguatur) iuxta » propositum meum serua: ego enim, adiutorio tuo comitante, iter arripio. hisque ad imaginem dictis egrediebatur, peractoque proposito » itinere reuertebatur, aliquando post mensem, sæpe etiam post duos » vel tres menses, nonnumquam post quinque vel sex, & ita reperiebat » integram candelam & ardentem, sicut eam (cùm iter arriperet) dimiserat; & numquam hanc à seipsa extingui vidit, neque de somno » surgens, neque à peregrinatione rediens, neque ex eremo in speluncam pergens.

Surius tomo 6. Nouemb. 19. cap. 7. fol. 447.

Cùm Elisabeth Regis Hungariæ filia, & Lantgrauij Thuringię vxor, die quodam sollemni pretiosis ornata vestibus, aureamque capite gestans coronam, ac familia frequenti stipata, de more Christiano rem ,, diuinam auditura esset; primo statim contuitu crux Dominica, atque ,, ex ea pendens imago Saluatoris, eam penitissimè compunxit, compunctæ lacrymas excussit, & lacrymanti huiusmodi cogitationes ingessit: En creator & redemptor meus nudo corpore, mea causa ignominiosam in cruce oppetit mortem; ego verò misera, gemmis, auro, ,, bysso, & purpura contecta, vitam cælestibus indignam beneficijs perdo ,, magis quàm ago. Illud caput intra Pilati ædes spinea corona depunxit, ,, Iudæorum vallarunt opprobria; me numerosa circumdatam familia, ,, aurea corona redimitam, cuncti mirantur, suspiciunt, honorant. Me ,, miseram, me infelicem! sic illius obedio præceptis, beneficia reuoluo, ,, vestigia sequor, qui me, cùm non essem, creauit, perditamque suo sanguine redemit? Tam intensæ autem hæ cogitationes fuerunt, vt destituto viribus corpusculo, ac facie tota in pallorem versa, repentè regia ,, mulier humi velut exanimis prolaberetur, omnibus, qui eam stipabant, ,, vehementi pauore perculsis; elatamque foras tantisper sacris vndis adspergere perseuerantibus, dum, stupore cessante, compos mentis redderetur. Hæc in eius vita: quæ ab eo tempore adeò admiranda extitit, vt longè virtutibus illustrior ipsa euaserit, quàm sanguine.

Optima ergo Praxis est, frequentes Dei Sanctorumque imagines domi habere; quas & lubenter videas, & ad orandum adhibeas.

Modus decimus præsentiæ diuinæ, quæ in Eucharistia consideratur.

64. Alius modus est, per fidem Christum Dominum realiter animo, corpore, & Diuinitate in Eucharistia existentem adorare. Etsi enim oculis corporeis non videatur, certè dubitare nefas, non cogitare stupiditas, non curare propemodum insania est. Illic Dominum suum innumerabiles adorant Angeli, gloria & maiestate fulgentem. Cùm Sacrificium offertur, in quo ipse Dominus dominantium hostia immolatur, tota cælestis curia attendit; Pater excipit, omnibusque offeren-

rentibus, astantibus, orantibus copiosa munera largitur. Quales astare nos decet, cùm Angeli purissimi cum timore & tremore adsint, perpetuò occinentes: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus omnipotens*. *Apoc. 4.*

Ad illustrandam porrò hanc Dei in Eucharistia præsentis cõsiderationem, & ad confirmandũ ea quæ de Angelis assistentibus dicta sunt, magnopere confert quod B. Chrysostomus scriptum reliquit, vbi de sacrosancto altaris Sacrificio, *Considera*, ait, *quales manus illas administrantes esse oporteat; qualem linguam, quæ verba illa effundat; qua denique re non puriorem sanctioremve esse conueniat animam, quæ tantum illum tamq; dignum spiritum receperit. Per id tempus & Angeli Sacerdoti assident, & cælestium Potestatum vniuersus ordo clamores excitat, & locus altari vicinus, in illius honorem qui immolatur, Angelorum choris plenus est. id quod credere abunde licet vel ex tanto illo Sacrificio, quod tum peragitur: ego verò & commemorantem olim quendam audiui, cùm diceret, senem quendam, virum admirabilem, ac cui reuelationum mysteria multa diuinitus fuissent detecta, sibi narrasse, se tali olim visione dignum habitum à Deo esse, ac per illud quidem tempus derepentè Angelorum multitudinem conspexisse (quatenus humanus aspectus ferre poterat) fulgentibus vestibus indutorum, altare ipsum circumdantium; denique sic capite inclinatorum, vt si quis milites præsente Rege stantes videat. id quod facilè mihi persuadeo. Item & alius quidam mihi narrauit, non ille quidem ab alio edoctus, sed dignus habitus qui & vidisset ipse, & audisset, quòd qui de vita hac emigraturi sunt, si mysteriorum huiusmodi cum pura ac munda conscientia fuerint participes, spiritum efflaturi, ab Angelis, illorum corpora satellitum more stipantibus, propter assumptum illud sacrum hinc rectà in cælum abducuntur.* *Lib. 6. de Sacerdotio.*

Duo ad Praxim dicere sufficiet: quorum primum, vtile admodum esse, coram Eucharistia meditari, orationes fundere, ac etiam frequenter versari; vbi certò certiùs Dominum nostrum præsentem esse credimus: & propter sollemnes cærimonias, altaria, ornamenta, vasa pretiosa facilè apprehendimus eius præsentiam, ex qua pius quidam horror & veneratio enascitur. Alterum est, quòd ille idem in corpus nostrum se transfundi patiatur: vnde non modò præsentem cernimus, sed & sentimus ac gestamus. ideo D. Paulus: *Empti estis pretio magno; glorificate & portate Deum in corpore vestro*. Sed qua reuerentia? quo timore? quo affectu? Consideret qui excipit, sed maximè ille qui huic exercitio incumbit, vtrùm Deus aliquid debuerit facere vineæ suæ, vt eum præsentem haberemus, & non fecerit. *Vtile corã Eucharistia versari.* *1. Cor. 6.* *In ea qua reuerentia requiratur.* *Isaia 5.*

CAPVT XII.

Modus vndecimus voluntati proprius, quæ intimè templum Deo colendo, suæ quieti, tumultibus hostiumq́; iniurijs arcendis, construit; sanctis Patribus familiaris.

Modus 11. Animam nostram esse domum, tēplum, tabernaculum Dei.

65. POSTQVAM, operante intellectu, Deum tamquam obiectum præsentem constituimus; qui sequitur modus, affectui conuenit. Illum, vt & facillimum, & vtilissimum, & præstantissimum, sancti Patres tam doctrina quàm vsu cōprobarunt. Quid dico Patres? ne profani quidem auctores de eo ipso tacuerunt; inter quos Seneca:

1\. *Epist. ad Lucilium 41.*

Propè est à te Deus; tecum est, intus est. Ita dico Lucili, sacer intra nos spiritus sedet, malorum bonorumq́; nostrorum obseruator & custos. Hic, prout à nobis tractatus est, ita nos ipse tractat. Bonus vir sine Deo nemo est. Hæc ille.

2\. *1. Cor. 3. 1. Cor. 6. Ibidem. Ephes. 2. Ioan. 14.*

Litteræ sacræ animā hominis iusti templum Dei vocare consueuerunt. *Nescitis*, ait Paulus, *quia templum Dei estis? Vos enim estis templum Dei viui.* &: *Qui consensus templo Dei cum idolis?* Dicimur & Dei ædificium, habitatio, ab eodem Apostolo. *In Christo*, ait, *omnis ædificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino, in quo & vos coædificamini in habitaculum Dei, in Spiritu sancto.* Hoc ipse Seruator clariùs explicat. *Si quis*, ait, *diligit me, sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.*

3\. *Serm. 1. de dedicat. templi, ordine 16. incipit,* Bona opera fidelium. *a 1. Cor. 3.*

Sicut enim, ait D. Augustinus, *hoc ædificium visibile factum est nobis corporaliter congregandis: ita illud ædificium, quod nos ipsi sumus, Deo spiritualiter habitaturo construitur. [a] Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos.* Ita Augustinus.

4\. Naturali lumine gentes omnes, sicuti Deum quemcumque suum commentæ sunt, ita templa exædificanda cognouerunt: & vt verus Deus sibi mandauit ædificari, ita & commentitij sibi quoque extrui curauerunt.

5\. *Cæsarius lib. 9. cap. 8. Apes sacræ Eucharistiæ templū extruunt.*

Imò & apes, etsi lumine rationis careant, tamen (vt quidam probus ac religiosus auctor refert) Christum agnoscentes, dum mulier contra pestem animalculorum Eucharistiam in aluearia iniecisset, miræ structuræ fabricam erexerunt ex fauis suis ac cera. Pauimentū ac parietes, fenestræ,
„ ostium, tectum, turrisq́ue quasi æri cāpano suspendendo in ea adiuncta
„ visebatur: altare decenti loco erectum, in quo sacratissima Hostia ab
„ ijsdem deportata ac reposita erat; cui omni tempore laudes & obsequia
„ sua videbantur deferre. Ipsæ bestiolæ tandem Conditorem suum can-
„ tu ac festo strepitu prodiderūt: reddita est Hostia, sollemnique pompa
„ à Curione ad templum reportata. Hæc nos exempla exiguarum mu-

ſcarum inſtruunt, in animi aluearibus templum eſſe Domino conſtruendum.

D. Auguſtinus formam nonnullam præſcribit. *Fundamenta*, ait, *in cordibus veſtris Apoſtolica & Prophetica monita iacite. Humilitatem veſtram, ſicut pauimentum, ſine offenſione proſternite; ſalutarem in corde veſtro doctrinam orationibus & ſermonibus tamquam firmis parietibus communite; diuinis eos teſtimonijs tamquã luminaribus illuſtrate; infirmos tamquam columnæ ſufferte; inopes ſicut tecta protegite: vt Dominus Deus noſter pro temporalibus bonis æterna reſtituat, & vos in æternum perfectos dedicatosq́; poſſideat.* Hæc Auguſtinus, & optimè: nam quod anima in ſe templum conſtruere ſtatuit, non imaginariè tantùm, ſed veris ſolidisq́ue virtutibus fundatum ac ſolido compage colligatum ſit neceſſe eſt. Fundamentũ enim Chriſtus eſt, eiusq́ue, qua iuſti ſumus, gratia: ea abſente, nullum ædificium poteſt conſurgere. Stratum ſit profunda humilitate: parietibus quatuor fulciatur; prudentia, iuſtitia, temperantia, ac fortitudine: tegatur caritate: oſtium ſit firma ſolidaq́ue fides, quæ per caritatem operetur; eſt enim oſtium anguſtum, per quod pauci ingrediuntur: feneſtræ, quibus è cælo lumen copioſius coruſcans admittatur, ſpes magna, oratio, obedientia, gratitudo. altare quoque medium requirit D. Auguſtinus. *Sanctum*, inquit, *templum eſt Deo mens pura, & altare optimum eſt ei cor mundum & ſine peccato.* & in Pſalmum 49. *Ara*, inquit, *tua, conſcientia eſt. Immola Deo ſacrificium laudis.* Itaque ara cor noſtrum, in qua ignis caritatis iugis debet ardere, & ſuper illam offerri ſacrificia, primùm quidem ſpiritus cõtribulati: [a] *Sacrificium* enim *Deo ſpiritus contribulatus; cor contritum & humiliatum Deus non deſpiciet.* Deinde ſacrificium pro peccato: poſt reconciliationem enim Deo ſatisfaciendum eſt, quod fit pœnam ſpontaneam ſibi inferendo. Adde ſacrificium veſpertinum gratiarum actionis. Gratiſſimum quoque adueniet holocauſtum obedientiæ, vel conſecrationis ſeu deuotionis ſui totius in honorem diuinę Maieſtatis. Sacrificium denique omnium operum quæ facies, vt nullum ſit quod ad honorem eius non tendat aut referatur; ſicq́ue altare tuum numquam hoſtia ſit vacuum. [b] *Immola* & *Deo ſacrificium laudis*, ſæpeq́ue in hymnis & benedictionibus cum gratia canta ac recine ex animo: *Benedicam Dominum in omni tempore, ſemper laus eius in ore meo.*

Serm. ſup. cit. cap. 5.
Templi ſpiritualis quæ partes.
Matth. 7.
Lib. de natura & gratia, c. 64. tomo 7.
In Pſal. 49.
Sacrificia varia.
1. Spiritus contribulati.
a *Pſal. 50.*
2. Pro peccato.
3. Gratitudinis.
4. Holocauſtum obedientiæ.
5. Omnium operum.
6. Laudis.
b *Pſal. 49.*
Pſal. 33.

66. Dum Iacob mandato patris Iſaac in Meſopotamiam Syriæ pergeret, vxorem quæſiturus de cognatione ſua; vt quieſceret fatigatus poſt ſolis occaſum quodam loco, quem poſtea vocauit Bethel, (locus fuit vbi Chriſtus natus eſt) capiti lapidem ſuppoſuit, viditq́ue ſcalam, cuius extremitatum altera terram, altera cælos tangeret; aſcendenteſq́ue ac deſcendentes Angelos, Dominum verò ſupremę ſcalæ innixum hæc eloquentem: *Benedicentur in te & in ſemine tuo cunctæ tribus terræ,*

Figura interioris animæ domus lapis Iacob.
Gen. 28.

& ero custos tuus quocumque perrexeris, & reducam te in terram hanc. Expauit Iacob, & ait: *Quàm terribilis est locus iste! non est hic aliud nisi domus Dei, & porta cæli. tollensq; lapidem, quem supposuerat capiti suo, erexit in titulum, fundens oleum desuper: & vocatus est lapis iste Domus Dei.* Hæc figura, Iacob imitatoribus, id est, mundi supplantatoribus, & in aliena regione PERFECTIONEM, tamquam vxorem optimam, à Patre nostro cælesti commendatam, quærentibus, descripta est: qui, cùm splendor vanitatum huius mundi occubuit, in Bethel, quæ domus panis est, in qua iam Christus nouusque Christianus natus est, in interno quodam ac spirituali domicilio commorari & quiescere deligunt; sed malè quiescent, nisi super Christum & gratiā eius ac merita caput reclinauerint. Felix somnus, internaque cum Deo conuersatio, quæ sæcularium honorum, opum, voluptatumque tumultus sopiat. Felix (inquam) ille, qui ad pedem huius scalæ, quæ desideriorum cælestium ac virtutum gradus significat, lectum suum strauerit: haud dubiè insigniter in virtutis progressu viaque PERFECTIONIS proficiet, auctore pio Rege, qui ait: *Beatus vir cuius est auxilium abs te; ascensiones* certè huiusmodi *in corde suo disposuit, in valle lacrymarum, in loco quem posuit. Etenim Deus* scalæ innititur, multasque *dat* animæ *benedictiones*, tum ipsi, tum Ecclesiæ profuturas: sancta quoque desideria à nobis, Dei ex alto lumina vltro citroque ascendunt, velut Angeli, ac descendunt: *eunt* vota *de virtute in virtutem, & videtur Deus Deorum in Sion*; anima nempe magna pace fruente. Promittit Deus diuinam suam protectionem ac custodiam; se in terram etiam promissionis cælestemque Ierusalem nos esse reducturum: sed ex parte nostra lapidem erigamus oportet in titulum, fuso oleo desuper; extruamusque Deo domum. Templum illud est, de quo modò agimus: sed altare sit è lapide, vt constantiam operi adferamus, ne domus altareque facilè destruatur, ac voluntate firma in hoc sancto domicilio cum Deo perpetuò conuersemur; totumque affectum, velut oleum accensum, in illo altari fundamus & accendamus.

Psal. 83.

Locutio animæ interna cum Deo & secum.

67. Sed modum hunc explicemus. Præcipuas partes huius exercitij sibi vendicant intellectus & voluntas: hæc enim amore rei alicuius capta, fertur in illam vt bonum optatum; quòd si absens fuerit, quærit, desiderat, aduocat, & media adipiscendi comparat. Quia verò voluntas ad agendum facultates omnes applicat, intellectum vrget vt media suggerat, diuina iuxtà & humana, opportunè, importunè; inde fit in nobis quædam collocutio, dum desiderijs postulantibus respondet quidam rationis discursus. Diuinus sanè Psaltes sæpe sibi ipsi loquitur internè quasi plures adessent personę. *Quemadmodum*, ait Deo loquens, *desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus.* tum se

Psal. 41.

se interrogans, *Quare*, inquit, *tristis es anima mea, & quare conturbas me? spera in Deo*. Sermocinatio enim est in homine, dum verbum mentis animam hortatur, & rursus rationem non rarò interpellat & alloquitur animæ ardens desiderium. Immiscet se sanctis animæ colloquijs & Deus ipse. Hoc ipsum in eodem Psalte Regio manifestum euadit: cùm enim dixisset, *Qui habitat in adiutorio Altissimi, in protectione Dei cæli commorabitur*; statim mutat personam, & ad se conuersus, *Sperabo*, ait, *in eum*. tum tertiam quasi personam alloquens, *Cadent*, inquit, *à latere tuo mille*. denique & Deus ipse interuenit, dicens: *Clamabit ad me, & ego exaudiam eum; cum ipso sum in tribulatione*. Hæc colloquendi ratio frequens est in Psalmis, vsitata in Cantico canticorum, & Prophetis familiaris, sanctisque Patribus admodum cõmmendata: illi enim modò sibi, modò Deo, modò ipsis Deus loquitur, vt videre est totis pænè Meditationibus, Soliloquijs, Manuali, Confessionibus D. Augustini; eamque normam seruant, qui meditandi & contemplandi formam tradunt: est enim Deus verbum, & loqui nouit internè. *Porrò*, ait Iob, *ad me dictum est verbum absconditum, & quasi furtiuè suscepit auris mea venas susurri eius*. cùm enim Deus loquitur, auditus quidam est; cùm suam aut virtutis pulchritudinem ostendit, lumen est; cùm delectat, sapor est; cùm attrahit, odor est; cùm solatur, complexus ac tactus est.

Psal. 90.

Iob 4.

D. Bernardus ex professo de interna illa cum Deo locutione quæstionem talem instituit: *Quæris dubius apud te dicens: Qua ratione verba Verbi facta ad animam referuntur, & rursum animæ ad Verbum; vt illa audierit vocem loquentis sibi, & perhibentis quòd pulchra sit, vicissimq́ idem præconium suo mox reddiderit laudatori? quomodo possunt hæc fieri? nam verbo loquimur, non verbum loquitur; itemq́ anima non habet vnde loquatur, nisi os corporis formauerit sibi verba ad loquendum. Bene quæris, sed attende spiritum loqui, & spiritualiter oportere intelligi quæ dicuntur. Quoties proinde audis vel legis Verbum atque animam pariter colloqui, & se inuicem intueri; noli tibi imaginari quasi corporeas intercurrere voces, sicut nec corporeas colloquentium apparere imagines: audi potiùs quid tibi sit in huiusmodi cogitandũ. Spiritus est Verbum, spiritusq́ anima; & habent linguas suas, quibus se alterutrum alloquantur, præsentesq́ indicent: & verbi quidem lingua fauor dignationis eius; animæ verò, deuotionis feruor. Elinguis est anima, atque infans, quæ hanc non habet, & non potest ipsi vllatenus sermocinatio esse cum Verbo. Ergo huiuscemodi linguam suam cùm Verbum mouet, volens ad animam loqui, non potest anima non sentire; viuus est enim Sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens vsque ad diuisionem animæ & spiritus: & rursum cùm suam anima mouet, Verbum latere multo minùs poterit; non solùm quia vbique est præsens, sed propter hoc magis, quòd nisi ipso stimulante deuotionis lingua minimè ad loquendum mouetur*. Hæc Bernardus, qui modum, quem nunc propo-

Serm. 45. in Cant. sub finẽ.

Heb. 4.

nimus, graphicè deſcribit. Etſi enim templum quoddam ſpirituale deſcripſerimus, & ijs, qui concipiendi res ſpirituales facilitatē habent, plurimum huiuſmodi conceptus attentionem promoueat; non eſt tamen ſemper neceſſe huiuſmodi figuras adhibere, auctore D. Ambro-

Lib. 1 ſup. Luc. in cap. 1.

ſio. *Non in loco,* ait, *Deus videtur, ſed mundo corde; nec corporalibus oculis quæritur, nec circumſcribitur viſu, nec tactu tenetur, nec auditur affatu, nec ſentitur inceſſu: & cùm abſens putatur, videtur; & cùm præſens eſt, non videtur.* Quorum omnium ratio eſt, quia res ſpirituales ſuum modum habent: qui etſi ſimilitudine quadam ad ſenſus exteriores referri poſſit; tamen, vt antè dixi, aliquid eſt, quod ſentire facile eſt, explicare non poſſibile.

Altare templi anima noſtra.

68. Quare cùm de oblationibus altaris interni loquimur, ſuper quod motus deprauatos mactamus, fit quod diximus, ſed ſpirituali modo; nec opus eſt formis rerum, niſi vt eo meliùs concipiantur, magiſque afficiant. Si tamen huiuſmodi formas effingere non poſſis, age quod potes: &, cùm ſuperbiæ tumorem ſenſeris, exurge animo, & quaſi alius

1. Reg. 17.

Dauid diuina virtute ſuperbum Goliath deprime, calca, eique caput perinde præcide, ac ſi ante altare Domino erectum conſiſteres. Cùm blandiùs voluptas ingreditur, ſic indignare, quaſi ei in faciem coram Domino ſpueres, carnemque tuam rebellem igne caritatis incenderes. Cùm ciborum deliciæ inſidiantur, iugula veluti ſuper altare be-

2. Reg. 23.

ſtiam hanc, & effunde aquam ciſternæ Bethleemiticæ coram Domino; id eſt, ab eo abſtine, quod alioquin tibi indulgeres. Si iræ efferueſcat motus, ſic age, quaſi collo furibundum aliquem arriperes, & in altari mactares, in conſpectu Domini. Si deſidem animam tuam conſpicis, ſi contumacem, flagellum arripe, & fuga à dorſo ſtultitiam tuam.

Quòd ſi ne hæc quidem cogitare poſſis, nec huiuſmodi ideas formare; ſentitur tamen Verbum Domini, & ſentiris ipſe, dum loqueris, dum tentationes prauoſque motus comprimis, dum ſtudio ſingulari erga Deum afficeris, Deum colis, laudas, admiraris, teque totum, qualis ſis, quoque loco eum habeas, manifeſtas. quod Bernardus eleganter

Sermone 45. in Cant. in hac verba Cant. 1. Ecce tu pulcher es.

perſequitur, ſcribens in hæc verba: *Ecce tu pulcher es, dilecte mi. Talem,* ait, *ore pronuntiat, qualem & mente conſpicatur, viſione planè ſublimi & ſuaui. Regem in decore ſuo viderunt oculi eius; non tamen vt Regem, ſed vt dilectum. Viderit eum ſanè quis ſuper ſolium excelſum & eleuatum, & alius facie quoque ad faciem ſibi apparuiſſe teſtatus ſit; mihi tamen videtur eminentia in hac parte eſſe apud ſponſam: quòd ibi viſus Dominus legitur, hîc dilectus; ſic enim habes:*

Iſaiæ 6. Gen. 32. Mal. 1.

Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum & eleuatum. item: *Vidi Dominum facie ad faciem, & ſalua facta eſt anima mea. Sed ſi ego Dominus,* inquit, *vbi eſt timor meus? Quòd ſi illis facta eſt reuelatio cum timore; quia vbi Dominus,*

minus, ibi timor: ego profectò, si optio daretur, tanto libentius tantóq; cariùs sponsæ amplecterer visionem, quanto in meliori affectione, quæ est amor, factam aduerto: nam timor pœnam habet, perfecta autem caritas foras mittit timorem. 1. Ioan. 4. *Multum sanè interest, apparere terribilem in consilijs super filios hominum,* Psal. 65. *& apparere speciosum forma præ filijs hominum.* Hæc Bernardus. Psal. 44.

69. Ex his colligimus, facillimum diuinæ præsentiæ concipiendæ, & sanctis Patribus maximè vsitatum, hunc esse modum; si in nos ipsos penetremus, domum Sponso dilectissimo quisque pro suo modulo ædificantes. Iuuabimur tamen exemplo ad imitationem proposito sapientis illius mulieris, quæ marito suo suggessit: *Animaduerto quòd vir Dei sanctus est iste* (Eliseus) *qui transit per nos frequenter; faciamus ergo ei cœnaculum paruum, & ponamus ei in eo lectulum, & mensam, & sellam, & candelabrum, vt, cùm venerit ad nos, maneat ibi.* Pulcherrimum prototypum præsenti Numini ædificandi cœnaculum. hæc tamen omnia, quæ in cœnaculo posita sunt, necessitatibus & commodis Elisei seruiebant; Deo cœnaculum si construxerimus, quæcumque adiecerimus, vsui magis nobis quàm Deo erunt: nam domus hæc animi paruula cœnaculum est; non tam quòd Dominus, quàm quòd nos in ea cœnemus. *Si* enim *quis aperuerit mihi ianuam*, inquit ipse, *intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipse mecum.* Expensas omnes facit hospes adueniens, non hospita excipiens. Paruum quoque cœnaculum Sapientia desiderat, & id quidem nobis, vt omne emolumentum in vnum deriuet, & non in plures; dicatque anima, *Dilectus meus mihi*, & soli, *& ego illi*, & quidem etiam soli: ideo & lectulus, non magnus lectus, sternitur.

Figura perelegans internæ domus. 4. Reg. 4. Apoc. 3. Cant. 2.

Hæc eleganter, vt omnia, Bernardus describit: *Domum verò Dei*, ait, *spiritualem seipsum quisque agnoscat; qui tamen non iam in carne ambulat, sed in spiritu: deinde circumdare sibi curet flores bonorum quorumcumque actuum, & laudabilium studiorum, atque odoramenta virtutum; id est, quæcumque sunt vera, quæcumque pudica, quæcumque iusta, quæcumque sancta, quæcumque amabilia, quæcumque bonæ famæ, si qua virtus, si qua laus disciplinæ, hæc cogitare, in his exerceri curet. Ad istiusmodi securè vocabis Sponsum; quoniam, cùm introduxeris eum, veraciter dicere poteris & tu, quia lectulus noster floridus, redolente nimirum conscientia pietatem, sed pacem, sed mansuetudinem, sed iustitiam, sed obedientiam, sed hilaritatem, sed humilitatem.* Hæc Bernardus, qui lectuli nostri angustias non tantùm expressit, sed & ornamenta floresque depinxit.

Serm. 46. in Cant. Philip. 4. Cant. 1.

Accedit & mensa, quæ cœnationi scriptionique necessaria est. *Secura* namque *men*[illegible], ea nempe in qua Deus per gratiam accumbit, *quasi iuge conuiuium.* Scribit & in mensa cordis nostri duas tabulas, & legem ac præcepta, quæ ad amicitiam tuendam seruare oportet. Prodest & nobis candelabrum candelæ imponendæ instrumentum: candelabrum

Prou. 15. Exod. 34.

brum enim habemus naturalem capacitatẽ, aptam ad fidem & sapientiam continendam; alioquin candelabrum illud est, non candela; nec sufficienter peccatorum tenebras aut ignorantiæ discutit. Sella verò vtimur ad accubitum, ad scriptionem, ad collocutionem, & quidem diuturniorem: non enim Dominus semper in lecto est, & nos non semper oramus aut meditamur, non semper pascimur pane consolationis; sedet subinde Dominus, & arguit, reprehendit, docet, instruit, monet, colloquitur, & maximè cùm legimus. hinc D. Ambrosius: *Illum* (Christum nempe) *alloquimur, cùm oramus*; *illum audimus, cùm diuina legimus oracula*.

Lib. 1. Offic. cap. 20.

70. Hic ergo locus insignis est, quò nos recipiamus à turbis, turbulentisque huius mundi negotijs: à quo, cùm necesse erit, egrediamur. Expedit tamen numquam omnino exeamus, & quasi à fenestra potiùs quàm à limine nos postulantibus commodemus. Id vnicè obseruabat D. Antoninus, de quo suprà diximus: qui ex hoc abdito domicilio, grauissimis Ecclesiæ negotijs immersus, sic egrediebatur, vt in eo pedem alterum retineret; & inter tot rerum fluctus ea ipsi animi tranquillitas perstabat, vt nulla vmquam posset tanta perturbatione ac mundi curis (vt scribit Vincentius Mainardus, Dominicanæ familiæ Procurator) irretiri, quin, quoties vellet, ad diuinarum rerum theoremata statim rediret, & interna quadam mentis dulcedine frueretur. Stomachanti semel Francisco Castiliono, qui ei erat à secretis, vt numquam
„ sui, semper alieni futuri sint, qui ad Episcopales sedes euehuntur, re-
„ spondit: Fieri non potest, fili, vt inter tot huius sæculi solicitudines pa-
„ cato animo consistamus; nisi reconditum quendam & occultum men-
„ tis angulum intactum habeamus, ad quem negotiorum strepitus & cu-
„ rarum anxietas non irrepat; vt, vbi actitandis causis destiterimus, cò
„ tamquam ad asylum tutissimum, & ab hoc exteriore homine ad eum quem Paulus interiorem vocat, recurramus. Idem scribit Raymundus de sancta Catharina Senensi, eam nimirum, docente Spiritu Dei, intra seipsam fabricasse conclaue, siue secretam cellulam; vnde numquam vellet cuiuscumque rei causa egredi. Ita factum est, vt, quæ hactenus
„ vsa quadam cella nonnumquam fuisset, egressa foras, iam perpetuò
„ deinceps maneret secum in cellula animi sui, quam illi eripere nemo
„ posset: plenaque cælesti victoria, triumphauit de diabolo in interiori homine, vbi Christus habitat per fidem in cordibus nostris, sibi constituens spirituale domicilium. Ibi enim habitat Christus, ibi regnum Dei intra nos est, ibi numquam non præstò est, qui dicit: *Ecce ad ostium sto, & pulso: si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi ianuam, intrabo ad*
„ *illum, & cœnabo cum illo, & ipse mecum*. Hoc ergo suauissimo hospite con-
„ tenta ac freta sacra virgo, vicit diabolum & omnes machinas eius.

S. Antoninus domum internam sibi fabricat, à qua non egreditur.

Vincentius Mainardus in eius vita apud Sur. 2. Maij, tomo 3.

Rom. 7. Item Catharina Senensis. Raymundus in vita eius.

Ephes. 3.

Luc. 17.

Apoc. 3.

Docebat ille eam intus vias & rationes mirabiles externa omnia supe- „
randi. Solebat præterea crebrò admonere Raymundum, Patrem spiri- „
tualem, cùm negotijs externis pæne obrutum videret, vt sibi tale non „
manufactum in suo pectore fabricaret domicilium, nec vmquam inde „
euagaretur. Hæc Raymundus. „

71. Locus ergo iste internus refugium est desolatorum, domus orationis, vmbraculum ab æstu & à pluuia, solidæ consolationis perfugium, consilij sedes, ad quam recurrere omnes, qui bene agere cupiunt, oportet. Attexam hîc, quæ Thomas à Kempis hac de re scribit quàm pijssimè. *Fili*, inquit, *ad istud diligenter tendere debes, vt in omni loco & actione seu occupatione externa sis intimus, liber, & tuiipsius potens, & sint omnia sub te, & tu non sub eis, vt sis dominus actionum tuarum & rector; non seruus, nec emptitius, sed magis exemptus, verusq́ Hebræus, in sortem & libertatem transiens filiorum Dei; qui stant super præsentia, & speculantur æterna; qui transitoria sinistro intuentur oculo, & dextro cælestia; quos temporalia non trahunt ad inhærendum, sed trahunt ipsi magis ea ad bene seruiendum, prout à Deo ordinata sunt, & instituta à summo opifice, qui nihil inordinatum in suis relinquit creaturis. Si etiam in omni euentu stas non in apparentia externa, nec oculo carnali lustras visa vel audita, sed mox in qualibet causa intras cum Moyse in tabernaculum, ad consulendum Dominum; audies nonnumquam diuinum responsum, & redibis instructus de multis præsentibus & futuris: semper enim Moyses recursum habuit ad tabernaculum pro dubijs & quæstionibus soluendis, fugitq́ ad orationis adiutorium pro periculis & improbitatibus hominum subleuandis. Sic & tu confugere debes in cordis tui secretarium, diuinum intentiùs implorando suffragium: propterea namque Iosue & filij Israel à Gabaonitis leguntur decepti, quia os Domini priùs non interrogarunt, sed, nimiùm creduli dulcibus sermonibus, falsa pietate delusi sunt.*

Lib. 3. cap. 38.

Iosue 9.

CAPVT XIII.

Modus duodecimus, quo nobis in stadio Deum è cælis pugnæ nostræ Agonothetam proponimus; & decimus-tertius, quo diuino Numini omnia opera nostra quasi iugi sacrificio consecramus.

72. SPECIALES quosdam modos huc vsque considerauimus, qui ex Deo per essentiam omnibus in locis præsente collecti sunt. Secundum caput generale erat, sic diuinum Numen vbique inueniri, vt non tantùm omni loco essentiam eius veneraremur, sed

sed etiam eius oculo vel terreremur irato, vel beneuolo delectaremur: is enim præsens esse censetur, cui omnia patent, cuius aspectum nihil fugit. Sic Deus vbique esse dicitur per præsentiam, auctore D. Thoma, quia omnia videt, nihil ipsum latet, ne intimæ quidem hominum cogitationes. ex quo modum nouum presentis Numinis colligimus, diuinis litteris conformem: si nimirum cogitemus nos ipsos in vastissimo quodam campo degere, (ita enim mundus patet diuinis oculis, ac si nulla impedimenta forent, omnesque in aperto agro degerent) Deum verò è loco superiori, tamquam Agonothetam, considerare attentissimè quid quisque agat, quos labores ac dolores patiatur, quas pugnas ac certamina sustineat, qui victores euadãt, qui succumbant; & id quidem vt bene meritis præmia restituat, desides verò ac inertes, laborum certaminumque osores, denique turpiter victos ac prostratos, pro meritis puniat. quem modum olim concepisse Theophrastum, testatur Cicero his verbis: *Si verum est quod à Theophrasto alicubi proditum memoriæ mandauimus, Orbem terrarum theatrum quoddam esse magnum, diuina mente repletum; & cælestis indicandæ sapientiæ gratia tam multis vndique collucentibus ornamentis illustratum ac depictum: in eo autem medio collocatos esse homines à Deo, vt cum fortuna, dolore, morbis, egestate, casibusq́; permultis assiduè luctentur; Deum verò ipsum, quantum quisque pugnando valeat, quamq́; viriliter fortitudine diuinitus accepta vtatur, desuper aspectare.* Quidquid sit de nostra apprehensione, id reuera fit; & euidentiùs cognoscemus, vbi ad metam peruenerimus.

Par. 1. q. 8. art. 3.

Modus 12. Deus spectator & remunerator laborum, certaminum, & operum nostrorum.

Lib. de sua cõsolatione, qui eidem tribuitur.

1. Cor. 9. Ita esse testatur D. Paulus, cùm vitam præsentem stadio comparat, in quo currimus, contendimus, pugnamus; ipse idem coronas promittit victoribus. Prouidentiam verò diuinam nos intentè prospicere, testatur Moyses; & cùm de turris Babel ædificatoribus loquitur, *Descendit*, ait, *Dominus, vt videret ciuitatem & turrim quam ædificabant filij Adam*. & Regius Psaltes: *Deus de cælo prospexit super filios hominum, vt videat si est intelligens, aut requirens Deum: omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt; non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum*. item: *De cælo respexit Dominus, vidit omnes filios hominum.*

De cælo Deum intueri omnia.

Gen. 11.

Psal. 52.

Psal. 32.

73. Magnæ ergo nobis consolationi esse debet in laboribus, angustijs, doloribus, atque iniurijs, nos à Deo videri; à quo consolationem mercedemque simus accepturi laborum. Ita disertè Propheta Regius: *Quoniam* (inquit) *tu laborem & dolorem consideras; tibi derelictus est pauper, orphano tu eris adiutor. Dominus in templo sancto suo, Dominus in cælo sedes eius: oculi eius in pauperem respiciunt, palpebræ eius interrogant filios hominum.* At non frustra patimur, non in vanum currimus ac laboramus: *vnusquisque* enim *propriam mercedem accipiet secundùm suum laborem*. Hortatur quoque Corinthios sanctus Apostolus: *Fratres dilecti, stabiles estote, & immo-*

Magno solatio nobis esse, à Deo videri labores nostros.

Psal. 9.

Psal. 10.

1. Cor. 3.

1. Cor. 15.

immobiles, abundantes in opere Domini semper, scientes quòd labor vester non est inanis in Domino.

Spectantis Dei consideratio, pugnantium inflammat animos.

74. Et quia certamen continuum est in hac vita, videt & pugnas animosque certantium. Ideo hortatur diuinus Apostolus discipulum suum: [a] *Labora sicut bonus miles Christi* IESV: *nam & qui certat in agone, non coronatur, nisi legitimè certauerit.* Si nobis oculi forent aperti, & Agonothetam nostrum præsentem intueremur; nescio num quid tam arduum esset, quod non libenter subiremus: quid enim non agunt milites, vbi certò sciunt se à Principe conspici? quæ pericula non adeunt? quæ vulnera recusant? irruunt in flammas medias, inter glandes igneas hostem quærunt, muros conscendunt telis perstrepentibus, acies armatas penetrant; sanguini vitæque non magis parcunt, quàm si vel immortales forent, vel hocce conflictu nouum sanguinem vitamque acquirerent. Hæc in stadio spirituali Sancti præstiterunt, grauioraque sustinuerunt, quòd à supremo Principe videri se existimarent, cuius conspectus inuictos addebat animos.

a 2. Tim. 2.

Simile.

Quin & Deus vires subministrat.

Nec solùm illa consideratio nos inflammat, sed & ille idem qui certamini præest, & vires ad pugnam sufficit: vnde enim sancti Martyres adeò multa perpeti potuissent? Ostentat ipse coronas, sicut Basilius scribit de quadraginta Martyribus, qui in stagnum gelidum coniecti, gloriosè triumpharunt. Magna certè consolatio erat, quæque animos augeret, expectare post medium diem laborum dolorumque terminum, & nobilissimæ trophæa æterna victoriæ.

75. Quòd si subinde afflictiones doloresque paulo longiores videantur; illud quoque solatio erit, illos ab Agonotheta considerari, & particulari fortè prouidentia immitti; *qui non patitur* interea *nos tentari supra id quod possumus, sed facit cum tentatione prouentum, vt possimus sustinere:* si generosè, si patienter, si constanter tolerauerimus, finem fore gloriosum; *tribulatio* namque *patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio verò spem, spes autem non confundit.* Hinc D. Iacobus: *Omne gaudium* (ait) *existimate, fratres mei, cùm in tentationes varias incideritis, scientes quòd probatio fidei vestræ patientiam operatur; patientia autem opus perfectum habet.*

1. Cor. 10.

Rom. 5.

Iac. 1.

Exemplum Iob.
Iob 1. & 2.

Proponamus nobis exemplum D. Iob. A quo, quæso, illius manauit certamen? nónne ab Agonotheta, qui & aduersario bellum ei indicendi concessit potestatem, quique præsens omnia conspexit? sed qua patientis victorisque gloria? Huc accedat Tobiæ probatio, quæ & gloriam, & diuitias, & felicitatem, nomenque immortale in eius familiam inuexit: in omnibus tamen Deus se præsentem fuisse testatus est. *Quando orabas,* inquit Angelus Raphael, *cum lacrymis, & sepeliebas mortuos, & derelinquebas prandium tuum, & mortuos abscondebas per diem in domo*

Tob. 12.

tua, & nocte sepeliebas eos, ego obtuli orationem tuam Domino; & quia acceptus eras Deo, necesse fuit vt tentatio probaret te: & nunc misit me Dominus vt curarem te, & Saram vxorem filij tui à dæmonio liberarem.

In eius Vita. Sap. 10. D. Antonij certamen.

76. Probauit etiam Dominus B. Antonium, teste D. Athanasio; & *certamen forte dedit illi, vt vinceret.* Aliquoties enim horrendè acceptum dæmones semineçem relinquebant. quot etiam monstra portentosasque species obiecerunt! quadam vice, circa annum ætatis eius trigesimum-quintum, cùm pæne vulneribus, plagis, contusionibusque ei vitam ademissent, diuini luminis radius quidam affulsit; quo cùm se sanitati illico restitutum esse, doloresque fugatos sensisset, intellexit Dominum adesse, & in hæc verba prorumpens ita questus est: *Vbi eras, bone* IESV*? vbi eras? quare non à principio adfuisti, vt curares vulnera mea?* & vox ad eum facta est, dicens: *Antoni, hîc eram, sed expectabam videre certamen tuum; nunc autem quia dimicando viriliter non cessisti, semper auxiliabor tibi, & faciam te in omni orbe nominari.*

S. Catharinæ Senensis pugna & victoria. Raymundus in eius Vita.

Idem ferè contigit sanctissimæ virgini Catharinæ Senensi, quæ pugnam infamem dæmonum fœdissimè apparentium ac concurrentium perpessa, nullo loco, ne sacro quidem, consistere poterat, quin monstra illa fœda, obscenis operibus horrenda ac detestanda, videret, loquentes audiret, sibique nuptias ac deteriora quæque suadentes ferre cogeretur. Longo tempore molesta hæc probatio durauit, grauissimis interea supplicijs corpusculum affligebat: cùm autem nullus esset modus qui rebus afflictis foret solatio, accessit dæmon quidam procax, eique hæc improbè suggessit: Numquam ab hac tui infestatione cessabimus, donec consentias nobis. Illa verò radio quodam cælesti illustrata interiùs, *Has*, inquit, *& longè plures molestias nomine Saluatoris mei perpeti, non modò non molestum, sed & iucundum erit, & delectabile, quamdiu ei visum fuerit.* Placuit Saluatori resignatio patientis Catharinæ, totusque ille dęmonum cœtus instar fumi pudefactus euanuit, ingensque lux cælitus illapsa cubiculo est, in qua luce Christus crucifixi specie ei apparuit, dicens: *Filia mea Catharina, vides quæ ego tua causa perpessus sim? non igitur dubites tu quoque propter me aliquid perpeti.* Christus deinde, specie illa deposita, familiarem assumpsit, & accedens gratulatus est Catharinæ de triumpho contra hostes obtento: at illa memor sordium quas cogitatione voluerat, timens ne fortè animum vitio aliquo contaminasset, supplex Dominum, omnis puritatis auctorem, sic alloquitur: *Vbi fuisti, mi Domine, cùm tot spurcitijs animus meus scateret?* & ille: *In corde tuo.* rursum virgo: *Et quî fieri potuit, bone* IESV, *vt in corde meo esses, tot impuris cogitationibus infectissimo?* at Dominus, *Cogitationes*, inquit, *illæ quid in corde tuo effecerunt? gaudiúmne, an mærorem? Imò verò*, ait illa, *summum dolorem. Hoc igitur*, ait Christus, *mea præsentia efficiebam; qua si de-*

si destituta fuisses, illis spurcitijs capta ac delectata esses; quas cùm profligare conarere, nec posses, inde mœror oriebatur: sed me auctore, qui eram intus in corde tuo, & tuebar illud interim, extrinsecus te sinens oppugnari, quantũ tibi expedire videbatur, hæc eueniebant; vbi verò illustrata radio luminis mei teipsam sponte obtulisti ad tolerandas eas infestationes, placuit mihi resignatio tua, moxq́; eas iussi abscedere: neque enim pœnis, sed voluntate pœnas fortiter perferentis ego delector. Tu autem, filia mea, quoniam non tua, sed mea virtute certasti viriliter, maiorem à me gratiam consequêris, & deinceps crebriùs ac familiariùs meipsum tibi exhibebo. His dictis visio disparuit, relicta in animo virginis suauitate incredibili, maximè quòd eam Christus vocasset filiam suam: vnde etiam rogauit Confessarium vt sic se appellaret, quo posset redire sæpius in eorum verborum dulcissimam memoriam.

Attexam denique hisce duobus certaminibus B. Agathæ generosam victoriã, quæ sic orans de hoste triumphauit: *Vidisti, Domine, & spectasti agonem meum, quomodo pugnaui in stadio; sed quia nolui obedire mãdatis Principum, iussa sum in mamilla torqueri. Domine, qui me custodisti ab infantia, qui abstulisti à me amorem sæculi, qui me carnificum tormentis superiorem præstitisti, accipe animam meam.* Hic agonis exitus fuit, & à Christo Domino, certaminis præside, in cælum deducta est. *S. Agathæ pugna. In Breuiario Romano.*

77. Vult sanè Dominus laboribus nostris suam mercedem esse repositam, ac restitui, non modò in futuro, sed etiam hoc præsenti sæculo: & sanè primus laborum fructus est patientiæ gloria, ac de hostibus parta victoria; quæ consolatione non caret: *secundùm* enim *multitudinem dolorum meorum in corde meo consolationes tuæ lætificauerunt animam meam*, ait Psalmista. & Paulus: *Laborantem agricolam oportet primùm de fructibus percipere*. Sapiens quoque, *Bonorum*, inquit, *laborum gloriosus est fructus*. & Christus: *Qui vicerit, & custodierit vsque in finem opera mea, dabo illi potestatem super Gentes, & reget eas in virga ferrea, & tamquam vas figuli confringentur; sicut & ego accepi à Patre meo; & dabo illi stellam matutinam*. Hæc est merces victorum. Imperant enim dæmonibus, mundum cum omnibus suis pompis ac superbia proculcant, eius vires ac impetus frangunt; nouaque gratia illustres, velut stella in Ecclesia Dei omnibus prælucent verbo, exemplo, moribus, vita & morte. *Laborum nostrorum mercedem reddi etiã in hoc sæculo. Psal. 93. 2. Tim. 2. Sap. 3. Apoc. 2.*

78. Videt interea non minùs noster Agonotheta socordiam ac desidiam inertium ac voluptuosorum hominum; qui non modò non agunt laudabiliter, sed ne agunt quidem ea quæ hominem deceant; qui fœdè, qui libidinosè, qui auarè, qui iracundè operantur, & ab humani generis hoste omni pæne hora ac momento prosternuntur. Et hæc ab oculo, quem fallere nemo potest, videri, quàm horrendum ac formidandum! cùm præsertim in eius manu sint omnes creaturæ, quas armat, quando vult, in vltionem inimicorum suorum. En quatuor elementa vltricia pro- *Ignaui in certamine spectãtur à Deo. Sap. 5. Elementorum vindicta contra peccatores.*

a 1. Terra. b Genes. 19. c Num. 16. Deut. 11. Psal. 105. d Matth. 27. e Gen. 4. f 2. Aqua. g Gen. 7. h 3. Aër. i 2. Reg. 24. Ignis. 4. Reg. 1. Bestiæ.

prodeunt. [a] Terra in primis non tulit [b] Sodomam & Gomorrham; non tulit inobedientiam ac rebellionem filiorum [c] Core, Dathan & Abiron: horruit, cùm sanguinem Filij Dei fusum super se suscepit, & [d] tremuit; illeque de terra clamauit, sicut [e] sanguis Abel, alta voce, quæ è cælo audiri posset: petræ indignatæ, scissæ sunt. [f] Aquæ etiam paruerunt diuinæ indignationi, [g] quibus mergeretur vniuersus orbis; quòd spiritus hominum in carnem degenerasset. [h] Aër fœtorem [i] peccati Dauidis non ferens corruptus est, & septuaginta hominum millia infecit confecitque trium dierum spatio. Ignis, idololatriam detestatus Ochoziæ, secundò quinquagenarium & quinquaginta viros, vindex è cælo collapsus, absumpsit. Sed & bestiæ omnes dentes acuunt in vltionem impiorum, leones, serpentes, erucæ & bruchus, cyniphes & culices; ita enim minatur Dominus: *Consumentur fame, & deuorabunt eos aues morsu amarissimo; dentes bestiarum immittam in eos, cum furore trahentium super terram, atque serpentium: foris vastabit eos gladius, & intus pauor.* Prophetæ cuiusdam, cui Dominus mandarat ne comederet aut biberet in via, inobedientiam leo obuius vltus est, eumque interfecit.

Deut. 32. 3. Reg. 13.

Idem verò Dominus est qui olim fuit: æquè bonus quidem, æquè potens, & misericors; sed iustus: & cuius viæ misericordia & veritas, beneque operantibus supra merita retribuens; æquus tamen iudex est, & recta iudicia iudicans. hinc D. Augustinus: *Ne putes te non videri quando peccas, ne putes te contemni, ne putes Dominum dormire. Quando tu vides quæ facta sunt in impios, caue ne fiant in te: ad hoc enim & in illos facta sunt, vt tu transires, & eos non imitareris, & talia non patereris. Tamen vide, quia flagellum Domini est super omnem carnem.* & rursus: *Attende exempla beneficiorum Dei, cùm ea recolis; & cùm vindictam Dei recolis, time. Omnipotens est & ad consolandum, & ad castigandum: ideo sunt ista vtilia cùm leguntur. Quando autem pius videt quod passus est impius, purgat se ab omni impietate, ne veniat & ipse in talem pœnam, talemq; vindictam.* Hæc Augustinus.

In enarratione in Psal. 134. in fine.

Hunc Agonothetam operum nostrorum videbimus in die iudicij extremi vnicuique reddentem secundùm opera sua: & ijs quidem, qui strenuè egerunt, dicet, *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi*; reprobis verò, *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius.*

Matth. 25.

79. Ex hoc alius modus eruitur: cùm enim à Deo videantur omnia nostra, & animi intimi recessus; quàm gratum illi fore putas, si ipsi in omnibus placere nitamur, & omnia opera, conatus, actiones externas & internas ad eius honorem referamus? Consilium hoc est magni Pauli, dicentis: *Siue manducatis, siue bibitis, siue aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* Hæc ratio ceteris facilior est, modò memoria vigilet.

Modus 13. opera omnia in Deum referre. 1. Cor. 10.

Facile

Facile enim est, initio cuiusque operis, breui eleuatione mentis opus ipsum Deo offerre: vel vt ei placeas; vel vt gratias agas de accepto aliquo beneficio; vel ad destructionem praui alicuius habitus, aut alicuius virtutis adeptionem; vel ad aliquid impetrandum à diuina Maiestate. *Praxis.*

Hæc verò relatio magni admodum momenti est: ac in primis [a] omnis mala intentio excluditur, mens ad se redit, & toties Deum in memoriam reuocat: [b] quo fit, vt collectior sit animus, cùm in opere illo peragendo, tum in vitæ totius tenore: [c] inanis quoque gloriæ ac vanitatis spiritus, qui vagum animum ferè semper occupat, exterminatur: [d] opus etiam nostrum fit meritorium, quod alioquin vel naturale tantùm foret, vel etiam fortè vitiosum; vbi enim virtutis finis abest, eò statim sese ingerit ac miscet naturalis, aut etiam vanus: incredibiliter deinde animus purgatur à consuetis defectibus: crescunt virtutes, quarum honestatem appetimus, & PERFECTIO, caritas, gratia, merita, diuinaque protectio; de quibus inferiùs prolixiùs. quod qui fecerit, censebitur semper Deum præsentem habere, quia ex vi præsentiæ Dei, quem in omnibus operibus inuocat, sua omnia perficit. Sicut enim monemur *semper orare, & non deficere*; tamen qui dormit, etiamsi orare non videatur, si tamen orationem præmiserit, qua quietem suam in obsequium Dei offert, censebitur dormiens orare, ac non deficere ab oratione: ita quoque alijs in rebus, etiam naturalibus, ac necessarijs ad vitæ humanæ conseruationem. Quanta verò consolatio sit vesperi, tot actus in Dei honorem fecisse, qui sine mercede ac indonatum noua gratia nihil abire permittit; quem denique aceruum congeret, qui diligenter hoc exercitio vsus fuerit; colligere licet ex his quæ superiori libro hac de re scripsimus.

Vtilitates bonæ intentionis in operibus nostris.
[a] 1. [b] 2. [c] 3. [d] 4. 5. 6.
Luc. 18.

Elias, veri Dei seruus & Propheta, contendebat cum Prophetis Baal, vter verus Deus esset. Frustra ijs Deum Baal inuocantibus, sacrificium igne caruit: ipse verò totum suum sacrificium aqua copiosa perfudit, nempe bouis caput, collum, corpus, pedes, & caudam, nullaque pars remansit intacta, quæque aqua perfluente non maderet; sic & singulæ partes cælesti igne correptæ sunt, & accensæ. Vita nostra perpetuum iugeque sacrificium est, eorum maximè qui se Deo deuouerunt; ita enim D. Augustinus: *Ipse homo Dei nomini consecratus, & Deo deuotus, in quantum mundo moritur, vt Deo viuat, sacrificium est.* item: *Verum sacrificium est omne opus quod agitur vt sancta societate inhæreamus Deo, relatum scilicet ad illum finem boni, quo veraciter beati esse possimus.* Clamant mundani, & exultant in dijs quos animo sibi fabricant & effingunt; sed non exaudiuntur per ignem: at sacrificium nostrum operaque nostra omnia aspergantur aqua gratiæ & caritatis actualis, nec vnica pars hac ad-

3. Reg. 18. *Allegoria.*
Lib. 10 ciuit. cap. 6. tomo 5.

ſperſione careat; & quo profuſior erit, eo etiam copioſior ignis è cælo deſcendet, qui ſacrificium noſtrum abſumet, Deoq́ue gratiſſimum reddet in odorem ſuauitatis.

CAPVT XIV.

Exponitur modus decimus-quartus, quo Deus per potentiam præſens conſpicitur; addita regula generali, quæ omnibus modis ſeruiat.

Modus 14.

80. SVPEREST vnicus modus, quo Deus præſens eſſe rebus dicitur per potentiam; qua ratione Rex dicitur eſſe in toto regno, etiamſi in loco aliquo definito tantùm inueniatur. Et hic etiam modus vſitatus & familiaris eſt ſanctis Patribus, diuinoq́ue teſtimonio nititur: vult enim Chriſtus parentibus honorem, tamquam ſibi, & Principibus, qui auctoritatem habent, deferamus; mandat [a] Cæſari ſolui tributum, præſtari Apoſtolis obedientiam. [b] *Qui vos audit*, inquit, *me audit; & qui vos ſpernit, me ſpernit*. eiusq́ue Apoſtolus Paulus [c] ſic ait: *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit: non eſt enim poteſtas, niſi à Deo; quæ autem ſunt, à Deo ordinatæ ſunt: itaque qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit; qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt: nam Principes non ſunt timori boni operis, ſed mali. Vis autem non timere poteſtatem? bonum fac, & habebis laudem ex illa; Dei enim miniſter eſt tibi in bonum: ſi autem malum feceris, time; non enim ſine cauſa gladium portat: Dei enim miniſter eſt, vindex in iram ei qui malum agit. Ideo neceſſitate ſubditi eſtote, non ſolùm propter iram, ſed etiam propter conſcientiam*. item ſcribens ad Epheſios: *Obedite dominis carnalibus cum timore & tremore, in ſimplicitate cordis veſtri, ſicut Chriſto: non ad oculum ſeruientes, quaſi hominibus placentes, ſed vt ſerui Chriſti, facientes voluntatem Dei ex animo; cum bona voluntate ſeruientes, ſicut Domino, & non hominibus*. Diuus etiam Petrus ita ſcribit: *Omnes honorate, fraternitatem diligite, Deum timete, Regem honorificate: ſerui, ſubditi eſtote in omni timore dominis, non tantùm bonis & modeſtis, ſed etiam dyſcolis*.

Deum honorãdum eſſe in Superioribus.
a Matth. 22.
b Luc. 10.
c Rom. 13.
Epheſ. 6.
1. Pet. 2.

81. Accedit, quòd frequenter Scriptura diuina & Patres nos vocant membra Chriſti, & corporis Eccleſiæ; Chriſtum verò caput eiuſdem corporis. *Vos eſtis corpus Chriſti*, ait Apoſtolus, *& membra de membro*. &: *Omnia ſubiecit ſub pedibus eius, & ipſum dedit caput ſupra omnem Eccleſiam, quæ eſt corpus ipſius*. Sicut ergo templum Chriſti dicimur, & Deus in nobis habitare; ita etiam nos in Chriſto manere, quia illius membra ſumus.

Chriſtianos eſſe membra corporis Chriſti.
1. Cor. 12.
Epheſ. 1.

ſumus. Ideo Dominus, *Qui manducat*, inquit, *meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo*.

Ioan. 6.

Ex quibus colligo modum iſtum, quo Deus nobis repræſentatur per potentiam. Si enim Rex præſens in regno eſſe dicatur; & verè, quia potentia eius per regnum diffuſa eſt, maximè in Præſidibus, vicarijs, ac miniſtris: multo magis Deus, cuius excellentia & potentia relucet in parentibus noſtris, tamquam vitæ noſtræ principijs; in Rectoribus item Eccleſiaſticis & temporalibus, vti iam oſtendimus ex D. Paulo.

Deus eſt in ſuperioribus, imò ſubditis, vt Rex potentia in regno.

Sed amplius inuenitur reſpectu Dei quàm Regum: etſi enim Rex cenſeatur eſſe caput corporis Reipublicæ, in illis tamen non habitat;
Deus verò intus agens regit Eccleſiam ſuam; & ſinguli ipſum accedere 1.
poſſunt, quandocumque libuerit; imò moueri non debent vt quærant
eum, quem geſtant in animis ſuis. Deinde, membra corporis ſui Chri- 2.
ſtus viuificat, non autem Regis potentia. Alit quoque Chriſtus 3.
membra ſua proprio ſuo corpore, & potat ſuo ſanguine: Rex verò tantùm ſuos conſeruat potentia, nihil largitur ſingulis, de menſa eius nemo participat. Quæ cùm ita ſint, Patres ſancti Superiores eo loco habuerunt, vt Chriſtum in eis loqui, mandare, cernere ſibi viſi fuerint; ceteros verò homines tamquam pretioſa corporis eius membra eiuſdem Spiritu viuentia. vnde D. Bernardus: *Siue Deus, ſiue homo vicarius Dei, mandatum quodcumque tradiderit, pari profectò obſequendum eſt cura, pari reuerentia deferendum, vbi tamen Deo contraria non præcipit homo*. Diuus etiam Ioannes de Chriſtianis loquens ait: *Si quis dixerit quoniam diligo Deum, & fratrem ſuum oderit, mendax eſt: qui enim non diligit fratrem ſuum, quem videt; Deum, quem non videt, quomodo poteſt diligere? & hoc mandatum habemus à Deo, vt, qui diligit Deum, diligat & fratrem ſuum*.

Deus tamen perfectiùs in illis eſt.

Lib. de præcept. & diſp. cap. 12.

1. Ioan. 4.

Ex his Catharina Senenſis cælum quoddam in terra componebat. Nolebat eius parens vt ſolitaria habitaret, nolebat ipſam aliquam Religionem inire, quòd vel valetudine teneriore, vel ætate immaturiore videretur. Quod autem in Religionibus fieri decet, idipſum in ædibus paternis exercebat. Ita habet Raymundus: Hoc ſuauiſſimo hoſpite (Chriſto nempe) contenta, vicit diabolum, & eius machinas. Docebat ille eam intus vias & rationes mirabiles externa omnia ſuperandi. Imaginabatur ſacra virgo patrem ſuum repræſentare Chriſtum IESVM; matrem ſuam, Dei Genitricem ſanctiſſimam; ceteroſque de familia, Apoſtolos & diſcipulos Saluatoris. Hac imaginatione fortiter concepta, aſſecuta eſt, vt omnibus illis cum omnium admiratione hilariter & officioſè inſeruiret; tum etiam vt illis ſeruiendo, ſemper cogitaret de Sponſo ſuo Chriſto, cui ſe & omnia officia præſtare credebat: ſicque factum eſt, vt, dum in culina verſaretur, ſemper eſſet intra ſancta ſanctorum; ſeruienſque ad menſam recumbentibus, ani-

Exemplo S. Catharinæ Senenſis videndus Deus in membris ſuis.

In eius vita.

„ mum suum mirè pasceret imaginanda præsentia Saluatoris, contem-
„ ptum verò sui & iniurias omnes etiam iucundo ferret animo. Hæc ille. Id imitari licet, dum extra Religionem filij parentes, fratres, ac domesticos vident: & omnibus hominum generibus commune est, dum Superiores tam spirituales quàm tẽporales intuentur, ceterosque Christi alumnos; & illos quidem Christi loco, horum verò nonnullos qui præsunt Ecclesijs, vel vitam Apostolicam degunt, vt Apostolos; paruulos qualescumque vt Angelos, ceteros tamquam Dei filios membraque corporis eiusdem considerantes. quod in Religione longè accuratiùs fit, quia varia officia, gradus, functiones, variæque ætates reperiuntur: omnes enim Superiores Christi loco, alios verò fratrum suorum, aut patrum, Deique filiorum habere se profitentur.

Lætitia spiritualis ex intuitu & consortio filiorum Dei, præsertim iuniorum.

Quanta pietatis exultatio ijs excitatur, qui diuino Spiritu, oculo non humano ac carnali, sed cælesti, vt Dei filios homines intuentur! in his Christum complectuntur, in illis semina Reipublicæ Christianæ, & in paruis basibus columnas prægrandes Ecclesiæ prospiciunt. Si parentes tenellos intimè diligunt, pæneque in ipsorum amore insaniunt;
1. quid ni amore casto insaniat in ijs cõplectendis, quos Deus non modò tenerrimo amore, sed etiam infinito complectitur?

a Matth. 19. Marc. 10. Luc. 18. b Matth. 18. c Matth. 23.

2. Certè Christus Dominus [a] paruulos ad se venire voluit, & dilexit. Increpauit idem discipulos, qui prohiberent. dixit etiam: [b] *Nisi efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cælorum.* Exclamat idem lacrymabundus Dominus: [c] *Ierusalem, Ierusalem, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti!* Amor galli-
3. næ erga pullos eximius est; eumque in se exprimunt Apostoli erga eos quos conuerterunt. *Filioli mei*, ait Paulus, *quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.* & scribens ad Thessalonicenses: *Facti sumus paruuli in medio vestrûm, tamquã si nutrix foueat filios suos. Ita desiderantes vos, cupidè volebamus tradere vobis non solùm Euangelium Dei, sed etiam animas nostras; quoniam carissimi nobis facti estis.* & D. Ioannes toties repetit: *Carissimi, diligamus nos inuicem, quia caritas ex Deo est.*

Gal. 4. 1. Thess. 2. 1. Ioan. 4.

4. Solent enim seniores longè vehementiùs affici erga tenellos, quàm erga adultiores; crescitque amor patrum in nepotibus secundis & tertijs; verumque est quod Cato dixit: *Adolescentibus bona indole præditis sapientes senes delectantur; leuiorq; fit eorum senectus, qui à iuuentute coluntur & diliguntur.* Sed id magis locum habere debet in amore supernaturali, qui in Deo eiusque beneuolentia fundatur: Deus enim paruulos diligit, eosque complectitur, etiam contemptibiles, & de quibus persæpe pauca speramus; quia *vocat ea quæ non sunt, tamquam ea quæ sunt*, & ad magna Ecclesiæ munia destinat.

Cic. lib. de senect. paulo ante 2. vituperat. senect.

Rom. 4.

5. Quid dicam de ijs qui virtutibus excellunt, magnoque spiritu præditi

Numinis

Numinis æterni ſanctitatem magis repræſentant? Si quis Deum diligit, agnoſcit quod de ſeipſo Bernardus fatetur. *Ad affatum*, inquit, *vel etiam aſpectum cuiuſpiam ſpiritualis perfectiq; viri, interdum & ad ſolam defuncti ſeu abſentis memoriam, flabat ſpiritus, & fluebant aquæ; & erant mihi lacrymæ illæpanes die ac nocte*. Nihil enim iucundius in hoc mundo homini Deum diligenti, quàm delicatas teneraſque animas Deo cariſſimas cernere, in quibus Spiritus ſanctus habitat, Chriſtoque tamquam membra coniuncta firmiſſimè adhærent per caritatem. Serm. 14. in Cant.

Quare D. Leo incredibili ſe voluptate perfundi dicebat, cùm Dei famulorum frequentiam videret, & in tot ſanctis Angelorum præſentiam ſe ſentire; *Cùm*, inquiens, *hanc venerabilium conſacerdotum meorum ſplendidiſſimam frequentiam video, Angelicum nobis in tot ſanctis ſentio interesse conuentum. Nec dubito nos abundantiore hodie diuinæ præſentiæ gratia viſitari, quando ſimul adſunt & vno lumine micant tot ſpecioſiſſima tabernacula Dei, tot membra excellentiſſima corporis Chriſti*. Egregium dictum. Dei tabernacula & Chriſti membra eos vocat, qui Deo conſecrati ſunt, vel gratia ac caritate præditi: qui etſi ſinguli per ſe luceant, tamen luce coniuncta multo maiorem, multo iucundiorem lucis amplitudinem excitari neceſſe eſt; vt iam nihil dubitandum ſit, quin poſt ea gaudia, quæ ex ipſius Dei contemplatione & amore percipi ſolent, proxima ſint gaudia quæ ex fratrum ſpiritualium amore, conſpectu, & conſuetudine percipiuntur. 6. Serm. 1. in anniuerſario aſſumpt ſuæ.

82. Si enim ex hominum iuſtorum cœtu & fidelium congregatione voluptas percipi poſſit tanta, quanta poteſt eſſe maxima; multo magis ex ijs qui ſe Deo totos deuouerunt, & in ſanctorum Religioſorum conſortium aggregarunt, quique oculos in Deum perpetuò habent intentos, &, ſupra naturæ limites incedentes, Deum vbique conſiderant. Qua de re extat præclarum teſtimonium Ioannis Climaci; qui cùm ſpiritualis inſtructionis ſuæ & ædificationis gratia diuerſa perluſtraret Monaſteria, & ſibi in quodam ad menſam aſſidenti in aurem Abbas ſuggeſſiſſet, Vis, inquam, Climace, ſingulare humilitatis exemplum aliquod videre? Nihil, ait Climacus, libentiùs. E menſa igitur Abbas Laurentium quendam octogenarium euocat, qui facilè in Monaſterio quadraginta-octo annis vixerat. Ille è menſa abijt illico, & coram Abbate genibus flexis benedictionem petijt: ſurrexit deinde, cùm ei bene precatus Abbas fuiſſet. Abbatem poſtmodum roganti num quid mandatum ſibi vellet, non reſpondit Abbas, niſi quòd ſub finem menſæ (quæ ad duas horas, ipſo ſtante ac ieiuno, alijs interea bene edentibus, durauerat) quaſi oſcitanter mandauit tandem, vt Iſidoro, alteri Religioſo, præſcriberet recitationem Pſalmi 39. qui incipit: *Expectans expectaui Dominum, & intendit mihi*. Interrogatus à Climaco poſtea, 7. Gradu 4. Scalæ ſpirit.

„ diceret quid ei esset animi ac cogitationis, cùm tamdiu, quasi con-
„ temptim, sine responso exponeretur aliorum ludibrio; respondit sibi
„ visum fuisse non coram homine adstare, sed, veluti cùm in altari stat,
„ Deum in Superiore honorasse; caritatem verò, qua Deus mentem
„ suam muniisset, numquam permissuram vt vel leuissima peruersæ co-
„ gitationis in Superiores nebula exurgeret.

Monitio de modis quatuordecim præsentiæ Dei.
1. Thess. 5.

83. Et hæc quidem de modis diuinæ præsentiæ concipiendæ, qui præcipui occurrerunt. Plures alios, qui in rebus spiritualibus exercitatos habent sensus, inuenient, quibus magis opportunè vtentur. Omnia probent; quod bonum est, teneant. modò Deus honoretur, mihi parum curæ est quibus id modis fiat.

Hoc ad extremum moneo, in illis quatuordecim modis propositis exercendis vtile esse, vt, antequam quispiam vtatur, eos perlegat diligenter, & de singulis meditationes aliquot instituat; sicque eos penetret & imbibat, vt in ijs exercendis plus æquo non laboret conceptibus efformandis, qui valetudini officere possent, sed, præsupposita scientia, sic eos verset animo, vt potiùs pijs affectibus quàm cogitationibus incumbat. Quapropter formulas quasdam orationum Iaculatoriarum ponemus, quibus voluntas amorque diuinus in nobis incendatur atque alatur, vt cum voluptate fructuque sanctam hanc exercitationem obeamus.

CAPVT XV.

Quæ iuuent ad memoriam præsentiæ diuinæ conseruandam; ac in primis Aspirationes breues ad id admodum esse idoneas.

Oratio iuuat diuinæ præsentiæ memoriam.
In Psal. 85. ad Vers. Quoniã ad te, Domine, animã meam leuaui.

84. Ex his quæ iuuare possunt conseruationem diuinæ præsentiæ, nihil efficacius atque accommodatius est quàm oratio: est enim oratio, teste Diuo Augustino, *locutio cum Deo. Quando oras*, inquit, *cum Deo loqueris*. at qui alicui loquitur, illum habet præsentem, de eo cogitat, eum videt; alioquin non pro dignitate, nec cum sensu aut reuerentia debita loqueretur. Quapropter qui exercitationibus mentalibus orationique ex professo ac instituto insistunt, ijs (quòd cum Deo assiduè versentur) non est tanta difficultas Deum præsentem retinere, quanta ijs qui vitam aut in actione constitutam, aut mixtam, amplexi sunt. Iuuandi tamen omnes erunt præsidijs quibusdã; vt, *qui iustus est, iustificetur adhuc, & sanctus sanctificetur adhuc.*

Apoc. 22.

85. Sancti

85. Sancti Patres, vt Deo perpetuò adhærescerent, cùm ab oratione auelli cogerentur, certas orationes habebant semper præ manibus, quibus calorem ex consortio Dei ac oratione conceptum conseruarent. Hæ vocantur Iaculatoriæ, à iaculis, quæ efficaciter iaciuntur, sic dictæ. *Orationes Iaculatoriæ quæ, & cur sic dictæ.* Id verò inter iacula in scopum aliquem directa, & orationes nostras, discriminis est: quòd telum ab arcu intortum à scopo non retorqueatur; nos verò nullum telum in Deum emittimus, quin & vulneretur ipse, idemque amoris iaculum in nos retorqueat: oratio enim si pura, si casta fuerit, cælos penetrans, vacua non redibit. in oratione namque sanctæ cogitationes oriuntur, desideria ardentia efferuescunt, amor Dei excitatur, vt sagittas tuas retorqueri putes; ita enim D. Augustinus fatetur: *Sagittaueras, Domine, cor nostrum caritate tua.* *Lib. 9. Confes. cap. 2.* Certè si vmquam, maximè in oratione, vbi compunctio cordis acquiritur: compunctionem verò à pungente diuinitus telo oriri, quis potest ambigere?

Vocantur item Aspirationes; quod nomen orationi indidit Psalmographus, cùm ait: a *Os meum aperui, & attraxi spiritum.* *Cur Aspirationes vocentur.* *a Psal. 118.* Attrahere enim spiritum, est aspirare: respirat, qui vicissim haurit & reddit. Illud mirabile in hoc facto, quòd qui eiaculatur orationem feruentem, simul etiam respiret: imò ne spirare quidem posset, nisi Deus primùm aërem infunderet. Ex vna ergo parte respirat, ex altera attrahit spiritum; qui, vbi os apertum (quod per orationem fit) reperit, insinuat se, animamque penetrat & replet. hinc optimè Christus: *Spiritus vbi vult spirat, & vocem eius audis; sed nescis vnde veniat, aut quò vadat. Sic est omnis qui natus est ex spiritu.* *Ioan. 3.*

Metaphora hæc quoque atque analogia ducitur ex piscibus, qui perpetuò respirant in aqua; & animalibus, quæ in aëre. Dicunt enim Medici, hominē non tantùm cibo & potu ali, sed etiam aëre; plurimumq; aërem facere ad generandum spiritus vitales. Viuimus verè spirituali vita, si in aqua gratiæ, quasi boni pisces, perpetuò respiremus; aut, vt animalia, aërem hauriamus diuinum: ex quo & nutrimur incredibiliter; imò cibus potusque spiritus nostri est oratio, & spiritus vitales ardentesque motus in animis nostris ingenerantur.

Vocantur etiam orationes hæ Colloquia, eo quòd homo Deum & *Cur Colloquia.* Deus hominem vicissim alloquatur: homo quidem incensis votis ac desiderijs; Deus verò immissis luminibus se præsentem, loquentem, hominemque inflammantem adesse manifestat. quod maximè cùm oramus, vel legimus, solet accidere, teste Isidoro: *Qui vult cum Deo semper esse, frequenter debet orare, frequenter & legere: nam cùm oramus, cum Deo ipsi loquimur; cùm verò legimus, Deus nobiscum loquitur. Omnis profectus ex lectione & meditatione procedit.* *Lib. 3. Sententiarum, cap. 8.*

Quæ sit vis orationum Iaculatoriarum.

86. Orationes verò huiusinodi instar iaculi breues sunt; & in substantia non inferiores longioribus, si ex corde prodeant. vnde D. Augustinus: *In toto corde clamatur, quando aliunde non cogitatur. Tales orationes raræ sunt multis, crebræ autem paucis.* Hæc ille. Crebræ tamen esse debent, ne animus intepescat; breues, ne facilè dissipetur attentio, aut ne quis ab actione sancta impediatur. De his scribit idem D Augustinus ad Probam. *Dicuntur*, ait, *fratres in Ægypto crebras quidem orationes habere, sed eas tamen breuissimas, & raptim quodammodo iaculatas; ne illa vigilanter erecta, quæ oranti plurimùm necessaria est, per productiores moras euanescat atque hebetetur intentio.*

In Psal. 118. conc. 29. super Vers. Clamaui in toto corde meo.

Epist. 121. ad Probam, de orando Deo, cap. 10.

Psalmorum commendatio.

Commendat verò inter alia Basilius Psalmos, quòd ad multa magnam vim habeant, siue ad aliquid obtinendũ, siue ad malum auertendum; ita enim ait: *Psalmus est profligandis dæmonibus ac depellendis quoddam amuletũ, Angelicæ tutelæ conciliator, scutum securitatis inter timores nocturnos, diurnorum requies laborum, infantium tutelaris protectio, consistentium in ætatis flore decus & ornamentum, senum solatium.* & inferiùs: *Incipientibus erudiri primùm, elementaris est institutio Psalmus; proficientibus augmentum, perfectis denique suffulciendis stabile firmamentum.* Hæc ille. Psalmi enim plenissimi sunt spiritu: sententias breues, sed ignitas, continent; quas qui ruminant, incredibili voluptate perfunduntur.

Basilius homil. in Psal. 1. seu in proœmio in Psal. tomo 1.

Collat. 10. c. 10. Vtilitates illius Vers. Deus, in adiutorium meum intẽde.

Psal. 69.

Ioannes Cassianus in Collatione Abbatis Isaac è Psalmorum numero versiculum vnius adfert, in quo tantum momentum ponit, vt eum ad omnia opera, tentationes die noctéve occurrentes, velit vsurpari; repetitque illum decies-septies, toties nouos casus atque occasiones adferens, quibus, & innumeris alijs, vt à nobis adhibeatur, grauissimè inculcat. is verò est: *Deus, in adiutorium meum intende; Domine, ad adiuuandum me festina. Huius versiculi*, ait, *oratio, in aduersis vt eruamur, in prosperis vt seruemur, ne extollamur, incessabili iugitate fundenda est; huius meditatio in tuo pectore indisrupta voluatur; hunc in opere quolibet, siue ministerio, siue in itinere constitutus, decantare non desinas; hunc & dormiens, & reficiens, & in vltimis naturæ necessitatibus meditare.* & ibidem: *Hic namque versiculus non immeritò de toto Scripturarum excerptus est instrumento: recipit enim omnes affectus, quicumque humanæ inferri possunt naturæ; & ad omnem statum atque vniuersos incursus propriè satis & competenter aptatur: habet siquidem aduersus omnia discrimina inuocationem Dei; habet humilitatem piæ confessionis; habet solicitudinis ac timoris perpetui vigilantiam; habet considerationem fragilitatis suæ, exauditionis fiduciam, confidentiam præsentis semperq; astantis præsidij; (qui enim iugiter suum inuocat protectorem, certus est eum semper esse præsentem) habet amoris & caritatis ardorem; habet insidiarum contemplationem, inimicorumq; formidinem; quibus perspiciens semetipsum die noctéq; vallatum, confitetur se non posse sine sui defensoris auxilio liberari.* Hæc Cassianus,

ſianus, & alia, quæ dicta Collatione toto capite decimo fuſiſſimè perſequitur.

87. Exiſtimo in eius ſententiam eſſe deſcendendum, verſiculumque illum habendum eſſe in ore, in mente, ad ſingula quæ operamur: eſt enim breuis, ſemperque obuius; & ſi tantùm illum vſurpemus, ſatis eſt. Addatur tamen ad maiorem reuerentiam, & honorem Deo deferendum, Eccleſiæ ordinaria clauſula: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto. Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper, & in ſæcula ſæculorum. Amen.* Quæ ſi attentè, ſi meditatè proferantur, ſingula verba ponderando, erunt nobis magno vſui & commodo, fructumque percipiemus adhibiti ſtudij non pœnitendum.

Ad res ſingulas orationes eſſe adhibendas.

D. Thomas Aquinas dicitur particulares habuiſſe orationes, quas pæne ad ſingula opera recitaret. quod admodum laudabile eſt: videturque in eo D. Auguſtinum, Bernardum, Anſelmum, aliosque pios Patres imitatus eſſe, qui numquam mente erant otioſi; ſed ſemper vel ore vel animo aliquid piè maſticare ac ruminare videbantur; quod ex eorum ſcriptis ac meditationibus ſatis eſt perſpicuum. Cùm verò orationum alia ſit mentalis, quæ ſola mente perficitur; alia vocalis, quæ affectu voceque adiuncta conſtat: vtraque vtilis eſt; & quando vocalis adhiberi poteſt ſine arbitro, vtile id eſt ad maiorem attentionem comparandam. Vt autem pijs animis ſatisfaciamus, hîc orationum Iaculatoriarum fontes, vnde eruuntur, ponemus; additis ex Pſalmis & Patribus ſententijs fundendis & maſticandis: denique, quid in operibus ſingulis depromi poſſit ex animo caritate accenſo, adferemus.

Meminerimus tamen, ſententias huiuſmodi aut verſiculos recitandos aut ruminandos eſſe per modum colloquij inter Deum & animam inſtituti; verbaque ſingula libranda, perpenſa eorum ſignificatione propria vel impropria, iungendo ſententiarum verba verbis, ſententias ſententijs, ex quibus elicias cibum potumque ſpiritui nutriendo idoneum: præſtatque vnicum attentè & cum ſenſu diſcutere, quàm plures effundere.

CAPVT XVI.

Aspirationum fontes ponuntur vndecim; adhibitis formulis ex Scriptura sacra, sanctisq́; Patribus.

Aspirationum fontes vndecim. *Fons 1. Consideratio cælestis patriæ.* *a Psal. 26.* *Psal. 83.* *Psal. 136.*

88. FONTES è quibus Aspirationes istæ depromi possint, ac desideria inflammata tamquam tela in cælum vibrari, sunt in primis consideratio patriæ cælestis; ad quam sanctissimus Rex sic aspirat: [a] *Vnam petij à Domino, hanc requiram; vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ; vt videam voluptatem Domini, & visitem templum eius. Quàm dilecta tabernacula tua, Domine virtutum! concupiscit & deficit anima mea in atria Domini. Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum. Etenim passer inuenit sibi domum, & turtur nidum sibi, vbi ponat pullos suos. Beati qui habitant in domo tua, Domine; in sæcula sæculorum laudabunt te. Si oblitus fuero tui, Ierusalem; obliuioni detur dextera mea. Adhæreat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui; si non proposuero Ierusalem in principio lætitiæ meæ.*

Medit. cap. 25. *Cant. 4.* *Psal. 44.* *Cant. 5.* *Cant. 2.*

Quomodo colloqui debeamus, ita D. Augustinus nobis est exemplo. *Mater*, inquit, *Ierusalem, ciuitas sancta Dei, carissima sponsa Christi, te amat cor meum, pulchritudinē tuam nimiùm desiderat mens mea. O quàm decora, quàm gloriosa, quàm generosa tu es! Tota pulchra es, & macula non est in te. Exulta & lætare, formosa filia Principis; quia concupiuit Rex speciem tuam, & amauit decorem tuum speciosus forma præ filijs hominum. Sed qualis est dilectus tuus ex dilecto, ô pulcherrima? Dilectus meus candidus & rubicundus, electus ex millibus. Sicut malus inter ligna siluarum, sic dilectus meus inter filios. Sub vmbra illius, quem desideraui, ecce læta sedeo, & fructus eius dulcis gutturi meo.* & paulo infrà: *Speciosa facta es, & suauis in delicijs tuis, mater Ierusalem. Nihil in te tale, quale hic patimur, qualia in hac misera vita cernimus: non sunt in te tenebræ, aut nox, aut quælibet diuersitas temporum. Non lucet in te lux lucernæ, aut splendor lunæ, vel iubar stellarum, sed Deus de Deo, lux de luce, sol iustitiæ semper illuminat te: Agnus candidus & immaculatus lucidum & pulcherrimum est lumen tuum. Ibi hymnidici Angelorum chori; ibi Prophetarum prouidus chorus; ibi duodenus Apostolorum numerus; ibi innumerabilium Martyrum victor exercitus; ibi Confessorum sacer conuentus; ibi sanctæ Mulieres, quæ voluptates sæculi & sexus infirmitatem vicerunt.*

a Fons 2. Tædium vitæ miseræ. *b Iob 10.* *c Psal. 119.* *d Psal. 41.*

89. [a] Alius fons ducitur ex tædio huius vitæ miseræ. *Tædet animam meam vitæ meæ*, ait [b] Iob. & Dauid: [c] *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est; habitaui cum habitantibus Cedar, multùm incola fuit anima mea.* [d] *Fuerunt mihi*

mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte; dum dicitur mihi quotidie, Vbi est Deus tuus? Quare tristis es anima mea? & quare conturbas me? Diuus verò Augustinus ita latiùs: *Tædet me, Domine, valde vitæ huius, & istius ærumnosæ peregrinationis: vita hæc vita misera, vita caduca, vita incerta, vita laboriosa, vita immunda, vita domina malorum, Regina superborum, plena miserijs & erroribus; quæ non est vita dicenda, sed mors; in qua momentis singulis morimur, per varios mutabilitatis defectus, diuersis generibus mortium: & cùm per se sit falsa & amara, vt etiam suos cæcos amatores latere non valeat; tamen infinitam stultorum multitudinem aureo calice, quem in manu habet, potat, & prorsus inebriat. Felices illi, & ipsi rari, qui familiaritatem eius recusant, perfunctoria gaudia spernunt, societatem abijciunt, ne cum pereunte deceptrice & ipsi perire cogantur.* (*Medit. cap. 21.*)

90. Fons tertius ex desiderio liberationis ab hac miseria scaturit; de quo ita Regius Psaltes: [a] *Educ de custodia animam meam, ad confitendum nomini tuo; me expectant iusti, donec retribuas mihi.* [b] *Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum; ita desiderat anima mea ad te, Deus. Sitiuit anima mea ad Deum fortem viuum: quando veniam & apparebo ante faciem Dei?* & Apostolus: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* & Diuus Augustinus: *Felix anima, quæ terreno resoluta corpore libera cælum petit: secura est, & tranquilla; non timet hostem, nec mortem; habet enim præsentem cernitq; indesinenter pulcherrimum Dominum, cui seruiuit, quem dilexit, ad quem tandem læta & gloriosa peruenit. Hanc verò tantæ beatitudinis gloriam nulla dies minuet, nullus improbus poterit auferre. Viderunt eam filiæ Sion, & beatissimam prædicauerunt; Reginæ & concubinæ laudauerunt eam, dicentes: Quæ est ista, quæ ascendit de deserto, delicijs affluens, innixa super dilectum suum? Quæ est ista, quæ progreditur sicut aurora consurgens, pulchra vt luna, electa vt sol, terribilis vt castrorum acies ordinata? Quàm læta exit, festinat, currit, cùm dilectum suum sibi dicentem attonitis auribus audit: Surge, propera amica mea, speciosa mea, & veni; iam enim hiems transijt, imber abijt & recessit, flores apparuerunt in terra nostra, tempus putationis aduenit, vox turturis audita est in terra nostra, ficus protulit grossos suos, florentes vineæ dederunt odorem suum.*

(*Fons 3. Desiderium liberationis à miseria.* — a *Psal. 141.* — b *Psal. 41.* — *Rom. 7.* — *Medit. cap. 23.* — *Cant. 6.* — *Cant. 8.* — *Cant. 6.* — *Cant. 2.*)

91. Fons quartus ex amore incenso in Deum, perspecta eius bonitate, oritur; de quo D. Petrus: [c] *Domine, tu scis quia amo te.* [d] *Domine, tecum paratus sum & in carcerem & in mortem ire.* [e] *Animam meam pro te ponam.* & D. Paulus: [f] *Quis nos separabit à caritate Christi?* Regius Propheta sic orat: [g] *Diligam te, Domine, fortitudo mea.* &: [h] *In corde meo abscondi eloquia tua, vt non peccem tibi.* & D. Augustinus: [i] *Quis mihi dabit vt venias in cor meum, & inebries illud; vt obliuiscar mala mea, & vnum bonum meum amplectar te? Quid mihi es? miserere, vt loquar. Quid tibi sum ipse, vt amari te iubeas à me, &, nisi faciam, irascaris mihi, & mineris ingentes miserias? paruáne ipsa est, si*

(*Fons 4. Amor incensus in Deum.* — c *Ioan. 21.* — d *Luc. 22.* — e *Ioan. 13.* — f *Rom. 8.* — g *Psal. 17.* — h *Psal. 118.* — i *Conf. lib. 1. cap. 5.*)

non

Med. cap. 35. *non amem te?* item: *Scis, occultorum cognitor Deus, quoniam non solùm terra, & omnibus quæ in ea sunt, tu mihi carior es; sed etiam ipso cælo, & omnibus quæ in eo sunt, tu mihi acceptabilior, tu mihi amabilior es. Diligo enim te super cælum & terram, & cetera omnia quæ in eis sunt; imò nisi amore nominis tui, quæ transitoria sunt, procul dubio amanda non sunt. Amo te, Deus meus, amore magno, magisq́ te amare cupio. Da mihi vt amem te semper quantum volo, quantum debeo; vt tu solus sis tota intentio mea, & omnis meditatio mea: te mediter per dies sine cessatione, te sentiam per soporem in nocte, te alloquatur spiritus meus, tecum fabuletur mens mea.*

Fons 5. Gratitudo. Psal. 65. Psal. 115. Aug. Soliloq. cap. 33. a Psal. 85.

92. Fons quintus oritur ex affectu gratitudinis; ita enim sanctus Rex: *Venite, audite, & narrabo, omnes qui timetis Deum, quanta fecit animæ meæ. Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?* & D. Augustinus: *a Quis similis tibi etiam in dijs, Domine? quis similis tibi? magnificus in sanctitate, terribilis atque laudabilis, & faciens mirabilia? Serò te cognoui lumen verum, serò te cognoui. Erat autem nubes magna & tenebrosa ante oculos vanitatis meæ, ita vt videre non possem solem iustitiæ & lumen veritatis. Cæcus eram, & cæcitatem amabam, & ad tenebras per tenebras ambulabam. Quis inde me eduxit? vbi eram homo cæcus, sedens in tenebris & vmbra mortis, quis accepit manum meam, vt inde me educeret? Non quærebam eum, & ipse quæsiuit me; non vocabam eum, & ipse vocauit me. Vocasti enim me nomine tuo: intonasti* *Genes. 1.* *desuper voce grandi in interiorem aurem cordis mei, Fiat lux; & facta est lux. Gratia tibi, illuminator meus. Et conuersus sum, & vidi tenebras in quibus fueram, & abyssum tenebrosam in qua iacueram, & contremui, & expaui, & dixi: Væ, væ tenebris meis, in quibus iacui; væ, væ cæcitati illi, in qua videre non poteram lumen cæli; væ, væ præteritæ ignorantiæ meæ, quando non cognoscebam te Domine.*

Fons 6. Zelus animarum. Exod. 32. Rom. 9. 1. Ioan. 3. Phil. 3. Ioan. 15. Ioan. 10.

93. Fons sextus oritur ex ardentissimo animarum Creatori suo restituendarum zelo; sic enim Moyses accensus exclamat, Deumq́ue vrget: *Aut dimitte eis hanc noxam; aut, si non facis, dele me de libro tuo quem scripsisti.* & Paulus: *Optabam ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis. In hoc cognouimus caritatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere. Omnia detrimentum feci, & arbitror vt stercora, vt Christum lucrifaciam. Maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis. Bonus pastor animam suam dat pro ouibus suis.* Quid mirum, bone IESV, si oues, quam à te vitam acceperunt, eam moriendo restituant? Lubenter ergo impendar & superimpendar pro ijs, quos sanguine tuo redemisti: quæ enim maior gloria potest homini contingere, quàm vt, vbi Dominus est, ibi sit & seruus; & miles pro Rege vulnera multa recipiat, vitam denique gloriosè profundat? *Eamus & nos, vt moriamur cum eo.* Qui enim ipsum confessus fuerit coram hominibus, confitebitur & ipse eum corā Patre suo.

Ioan. 11. Matth. 10.

94. Septi-

94. Septimus fons naſcitur ex deſiderio Chriſtum videndi, ac perfectæ cum eo coniunctionis ineundæ. [a] *Deſiderium habeo diſſolui, & eſſe cum Chriſto.* [b] *Quis mihi det te fratrem meum, ſugentem vbera matris meæ, vt inueniam te foris, & deoſculer te, & iam me nemo deſpiciat?* [c] *Trahe me: poſt te curremus in odorem vnguentorum tuorum.* [d] *Deſidero te millies, mi IESV; quando venies? me lætum quando facies? me de te quando ſaties?* [e] *Nunc incipio eſſe Chriſti diſcipulus; nihil de his, quæ videntur, deſiderans, vt IESVM Chriſtum inueniam. Ignis, crux, beſtiæ, confractio oſſium, membrorum diuiſio, & totius corporis contritio, & tota tormenta diaboli in me veniant, tantùm vt Chriſto fruar. Frumentum Chriſti ſum, dentibus beſtiarum molar, vt panis mundus inueniar. O ſplẽdor Paternæ gloriæ,* [f] *qui ſedes ſuper Cherubim, & intueris abyſſos, lumen veridicum, lumen illuminans, lumen indeficiens, in quem deſiderant Angeli proſpicere; ecce cor meum coram te eſt. Non poſſum metiri vt ſciam quantum deſit mihi amoris tui ad id quod ſatis eſt, vt currat vita mea in amplexus tuos, nec auertatur donec abſcondatur in abſcondito vultus tui: hoc tamen ſcio, quia malè mihi eſt præter te, Domine, non ſolùm extra me, ſed & in meipſo. Omnis enim copia quæ Deus meus non eſt, egeſtas mihi eſt. Tibi itaque Domino Deo noſtro ſemper adhærere neceſſe habemus, vt per continuum auxilium tuum ſanctè & piè & rectè viuere valeamus: pondere ſiquidem fragilitatis noſtræ deorſum trahimur, dono autem tuo accendimur, & ſurſum ferimur, inardeſcimus, & imus, aſcendimus, aſcenſiones in corde facimus, & cantamus canticum graduum, igne tuo bono inardeſcimus, & imus. quónam? ſurſum imus, ad pacem Ieruſalem: quoniam iucundatus ſum in his quæ dicta ſunt mihi, in domum Domini ibimus. Illic collocauit nos voluntas bona; vt nihil velimus aliud, quàm permanere illic in æternum. Sed quia, dum ſumus in corpore, peregrinamur à te, Domine; non habemus hîc ciuitatem manentem, ſed futuram inquirimus; noſter autem municipatus in cælis eſt: ideo duce gratia tua ingredior in cubile cordis mei, & canto tibi amatoria, Rex meus & Deus meus, gemens inenarrabiles gemitus in loco peregrinationis meæ, vbi cantabiles mihi factæ ſunt iuſtificationes tuæ.*

Fons 7. Deſiderium videndi Dominum IESVM.
a *Philip. 1.*
b *Cant. 8.*
c *Cant. 1.*
d *Bern. in Iubilo.*
e *Hieron. de Script. Eccleſ. in S. Ignatio mart. tomo 1.*
Aug. Medit. cap. 18.
f *Dan. 3.*
Pſal. 121.
2. Cor. 5.
Heb. 13.
Pſal. 118.

95. Fons octauus ex amoris in nos Dei admiratione ac redamandi ſtudio proſilit, & in ardentiſſimi affectus voces prorumpit, animuſque ſæpe huiuſmodi ſententias admirabundus repetit: *Tolle filium tuum vnigenitum, quem diligis, Iſaac, & offer eum in holocauſtum ſuper vnum montium quem monſtrauero tibi. Sic Deus dilexit mundum, vt Filium ſuum vnigenitum daret; vt omnis qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam. Propter nimiam caritatem ſuam, qua dilexit nos, &, cùm eſſemus mortui peccatis, conuiuificauit nos in Chriſto, & conreſuſcitauit, & conſedere fecit in cæleſtibus in Chriſto IESV, vt oſtenderet in ſæculis ſuperuenientibus abundantes diuitias gratiæ ſuæ in bonitate ſuper nos in Chriſto IESV. In caritate perpetua dilexi te; ideo attraxi te, miſerans. O quantùm ſumus tibi debitores, Domine Deus noſter, tanto redempti pretio, tanto ſaluati dono, & tam*

Fons 8. Amor Dei in nos.
Gen. 22.
Ioan. 3.
Epheſ. 2.
Ierem. 31.
Aug. Medit. cap. 17.

glorioſo adiuti beneficio! quantùm à nobis miſeris es timendus, amandus, benedicendus, laudandus, honorandus, & glorificandus, qui nos ſic amaſti, ſic ſaluaſti, ſic ſanctificaſti, ſic ſublimaſti! Tibi nempe debemus omne quod poſſumus,
Aug. Medit. cap. 8. Vide & cap. 15. *omne quod viuimus, omne quod ſapimus. Sed attende, pie Pater, quem genueris Filium, & quem redemeris ſeruum: hîc aſpice factorem, & ne deſpicias facturam. Amplectere ſerenus paſtorem, & reſpice miſericors allatam proprijs hu-*
Ibid. cap. 6. *meris ouem. Intuere dulcem Natum toto corpore extenſum, cerne manus innoxias pio manantes ſanguine, & remitte placatus ſcelera quæ patrarunt manus meæ. Conſidera inerme latus crudeli perfoſſum cuſpide, & renoua me ſacro fonte, quem inde credo fluxiſſe.*

Fons 9. Paſſio Saluatoris. 96. Fons nonus oritur ex admiratione iuxtà & affectu ſingulari concepto ex doloribus à Chriſto noſtri cauſa perpeſſis. [a] *O vos omnes*, excla-
a Thren. 1. mat, *qui tranſitis per viam, attendite, & videte ſi eſt dolor ſicut dolor meus.*
b Iſaiæ 50. [b] *Poſui faciem meam vt petram duriſſimam.* [c] *Ego ſum vermis, & non homo; op-*
c Pſal. 21. *probrium hominum, & abiectio plebis. Omnes videntes me, deriſerunt me; locuti ſunt labijs, & mouerunt caput. Circumdederunt me vituli multi, tauri pingues obſederunt me: aperuerunt ſuper me os ſuum, ſicut leo rapiens & rugiens. Sicut aqua effuſus ſum, & diſperſa ſunt omnia oſſa mea. Factum eſt cor meum tamquam cera liqueſcens in medio ventris mei. Aruit tamquam teſta virtus mea, & lingua mea adhæſit faucibus meis, & in puluerem mortis deduxiſti me. Foderunt manus meas & pedes meos, dinumerauerunt omnia oſſa mea. Diuiſerunt ſibi*
In Offert. Miſſa de Paßione. *veſtimēta mea, & ſuper veſtem meam miſerunt ſortem. Inſurrexerũt in me viri iniqui, abſque miſericordia quæſierũt me interficere, & non pepercerunt in faciem meam ſpuere, lanceis ſuis vulnerauerunt me, & concuſſa ſunt omnia oſſa mea.*
Pſal. 68. *Dederunt in eſcam meam fel, & in ſiti mea potauerunt me aceto. Dedi dilectam*
Ierem. 12. *animam meam in manu inimicorum eius: facta eſt mihi hereditas mea quaſi leo in ſilua. Dederunt portionem meam deſiderabilem in deſertum ſolitudinis. Deſolatione deſolata eſt omnis terra, quia nullus eſt qui recogitet corde.* Ego verò ne ingratus ſim, ſed tui memor, Domine; animam meam ad plagas tuas
Auguſt. Med. cap. 41. doloreſque conuerto. *Te ſitio, te eſurio, te deſidero, ad te ſuſpiro, te concupiſco: & ſicut pupillus, benigniſſimi patris orbatus præſentia, flens & eiulans inceſſanter eius dilectam faciem toto corde amplectitur; ſic ego, non quantùm debeo, ſed quantùm queo, memor paßionis tuæ, memor alaparum tuarum, memor flagellorum, memor vulnerum tuorum, memor qualiter pro me occiſus es, qualiter condîtus, qualiter ſepultus, ſimul memor tuæ glorioſæ reſurrectionis & admirabilis aſcenſionis. Hei mihi, quia videre non potui Dominum Angelorum, humiliatum ad conuerſationem hominum, vt homines exaltaret ad conuerſationem Angelorum; cùm Deus offenſus moriebatur, vt peccator viueret! Hei quòd tam admirabili, tam ineſtimabili pietati præſens obſtupeſcere non merui! Cur, ô anima mea, te præſertim non transfigit gladius doloris acutiſſimi, cùm ferre non poſſes vulnerari lancea latus tui Saluatoris, cùm videre nequires violari clauis pedes &*

manus

manus tui Plasmatoris, cum horrore effundi sanguinem tui Redemptoris? Vtinam cum felice Iosepho Dominum meum de cruce deposuissem! aromatibus condijssem! in sepulcro collocassem! vt saltem prosecutus vel consecutus essem, vt tanto funeri non defuisset aliquid mei obsequij!

97. Fons decimus oritur ex spe singulari concepta de Dei bonitate & misericordia. Sic sanctus Iob sperabat.[a] *Etiamsi occiderit me*, inquit, *in ipso sperabo.* [b] *Si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui etiam proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit? Certus sum quia neque mors, neque vita, neque creatura alia poterit nos separare à caritate Dei.* *Desperare vtique potuissem propter nimia peccata mea, & infinitas negligentias meas, nisi Verbum tuum, Deus, caro fieret, & habitaret in nobis. Sed desperare iam non audeo; quia, cùm inimici essemus, reconciliati sumus per mortem Filij tui: quanto magis reconciliati salui facti sumus per eum! Omnis namque spes & totius fiduciæ certitudo mihi est in pretioso sanguine eius, qui effusus est propter nos, & propter nostram salutem. In ipso respiro, & in ipso confisus ad te peruenire desidero; non habens meam iustitiam, sed eam quæ est in Filio tuo Domino nostro* IESV *Christo. Est enim in ipso* IESV *Christo, Domino nostro, vniuscuiusque nostrûm portio, caro & sanguis. Vbi ergo portio mea regnat, ibi me regnare credo; vbi caro mea glorificatur, ibi me gloriosum esse cognosco; vbi sanguis meus dominatur, ibi dominari me sentio: quamuis peccator sim, de hac communicatione gratiæ non diffido: etsi peccata mea prohibent, substantia mea requirit: etsi delicta mea me excludunt, naturæ communio non repellit. Non enim tam immitis est Deus, vt obliuiscatur hominis, & non meminerit ipsius quem ipse gestat, & quem mei causa suscepit, eius quem mei causa requirit. Mitis verò & valde benignus est Dominus Deus noster, & diligit carnem suam, membra sua, viscera sua. In ipso Deo & Domino nostro* IESV *Christo dulcissimo, benignissimo, atque clementissimo, in quo resurreximus, & iam cælos ascendimus, & iam in cælestibus consedimus, caro nostra nos diligit; habemus autem sanguinis nostri prærogatiuam in ipso: sumus autem membra eius, & caro eius; ipse denique est caput nostrum, ex quo totum corpus, sicut scriptum est: Os ex ossibus meis, & caro de carne mea; & erunt duo in carne vna. & : Nemo vmquam carnem suam odio habet, sed fouet & diligit eam. Mysterium hoc magnum est, ego dico in Christo & in Ecclesia.*

Fons 10. Spes de misericordia Dei.
a Iob 13.
b Rom. 8.
August. Med. cap. 14.
Ioan. 1.
Rom. 5.
Medit. cap. 15.
Genes. 2.
Ephes. 5.

98. Fons vndecimus nascitur ex desiderio patiendi pro Christo, nosque ei in omnibus conformandi. [a] *Ingrediatur putredo in ossibus meis, & subter me scateat; vt requiescam in die tribulationis, vt ascendam ad populum accinctum nostrum. Ficus enim non florebit, & non erit germen in vineis: mentietur opus oliuæ, & arua non adferent cibum: abscindetur de ouili pecus, & non erit armentum in præsepibus. Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo* IESV *meo. Deus Dominus fortitudo mea, & ponet pedes meos quasi ceruorum, & super excelsa mea deducet me victor in Psalmis canentem.*

Fons 11. Desiderium patiendi pro Christo.
a Habac. 3.

Aug. Manual. cap. 15. *O anima mea, si quotidie oporteret nos tormenta perferre, si ipsam gehennam longo tempore tolerare, vt Christum in gloria sua videre possemus, & Sanctis eius sociari; nónne dignum esset pati omne quod triste est, vt tanti boni tantæq; gloriæ participes haberemur?* Domine, hîc vre, hîc seca, vt in æternum parcas. Adde dolores, sed auge patientiam. *Non est seruus maior Domino suo.* Ioan. 15.
Matth. 10. *Si me,* ait Dominus, *persecuti sunt, & vos persequentur: si Patrem-familias Beelzebub vocauerunt, quanto magis domesticos eius!*

99. Hactenus de fontibus Aspirationum, quas quisque pro suo captu, desiderijs, internisque motibus excogitare potest. Sufficiat paradigma aliquod proposuisse: nunc de breuibus orationibus aliquid dicendum.

CAPVT XVII.

Orationes Iaculatoriæ ponuntur singulæ singulis operibus opportunæ.

100. QVIA sancti Patres leguntur actionibus suis præmisisse aut etiam interseruisse Orationes aliquas, partim ne in ijs exercendis næuos aliquos contraherent; partim vt suis viribus diffidentes testatum facerent se spem omnem in Dei auxilio collocare, quo inuocato omnia ad felicem exitum perducerent; aliquas adferemus formulas, easque breues, vt retineantur, lubentiusque adhibeantur: & in primis

Ante omnes actiones.

Psal. 69. *Deus, in adiutorium meum intende; Domine, ad adiuuandum me festina. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto. Sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.*

Ad tres personas sanctissimæ Trinitatis.

2. Cor. 1. Omnipotens sempiterne Deus, Pater misericordiarũ, & Deus totius consolationis, qui consolaris nos in omni tribulatione nostra; dirige actus nostros in beneplacito tuo, vt in nomine dilecti Filij tui, Domini nostri IESV Christi, Spiritus sancti igne inflammati, mereamur bonis operibus abundare. Per eundem, &c.

Cùm mane excitaris.

1. Reg. 3. Psal. 118. Act. 9. Psal. 142. *Loquere, Domine; quia audit seruus tuus. Seruus tuus sum ego: da mihi intellectum, vt discam mandata tua. Domine, quid me vis facere? Doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu.*

Tum corpus erigens.

Psal. 3. *Ego dormiui, & soporatus sum;* & in nomine sanctissimæ & indiuiduæ Tri-

Trinitatis, Patris omnipotentis, & Filij eius Domini nostri IESV Christi, & Spiritus sancti paracleti, *exurgo, quia Dominus suscepit me. non timebo millia populi circumdantis me. Exurge, Domine; saluum me fac, Deus meus. Quoniam tu percußisti omnes aduersantes mihi sine causa, dentes peccatorum contriuisti. Domini est salus, & super* famulum *tuum benedictio tua. Gloria Patri,* &c.

Cùm vestes induis vel exuis.

Exue me, Domine, veterem hominem cum actibus suis, & indue me nouum, qui secundùm Deum creatus est, in iustitia, & sanctitate veritatis. *Colos. 3. Ephes. 4.*

Alia.

Largire mihi, Domine, armaturam tuam, vt possim resistere in die malo, & in omnibus perfectus stare. Succinge lumbos meos in veritate, indue me loricam iustitiæ, & calcea pedes meos in præparationem Euangelij pacis: præbe mihi scutum fidei, in quo omnia tela nequissimi ignea valeam extinguere: capiti meo galeam salutis impone: trade dexteræ meæ gladium salutis, in quo bellum Domini geram: & cadant à latere meo mille, & decem millia à dextris meis, hostis verò mihi appropinquare non possit. Amen. *Ephes. 6. Psal. 90.*

Cùm togam induis.

Indue, Domine, animam meam cyclade auro texta, vesteque nuptiali caritatis, quæ operiat meorum multitudinem peccatorum, & immensis monilibus exorna me. *Ex ijs quæ de S. Agnete S. Ambros. ser. 9. tomo 5.*

Cùm lauas manus.

Asperges me, Domine, hyssopo, & mundabor; lauabis me, & super niuem dealbabor. *Psal. 50.*

Cùm faciem abluis.

Ampliùs laua me, Domine, ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me, meritis Domini nostri IESV Christi, Filij tui, *qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo.* *Psal. 50. Apoc. 1.*

Cùm ad laudes Deo dicendas aut Officium recitandum accingeris.

In conspectu Angelorum psallam tibi; adorabo ad templum sanctum tuum, & confitebor nomini tuo. Psallite Deo nostro, psallite; psallite Regi nostro, psallite: quoniam Rex omnis terræ Deus; psallite sapienter. Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. *Psal. 137. Psal. 46. Psal. 2.*

Gratiarum actio post singula opera.

Laudationem Domini loquetur os meum, & benedicat omnis caro nomini sancto eius in sæculum, & in sæculum sæculi. *Psal. 144.*

Ante studia.

a Da mihi, Domine, sedium tuarum assistricem sapientiam, & noli me repro- *a. Sap. 9. In Breuiario Romano Domin. 1. Aug. Resp. 3. & 4.*

bare à pueris tuis; quoniam seruus tuus sum ego, & filius ancillæ tuæ. Mitte illam de cælis sanctis tuis, & à sede magnitudinis tuæ, vt mecum sit, & mecum laboret; vt sciam quid acceptum sit coram te omni tempore.

Ad seruandam puritatem intentionis in omnibus rebus agendis.

Psal. 72. *Domine, quid mihi est in cælo? & à te quid volui super terram? Defecit caro mea, & cor meum: Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.*

Vt vno verbo mane proposita omnia renoues, idque frequentiùs, saltem ad horæ pulsum.

Cant. 2. *Dilectus meus mihi, & ego illi.*

Cùm occasio aliquid patiendi sese offert.

Quis mihi det vt moriar pro te, Domine mi IESV, IESV mi Domine? *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo.* Psal. 33.

Cùm oculis nostris vanitates vel etiam prauæ cogitationes obijciuntur.

Psal. 118. *Auerte oculos meos, Domine, ne videant vanitatem; in via tua viuifica me.*

Cùm vaniloquia vel etiam tentationes auribus nostris insonant.

Psal. 118. *Narrauerunt mihi iniqui fabulationes, sed non vt lex tua.*

Cùm peccandi occurrit occasio.

Psal. 72. *Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum. Quia ecce qui elongant se à te, peribunt; perdidisti omnes qui fornicantur abs te. Mihi autem adhærere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam.*

Cùm irrepunt gulæ ciborumque irritamenta.

Psal. 68. *Dederunt in escam meam fel, & in siti mea potauerunt me aceto.*

Cùm irascendi datur occasio.

Act. 9. a Psal. 26. b Psal. 38. *Domine, quid me vis facere?* [a] *Expecta Dominum, viriliter age, & confortetur cor tuum, & sustine Dominum.* [b] *Dixi ergo: Custodiam vias meas, vt non delinquam in lingua mea. Posui ori meo custodiam, cùm consisteret peccator aduersum me. Obmutui, & humiliatus sum, & silui à bonis, & dolor meus renouatus est. Redde mihi lætitiam salutaris tui, & Spiritu principali confirma me.* Psal. 50.

Cùm ex cubiculo egrederis.

Psal. 24. *Vias tuas, Domine, demonstra mihi, & semitas tuas edoce me. Dirige me in veritate tua, & doce me: quia tu es Deus Saluator meus, & te sustinui tota die.*

Alia.

Psal. 5. *Domine, deduc me in iustitia tua: propter inimicos meos dirige in conspectu tuo viam meam.*

Cùm

Cùm redis ad cubiculum.

Conuertere, anima mea, in requiem tuam; quia Dominus benefecit tibi: quia eripuit animam meam de morte, oculos meos à lacrymis, pedes meos à lapsu. Placebo Domino in regione viuorum. *Psal. 114.*

Cùm quid intueris, quod te delectat.

Delectasti me, Domine, in factura tua, & in operibus manuum tuarum exultabo. Quàm magnificata sunt opera tua, Domine! nimis profundæ factæ sunt cogitationes tuæ. Vir insipiens non cognoscet, & stultus non intelliget hæc. *Psal. 91.*

Ad horas singulas, cùm pulsantur.

Hora est iam nos de somno surgere. [a] *Vigilate, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit.* Heu [b] *quando veniam & apparebo ante faciem* Dei mei? *Rom. 13.* a *Matth. 24.* b *Psal. 41.*

Alia.

Maria mater gratiæ, mater misericordiæ, tu nos ab hoste protege, & hora mortis suscipe.

Cùm cælum aspicis.

Quàm mihi sordet terra, cùm cælum aspicio! *In Vita B. Ignatij.*

Cùm in terram oculos deflectis.

Omnia detrimentum feci, & arbitror vt stercora, vt Christum lucrifaciam. *Phil. 3.*

Cùm noctu excitaris.

Tunc expuerunt in faciem eius, & colaphis eum ceciderunt; alij autem palmas in faciem eius dederunt, dicentes: Prophetiza nobis, Christe, quis est qui te percussit? Defensor noster aspice, insidiantes reprime; guberna tuos famulos, quos sanguine mercatus es. *Matth. 26.*

Cùm obscenis cogitationibus molestiùs agitaris.

Per immaculatam conceptionem tuam libera nos Virgo gloriosa.

Cùm domo egrederis.

Deduc me, Domine, in semitam mandatorum tuorum, quia ipsam volui. Angelis suis Deus *mandauit de te, vt custodiant te in omnibus vijs tuis. In manibus portabunt te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum. Custodi me, Domine, vt pupillam oculi, sub vmbra alarum tuarum protege me.* *Psal. 118.* *Psal. 90.* *Psal. 16.*

Cùm obrepente somno caput inclinas.

Qui statis in domo Domini, in atrijs domus Dei nostri, in noctibus extollite manus vestras in sancta, & benedicite Dominum. Benedicat te Dominus ex Sion, qui fecit cælum & terram. In pace in idipsum dormiam & requiescam: quoniam tu, Domine, singulariter in spe constituisti me. In manus tuas commendo spiritum meum; redemisti me, Domine Deus veritatis. Gloria Patri, & Filio, &c. *Psal. 133.* *Psal. 4.* *Psal. 30.*

Alia.

Alia.

Angele, qui meus es custos pietate superna,
Me tibi commissum serua, defende, guberna,
Vt valeam tecum cælestia scandere regna.

Alia.

Nos cum prole pia benedicat virgo Maria.

101. Hactenus Orationes & Aspirationes, easque paucas & breues, pro occurrentium humanæ condicioni rerum necessitate conscripsimus. qui plures desiderat, è varijs libellis hac de re conscriptis desumere poterit: mortalium namque fragilitas breuitatem amat; multa negligit, imò vel pauca ne vsurpat quidem: & vtinam saltem aliqua eorum, quæ attulimus, vsurparentur! Qui multa retinere non possunt, vtantur consilio Cassiani, suadentis vt ad omnia, quæ occurrunt, versiculum illum assumant: *Deus, in adiutorium meum intende.* Cuius si singula verba perpendantur ac ponderentur, haud frustra nos fecisse inueniemus. Nullam verò adhibui expositionem allatis versiculis Aspirationum, quòd ea satis obuia sit consideranti ac meditanti: cui gratius iucundiusque erit, quod meditatione adeptus fuerit, quàm quod alieno partum labore. postmodum nobis occurret occasio nonnullas latiùs explicandi.

Psal. 69.

CAPVT XVIII.

Oratio mane recitanda, constans hisce partibus: oblatione, adoratione, gratiarum actione, protestatione, omniumque pene virtutum exercitio.

102. VT Praxis illa Aspirationum reddatur facilior, expedit matutino tempore orationem aliquam, adiuncta protestatione, præmisisse; cuius in breuioribus oratiunculis vis omnis consistat: qualis esse posset, quam hîc subijciemus.

Oratio.

Partes orationis.

I. Culpa confessio.

I. Omnipotens Domine, Deus adorande, Pater colendissime; quod filij parentibus mane deferre & solent, & verò debent, vt eis nimirum bene precentur, idipsum facturus aduenio: &, vt dignè faciam, prostratus benedictionem tuam supplex postulo; vtque delicta omnia mea, & multa & magna, quæ lubenter agnosco & confiteor cum vero emendationis proposito, mihi ignoscas, demississimè rogo.

II. Adfero mecum quidquid habeo facultatum, siue illæ extra me 2.
sint, siue in corpore, siue in anima: vtque tres Magi, apertis thesauris *Oblatio.*
suis, largiter munera tibi obtulerunt; ita & ego non tantùm bonorum *Matth. 2.*
meorum maiorẽ partem, sed totum, quidquid est à te mihi concessum, (aliud enim nihil habeo) tibi reddo ac cõsecro; votaque omnia quę vmquam emisi, desideria omnia quæ vmquam habui, renouo ac repeto. Denique offero tibi quidquid sum, possum, & habeo; quidquid fecisti, quidquid potes, quidquid es. Hæc enim omnia si haberem, illa tibi ex animo redderem.

Reuoco autem omnes prauos conceptus, cogitationes, affectiones, 3.
passiones, ac desideria, quæ vel olim vel etiam recenter in me exorta *Votorum ac*
sunt; & me tibi restituo totum, vtinam sine ruga, sine macula! *desideriorum renouatio.*

Quòd si mihi tot vitæ forent, quot in mari guttæ, quot arenæ grana, quot in cælis stellę, quot atomi in aëre; omnes illas Maiestatis tuæ obsequio lubentissimè consecrarem. Si tot mihi essent opes, quot mundus posset cõtinere; illas omnes diuino tuo cultui, tuisq; fouendis membris, dedicarem. Si tot mihi corpora, quot puncta in corporibus quantitate præditis; illa omnia beneplacito tuo mancipare͂. Si tot animi ac voluntates, quot foliorum motus & animorũ, quot lineę, quot denticuli, quot apices in folijs; eos omnes sanctissimæ voluntati tuæ submitterem.

III. Credo, Domine, quidquid per Ecclesiam Catholicã, Apostoli- 4.
cam, Romanamque credendum proposuisti: & ne timore nimio, ex *Actus fidei.*
infirmitatis meæ ac peccatorum consideratione concepto, nimiùm 5.
diffidat animus, spem omnem meam in tua bonitate meritisque Do- *Spei.*
mini mei IESV Christi repono.

At ne rursum mihi quidquam arrogem, cùm nihil habeam, néve 6.
mihi placeam plus æquo, statuo omnibus in rebus à te pendere, auxi- *Diffidentia.*
lium opemque implorare, sciens te præsidium tuum implorantibus semper adesse. quod vt faciam, meique sim memor, humiliter supplico ac rogo; vt, dum mei tuique obliuiscar, mei fragilis & labilis tu, Domine, non obliuiscaris. Moneat me Angelus, quem mihi præsidem deputasti: illi curam mei singulariter commenda: me portet in mani- *Psal. 90.*
bus, ne fortè offendam ad lapidem pedem meum; super aspidem & basiliscum ambulem, & conculcem ipso adiutore leonem & draconem. dixisti enim Domine: *Quoniam in me sperauit, liberabo eum; protegam* *Ibidem.*
eum, quoniam cognouit nomen meum.

IV. Diligam etiam te, Domine, totis viribus meis, tota mente, tota- 7.
queanima. Doleo me non maiore sensu erga te affici. Quidquid ta- *Caritatis.*
men sit de sensu, diligo te toto corde meo. Obediam legi tuæ ad mortem vsque, quam paratus animus lubenter excipiet pro religionis honorisque tui amore ac conseruatione.

Quidquid affectus est in me, quod in aliqua vel etiam in omnibus creaturis, quantumcumque amicis, repositum sit, id omne ad te reuoco, confero, atque repono; cui adhærere mihi & bonum & certum est. *Psal. 72.* Vtinam te præsentem semper videam, in amplexibus tuis quiescam, tecum colloquar, de te cogitem per diem, de te somniem per noctem; sitque omnis recreatio mea, cibus, & refectio, tecum perpetuò versari!

Tibi quoque per omnes miserationes tuas supplico, vt quidquid hac die & omni æternitate egero, siue bibam, siue edam, siue ambulem, siue quid aliud mente, ore, opere contrectem, illud cedat ad gloriam nominis tui: id enim ipsum cupio, vt omnibus in rebus tibi soli complaceam. quod vt semper faciam, tu memorem me facito; & si id vel occupato, vel ex infirmitate aut obliuione exciderit, tu promptissimæ huius certæque voluntatis ac resolutionis rationem habere digneris.

8. *Adoratio.* V. Quia verò, sempiterne Domine, principium meum finisque meus es, vt & rerum omnium; te toto animo corporeque prostratus adoro ac veneror. Vnicum doleo, quòd magnitudinem tuam & infirmitatem meam minùs sufficienter agnoscam, & pro dignitate reuerentiam tibi non exhibeam. 9. *Humilitas.* Scio, Domine, quia in conspectu tuo puluisculus sum, ideoque, vt æquum est, in centrum vsque terræ meique nihili me prorsus abdo ac demitto.

10. *Gratitudo.* VI. Cumque præter propensam in te voluntatem nihil in me inueniam quod offeram, ad ea, quæ mea causa condidisti ac parasti, confugio; ac in primis Filij tui Domini nostri IESV Christi ardentissimum in te amorem, obedientiam, virtutesque omnes, quibus ornatus est, quasque vmquam exercuit, à primo conceptionis suæ instanti, & æternùm exercebit, offero: eiusdem etiam merita omnia, ac beatissimæ matris eius; corda inflammata omnium Angelorũ, Patriarcharum fidem, Prophetarum constantiam, Apostolorum labores, Martyrum pœnas, Confessorum sanctitatem, Virginum puritatem, totiusque cælestis Curiæ cogitationes motusque omnes, qui tibi vmquam placuerunt, placebuntque in omnem æternitatem. Addo Sanctorum omnium (siue ij tibi iam adsint, siue viatores in caritate seruiant Maiestati tuæ) internos externosque actus; omnia sacrificia quæ nunc per vniuersum orbem offeruntur, quæque omnes vmquam mortales obtulerunt, ab Abel iusto, & offerentur æternis sæculis; omnium item Religiosorum laudes, orationes, mortificationes, curas in animis iuuandis, Sacramentis administrandis, verbo Dei prædicando; iustorum item omnium opera, tribulationes, dolores, ac labores: quibus omnibus voluntatem meam adiungo, ac vota, & particeps haberi percupio. Iungo his quoque quidquid est creaturarum, siue eæ existant, siue interierint, aut

futuræ

futuræ ſint, ſiue etiam in actu tranſeunte conſiſtant; optoq́ue ex animo, vt quidquid in ijs boni eſt aut naturale quod à te perficitur, cùm in dæmonibus, tum etiam in perditis hominibus, te laudet & prædicet; ſolo eo damnato, quod peccati turpitudinem ac rationem continet. In optatis mihi eſt etiam, omnium rerum Eſſe infinities multiplicatum in linguas ardentiſſimorum Seraphim conuerti, vt ſaltem partem aliquam magnitudinis tuæ attingant, attollant, & glorificent in ſæcula.

VII. Quod muneris mei eſt, etſi ſit exiguum, gratias Maieſtati tuæ ago quantas poſſum maximas, propter magnam gloriam tuam: quæ in hoc maximè relucet, quòd naturam tuam, te cognoſcendo, Verbo tuo communicaueris; quodq́ue, illud amando, Spiritum ſanctum ſpiraueris, ab vtroque ineffabili modo procedentem, natura & potentia cum vtroque parem; quodq́ue eundem tuum Filium, pro ſalute humani generis incarnatum, infinita gratia donaueris, & ex eo, tamquam Oceano, beatiſſimam Matrem, Apoſtolos, infinitosq́ue alios, & quidem bono noſtro, cumulatè repleueris. Verùm modus ipſe admirandus eſt, atque adorandus, nec beatarum mentium linguæ ad eum explicandum laudandumq́ue ſufficiunt. Quid enim, mi Domine IESV, (vt ad te noſtra conuertatur oratio) quid, inquam, te coëgit, vt pro matre virgunculam eligeres? in ſtabulo naſcerere? à paſtoribus & gentilibus Magis agnoſcereris? Ita tibi complacitum eſt, ô Pater æterne: vt enim indigniſſimos ſeruos redimeres, Filium tradidiſti. II. *Gratiarum actio.*

Quid hoc eſt, beatiſſime Pater? Filius tuus, qui factus eſt nobis iuſtitia, verusq́ue agnus ſine macula, circumcidi voluit, offerri in templo, etſi nulli ſeruituti aut redemptioni obnoxius. Qui cælo terræque imperat, ac vniuerſum (quando vult) tremefacit orbem, fugit nihilominus perſecutorem, & Ægyptum petit, parentibus obedit: vir factus, quadraginta diebus ac noctibus omni cibo abſtinet, à dæmonibus tentatur, contrectatur, deterrimisq́ue eorum manibus aſportatur; quod dignationis genus omnem captum ſuperat. Quot laboribus Euangelium diſſeminauit! qua humanitate diſcipulos fouit! qua benignitate peccatores excepit! quid, quòd Eccleſiæ de ſacrificio iugi volens proſpicere, corporis & ſanguinis ſui communicationem reliquit? Quot pœnas, dolores, & tormenta ſuſtinuit! quàm immanem mortem! quanta cum infamia coniunctam! Ne ſpes noſtræ exciderent, reſurgere tertia die voluit, locum deinde in cælis præparare aſcenſione ſua; denique Spiritus ſancti in Apoſtolos immiſſi ardẽtibus facibus vniuerſum mundum incendi. Quas laudes, quas gratiarum actiones, pro hiſce & infinitis alijs beneficijs tibi rependam, Domine?

Interea & fructus huius tantæ benignitatis ad me quoque dimana-

uit. Inter fæces & lutum terræ huius hærebam vermiculus: quem oculo clementiæ intuitus, vt ab æterno, ita & in tempore euulsisti de stercore,& inter filios tuos,inter amicos tuos collocasti;vt discã timere
Sap. 11. & amare te, qui amas creaturas tuas, & nihil odisti eorum quæ fecisti.

IIX. Obsecro igitur te, Domine, vt propter ingentia hæc beneficia te amem; sed magis quia bonus es, & amabilis valde. Infunde in me
12. Sapientia. Sap. 9. amorem tuum, & illa quæ illum promoueant. Da mihi sapientiam, quæ veniat de sede Maiestatis tuæ, quæ mecum sit, & mecum laboret; vt sciam quid acceptum sit coram te omni tempore. Adde pruden-
13. Prudentia. tiam, quæ opera mea omnia dirigat; vt ab errore vindicata, felicem
14. Humilitas & aliæ virtutes. exitum sortiantur. Da profundam humilitatem, magnum animarum zelum, patientiam inuictam, fortitudinẽ & constantiam, paupertatis amorem, Angelicam castitatem, obedientiam indefessam, misericordiæ viscera, benignitatem, mansuetudinem, ceterasque laudes ac animæ ornamenta: maximè verò eas, quarum vitio contrario laboro;
Locus examini particulari deputatus. quod & expugnare & euellere omnino intendo, virtutem item contrariam inserere. [a] *Dixi, Nunc cœpi.* [b] *Da quod iubes, Domine; & iube quod vis.*

a Psal. 76. b S. Aug. lib. 10. Conf. cap. 29.

IX. [c] Vnicum superest, quod vehemẽter timeo; ne scilicet in aliquod peccatũ ex infirmitate mea prolabar. Multę occasiones occurrunt; ho-
c 15. Timor Dei. stes quamplurimi, cùm externi ferocissimi, tum interni perniciosissimi: concupiscentia namque, passiones, ac prauæ affectiones sæpe molestæ feriunt inopinatò. Hæc mea vltima resolutio ac voluntas: numquam à lege tua ac voluntate discedere; non modò cùm de amicitiæ tuæ dissolutione agitur, sed ne in minima quidem re. Vbi de voluntate tua aliqua ratione mihi constabit, in omni re, etiam libera, manibus ac pedibus in eam totus ferar; etiamsi vel muscæ alicuius motu tantùm ea mihi innotesceret aut insinuaretur.

16. Protestatio. X. Quòd si fortè per imprudentiam quidquam cogitauero, dixero, fecero, quod beneplacito tuo repugnet; coram te, Domine, totaque Curia tua cælesti protestor, id pręter & contra voluntatem meam fieri. Si aliter accidat; miserere, Domine, & illico errantem reuoca, cadentem subleua: &, ne id contingat, propter bonitatem tuam obtestor te, misericordissime Pater, vt me præuenire digneris in benedictionibus tuis, vt me tamquam rem tuam possideas & regas. Quidquid sit de libero arbitrio meo, quod tibi potest repugnare, illudque, quia tibi ita visum est, posuisti in manu voluntatis meæ, cedo iuri meo; vt illud cogas, si opus est; quamquam sic mouere potes gratia tua, vt coactione opus non sit: illud, si placet, vincias, ne contra te rebellet, nihil contra voluntatem tuam committat; vnicè velit quod tu vis, vnicè nolit quod non vis; vnica eius voluntas sit, voluntatis tuæ beneplacitum quærere

ac facere: tuus enim ſum creatione, conſeruatione, redemptione, ſpeciali vocatione, naturæ condicione, voluntatis propriæ electione. Iniuriam tibi infert, in rem tuam impetum facit, qui poſſeſſione tua te excludere nititur; & meam vult, non tuam, fieri voluntatem. Heu quanti ſalus mea tibi conſtitit! vt me creares, vno verbo factum eſt; vt me redimeres, ſanguinis tui profuſio neceſſaria iudicata eſt. Quidquid ſit de vtroque, fac de me quod tibi mereris reddi, & mihi abunde ſatis eſt. Cùm à te aliquid peto, ſi tibi minùs placeat, recuſa: id enim ſolum peto, quod vis, non quod ego volo. Ne largiare petenti, quod honori tuo derogare, quod voluntati repugnare, quod mihi poſſit obeſſe: id enim ſolum mihi obeſt, quod tibi non placet. Si quid mihi cõcedas, id ſit odium mei, amor tui. Si vel minimas fibras volũtatis iudicijque proprij in me inuenias, eas ſtirpitus euellere ne differas: illæ enim ſunt quæ ſanctiſſimæ voluntati tuæ aduerſantur ac diſplicent. Indignum dictu eſt, Deus potentiſſime, miſeriam meam miſericordię tuę, malitiam clementiæ ac bonitati, nihilum meum omnipotentiæ tuæ, fragilitatem meam viribus tuis, paupertatem diuitijs, humilitatem meam celſitudini tuæ, indignam condicionem meam dignitati tuæ, labilem voluntatem æternæ & immutabili, denique id quod non eſt, ei quod eſt, præponi. quod accidit, vbi in me voluntas mea, non tua, fit. Idne patiere, Domine? honor tuus agitur, honor Filij tui: eius enim merita interpono, eius preces, eius lacrymas. Plúsne tribues peruerſæ meæ voluntati, quàm Filij tui tot ſupplicijs ac doloribus? non credo. Exaudi ergo deprecationẽ meam, Deus meus; & concede quod non tantùm mihi, ſed ad gloriam tuam promouendam poſtulo, meritis & precibus beatiſſimæ genitricis Filij tui, qui tecum viuit & regnat in vnitate Spiritus ſancti Deus per omnia ſæcula ſæculorum.

103. Hæc oratio pæne omnium virtutum continet exercitium; expeditque eam ſingulis diebus ſemel, ſaltem mane, vel eius ſubſtantiam, ſumma attentione ac feruore voce vel mente recitare. Expediret etiam ſæpiſſime interdiu repeti: ſed, quia prolixior eſt, poteſt ex Aſpirationibus breuior aliqua eius loco aſſumi, quæ vim eiuſdem contineat, quæque eadem intentione ac fine recitetur; qualis illa eſſe poſſet: *Dilectus meus mihi, & ego illi*. Optat enim fidelis anima ſe talem Deo præſtare, ſaltem pro viribus, qualem ſe Deus in nos exhibuit, atque etiamnum exhibet. at quantum illud eſt? ſuperat omnem qualemcumque hominis conatum. Si ergo omni occaſione ardenter oratiunculam illam repetas, quanta, putas, gratiæ nouæ fiet acceſſio! Cant. 2.

CAPVT XIX.

De triplici examine, vno generali, secundo particulari, eóque duplici: quorum altero vitiosæ actiones coërcentur, altero praui habitus euelluntur, virtutésque inseruntur.

104. PROSVNT ea, quæ modò diximus, ad memoriam diuinæ præsentiæ conseruandam: sed quia infirmitas humana magna est, & facilè propositi nostri obliuiscimur; faciliùs conniuemus & nobis ipsi indulgemus in ijs quæ molestiam ac difficultatem aliquam pariunt; &, quia mortales, mutabiles quoque & inconstantes sumus. Proinde aliquid constituendum quod torporem nostrum excitet, quod moras castiget, & fugientes compellat ad agendum, hostemque persequendum. Hoc enim & inter apes videre est:

Infirmitas humana requirit quempiam qui in officio contineat.

Similia.

1. etsi enim omnes non modò diligenter, sed etiam ardenter operentur; sunt tamen nonnullæ ad hoc constitutæ, vt desides vrgeant. Sunt & in
2. bello, qui cum auctoritate fugitiuos ac terga vertentes districto ferro
3. ad quærendum ac persequendũ hostem cogant. Parum Regi proderit vectigalibus reditibusque abundare, si Quæstor ac Redituarius nullus constituatur, qui census Regios in ærarium cogat ac referat. Sed & in-
4. ter Reipublicæ Romanę dignitates Censoria numerabatur; cuius erat, ijs, quæ Reipublicæ detrimentum allatura videbantur, occurrere, inuecta damna expellere, malis opportuna adhibere remedia, quieta omnia conseruare.

Idipsum est quod quærimus. Optima lex est, quam nobis indicimus, Deum semper habere præsentem, ad illum perpetuò aspirare, illum nobis asciscere, eundemque retinere: sed multa sunt quæ obsistunt, & miramur ipsi, dum præsentes Deo nos esse arbitramur. In Hispania arces construimus, de lana caprina disputamus, nugarum nugis detinemur atque alligamur. Opus ergo est seuero aliquo Cẽsore, qui moras castiget, pugnas molestiasque fugientes vrgeat, & ad officium reuocet; qui bene merendi occasiones proponat, merita multa ac virtutes colligat, (tamquam bonus Redituarius) atque in animam inferat; qui malis occurrat, inuecta exterminet, inueterata perrumpat, & mentem tranquillam Deoque coniunctissimam custodiat.

105. [a] Hic Censor conscientia est: quam [b] Chrysostomus, prolixè de ea tractans, vocat formidinis matrem, si quid inueniat, quod animæ saluti aduersetur. [c] Isidorus verò sic eam nobis Censorẽ constituit, vt nullam

a Conscientia Censori similis.
b Hom. 1. de Laz. in cap. 16. Luca, tomo 2.
c Lib. 2. Synonym. cap. 11.

pœnam

pœnam grauiorem putet conſcientia. *Si vis autem numquam eſſe triſtis,* ait, *bene viue. Secura conſcientia triſtitiam leuiter ſuſtinet, bona vita gaudium ſemper habet, conſcientia autem rei ſemper in pœna eſt, reus animus numquam ſecurus eſt: mens enim malæ conſcientiæ proprijs agitatur ſtimulis. Si enim in bono permanſeris, triſtitia elongabitur à te: ſi in iuſtitia perſeueraueris, triſtitia non occurret tibi. Nec plaga nec mors te terrebit, ſi bene & piè vixeris.* Hæc ille. Quid, quòd moralis quidam Philoſophus ait? *Multos fortuna liberat pœna, metu neminem. Quare? Quia infixa nobis eius rei auerſio eſt, quam natura damnauit. Ideo numquam fides latendi fit, etiam latentibus; quia coarguit illos conſcientia, & ipſos ſibi oſtendit. Proprium autem eſt nocentium trepidare. Male de nobis actum erat, quòd multa ſcelera legem & iudicem effugiunt, & ſcripta ſupplicia, niſi illa naturalia & grauia de præſentibus ſoluerent, & in locum pœnitentiæ timor cederet.* Hæc Seneca. *Seneca lib. 16. epiſt 98. in fine.*

Hic ergo Cenſor nos aſſiduè perſequitur, ſi deſimus officio, ſi propoſitis non ſtemus, ſi à curſu reuertamur ad carceres, vel lentè incedamus, aut certè omnino quieſcamus. Quid, ſi turpiter, ſi flagitiosè, ſi nequiter agamus? Inſtat à tergo Nemeſis ſtricto enſe, vt pro meritis puniat, mordeat, perſtringat, nec finem faciat, donec ad mentem officiumque redeamus.

106. Sed quid? conſcientia corda hominum inuenit quædam ſubinde dura & inſenſibilia, alia frigida, alia carnea, alia tenera: ideoque & ipſa ſimilia nomina ſortitur, vt dicatur dura, frigida, carnea, teneraque conſcientia. Sunt namque nonnulli qui nulla re mouentur, etiam grauiſſimo ſcelere afflati: ij conſcientiam numquam diſcutiunt. Sunt qui frigidi: & ij quidem diſcutiunt, ſed non adeò magno motu ac fructu. Alij cor carneum habent, & humanum: & ij conſcientiæ ſentiunt vulnera. Denique ſunt filij qui patris offenſam exiguam tenerrimè ſentiunt ac deflent, ideoque, ne in opprobrium illud cadant, vigilare ac ſuper cuſtodiam ſuam ſemper ſtare nituntur. *Conſcientia quadruplex.*

In arca Noë erant omnia genera animalium incluſa. Poſt tempeſtatem, & aquæ lapſum deficientem, Noë emiſit coruum, qui non eſt reuerſus: emiſit columbam, quæ, cùm non inueniſſet vbi requieſceret pes eius, redijt ad arcam; emiſit eam ſecundò, & redijt ad veſperam, portans ramum oliuę virentibus folijs; emiſit tertiò, & non eſt vltrà reuerſa. Hanc figuram noſtro inſtituto admodum conuenienter exponit S. Ambroſius. [a] En ergo tres formæ examinis & examinantiũ ſe: nam prima ſub corui ſpecie defectũ potiùs quàm formam denotat; coruus enim abit, nec redit in arcam, ſed inter vndas crocitat; libertatemque in aquis medijs mauult, quàm in cõcluſa arca ſecuritatem. [b] Arca conſcientia eſt, vbi magnus ille Noë omnibus præeſt animalibus; & anima potentijs, motibus, ac paſſionibus. Extra arcam tempeſtates multæ & magnæ:

Allegoria.
Gen. 7. & 8.
Libro de Noë & arca, cap. 18. tomo 1.
a *Examinis tres ſpecies.*
b *Arca Noë & vndæ quid ſignificent.*

magnæ: quatitur illa ingenti & continua pluuia. Non pauciores sanè dæmones sunt in aëre, qui in nos irruant, quàm pluuiæ guttæ super arcam. Arca quoque ipsi aquæ supernatat, eiusque costæ ac latera vndis tunduntur circumlatrantibus. Tentationes hæ sunt, tribulationes, morbi, dolores, anxietates. Sed non semper pluit: post tenebras lux subinde speratur; post diei laborem, quietis vespera succedit.

Videatur autem, sedulo examine, quî se habeant aquæ tentationum adhuc, ne arcam nostram comprimant, aliquidve damni attulerint. Si coruum emittas, infideliter aget. Corui sunt amatores mundi & peccati, qui numquam conscientiam discutiunt, de morte instanti numquam cogitant. Corui semper crocitant Cras, Cras, insensibiles & duri. In se intrare aut manere non possunt; &, si ingrediantur, omnia nigra inueniunt, omnia tetra ac tenebrosa. Itaque numquam peccare sibi videntur, nihil agnoscunt; &, si labantur, non sentiunt ruinam, nisi insigni infamia notentur.

Corui qui.

Hos depingit D. Bernardus. *Quæris, ait, quid sit cor durum: ne quæras quod illud sit; si non expauisti, tuum hoc est. Solùm est cor durum, quod semetipsum non exhorret; quia nec sentit. Quid me interrogas? interroga Pharaonem. Nemo duri cordis salutem vmquam adeptus est; nisi quem fortè miserans Deus, abstulit ab eo (iuxta Prophetam) cor lapideum, & dedit cor carneum. Quid ergo cor durum? Ipsum est, quod nec compunctione scinditur, nec pietate mollitur, nec mouetur precibus, minis non cedit, flagellis duratur, ingratum ad beneficia est, ad consilia infidum, ad iudicia sæuum, inuerecundum ad turpia, impauidum ad pericula, inhumanum ad humana, temerarium ad diuina; præteritorum obliuiscens, præsentia negligens, futura non prouidens. Ipsum est, cui præteritorum, præter solas iniurias, nihil omnino non præterit; præsentium nihil non perit; futurorum nulla, nisi fortè ad vlciscendum, prospectio seu præparatio est: &, vt in breui cuncta horribilis mali mala complectar, ipsum est, quod nec Deum timet, nec hominem reueretur.* Hæc Bernardus de coruis, qui periculis & maris, & terræ, & somni in ebrietate sese exponunt, sine vllo sensu letalium vulnerum: ab arca conscientiæ auolantes, per aërem & vanitates huius mũdi decurrunt, Cras & Cras crocitantes; de nulla tamen re minùs soliciti, quàm quid crastinus dies incommodi allaturus sit.

Lib. 1. de consid. in initio cap. 2.
Cor durum.
Ezech. 36.

Sed de columbis nobis est quæstio. Iusti ergo Deum timentes ad conscientiam redeunt, & vesperi saltem considerant an tempestas & aquæ tentationum, pluuiæ afflictionum, dæmonum suggestiones, arcæ nostræ nocuerint, adhuc immineant aut premant: verùm id sæpe somnolentè & perfunctoriè; satisque nobis est, aquas ipsas meminisse, ac in lectum nos recipere, & ad multam lucem in vtramque aurem suauiter dormire. Corda hæc frigida sunt, vt & conscientiæ. Auferat à nobis Deus cor lapideum ac frigidum, & immittat cor carneum, cui aliquid facilè

Examinis prima species.
Quid columba statim rediens.
Cor frigidum.

facilè imprimatur, quod ex se calidum est, quod penetratur minimo telo.

Emittatur ergo hæc columba, vt consideret altero examinis genere quid toto diei decursu egerit foris, quid dixerit, quid cogitarit; & videbis hoc examen fructu non carere. Reuertetur ad arcam portans ramum oliuæ virentibus folijs; pacem nimirum & reconciliationem cum Deo, propositum bene viuendi, virorem ac vigorem ad volandum, orandum, meditandum, Deoque seruiendum. Sed nota columbam sui fuisse memorem, non tantùm mane cùm auolauit, aut vesperi cùm ad arcam redijt, sed & alijs temporibus: & primùm quidem, quòd pedem fluctibus non immerserit; deinde, quòd solicita ramum oliuæ rostro decerpserit: quod quid aliud est, quàm solicitè in primis mala fugere, & aquarum fluxam leuitatem ne attingere quidem extremis affectibus? Et hoc primum officium iustitiæ Christianæ: alterum est, bene agere, ramos virtutum decerpere, flores sanctorum desideriorum colligere, opera Deo grata ore, corde, opere exercere, &, vbicumque sis, id verbo testari ad Dei honorem, & proximi vtilitatem. *Secūda species. Quid columba vesperi oliuæ ramum ferens.*

Tertium examinis genus est perfectius: parta enim victoria contra vitia, aquisque remotis, inita pace cum Deo, sic egredi ex antiqua ac rudiori arca liceat, vt interim tibi fabrices nobiliorem; non necesse habeas ampliùs ad illam reuerti, eo quòd arcam semper circumferas. Limax, cùm ambulat, domum confert quò se recipiat cùm lubet: & pastores ouium, qui greges custodiunt, mapalia sua conuehunt, teste Poëtarum principe: *Tertia species. Quid columba non rediens.* *Similia.* 1. 2.

——————Omnia secum *Georg. 3.*
Armentarius Afer agit, tectumq́, larémque,
Armáque, Amyclæumq́, canem, Cressamq́, pharetram.

quemadmodum & boni Religiosi, vbicumque sunt, Religionem suam circumferunt; sicque emanent, vt semper in sese inhabitent; nec vesperam expectant vt se discutiant, sed omni hora arca concluduntur, & ab aquis & tempestatibus proteguntur. Ita loquitur Propheta: *Non accedet ad te malum, & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.* De hisce tribus sigillatim erit aliquid dicendum. *Psal. 90.*

CAPVT XX.

Examinis generalis necessitas, vtilitas, & partes.

107. MAGNVM est vulgaribus, si quis quartam horæ partem, post grauissimas distractiones, negotia, tumultus, impendendam eis proponat, qua se recipiant in se, & ad Deum redeant. *Hoc nos pessimos facit*, ait Seneca, *quòd nemo vitam suam respicit. Quid facturi simus, cogitamus; & id rarò: quid fecerimus, non cogitamus. Atqui consilium futuri ex præterito venit*. Hæc Seneca. Mirum est, parentes, cùm velint filios felicem noctem sibi precari, de delictis veniam petere ac reconciliari, antequam decumbant; nolle tamen ipsos Deo, parenti optimo, quasi bene precari, reconciliari, eiusque sese tutelæ committere. Verè cæci sumus in Dei causa, etsi sat oculati videamur in nostra. Sed *si cæci essetis*, ait Christus, *non haberetis peccatum: nunc verò*, ô magni viri, *dicitis quia videmus; peccatum* ergo *vestrum manet*.

Lib. 12. epistola 84.

Ioan. 9.

Necessitas ac vtilitas examinis generalis.

1\. Breue tempus incredibile frequenter momentum continet: si enim quis peccato letali prægrauatus somno se committat, & moriatur; cui hæc anima curæ erit? qui sibi nequam, quem sui curam habiturum sperat? At exigui spatij recollectio, pœnitentiæ gratiam præbet, ac reconciliationis; quo exacto si quis moriatur, euasit saltem pœnas æternas, vitam adeptus est sempiternam.

2\. Accedit quòd sæpe mortiferæ inimicitiæ exortæ hac discussione dissoluantur; sine qua in discrimen vitæ vel amittendæ, vel alteri adimendæ, te exponis: sicque verissimum est, quod vulgo dici solet, *Nox dabit consilium*. orantibus nempe dabit: sed sæpe seipsos negligentibus negat; peioraque subinde nox, quàm dies præteritus, excudit consilia.

3\. Liberalis item Dominus, gratitudinem tuam videns, media quædam opportuna suggerit, aliquid sequenti luce aut agendi, aut vitandi, quod momentum maximum habeat, de quo ne cogitares quidem.

4\. Ex hoc præterea capite propositum confitendi oritur, & à peccatis abstinendi: qui enim toties lapsus obseruat suos, Deumque à se videt haberi contemptui, mores corrigit, & à praua consuetudine peccandi recedit.

5\. Sed & quies nocturna longè serenior est, matutina excitatio lætior.

6\. Denique qui mane bene precari vult, bene meditari, infausta omnia inueniet, si vespera sequentis auroræ dispositio non fuerit: nec bonas

bonas mane aut lætas habiturus est cogitationes, qui tristes vesperi, qui prauas habuerit, quique lætiores piasque quieturus non præparauerit. Hinc Monachis omnibus, finito Completorio, sermocinatio omnis interdicitur: si enim sequenti nocte in officio, vel mane in oratione, collecti esse velint, solitudinem sibi oportet indicant internam: alioquin quidquid vesperi tractarint, viderint, egerint, illud primùm excitatis recurret, & inanis oratio, soluta, spirituque destituta habebitur.

Antequam ergo lectum accedas, exclusis negotijs omnibus, poëtæ secutus consilium,

Non priùs optato concedas lumina somno,
Quàm tua præteritæ reputaueris acta diei,

coram imagine demissè animum corpusque inflecte: Deus enim, qui pater tuus est, quique te toto illo die aluit, ope operaque iuuit, id officij expectat, consideratque attentè quid acturus sis gratitudinis ergô, an verò canum more illico ad lectum prosilies. *Si* humiliter accedas, scito quia desiderium pauperum exaudiet Dominus, cogitationem cordis *Psal. 9.* tui audiet auris eius perlubenter.

108. Huius examinis partes sunt quinque: quarum prima est gratiarum actio; introductio optima, vt in humanis ad conciliandam beneuolentiam insinuatio perelegans ad aliquid noui petendũ & obtinendum, ita & vt ad Deum introducamur, aliquid petamus, & obtineamus. dicit enim S. Basilius, orationem ordiendam esse à gratiarum actione: Deus namque vult sua beneficia agnosci, sibi haberi referrique gratiam; non modò quia id meretur ipse, sed quia liberalis est, & vult per hanc viam aditum nobis ad noua beneficia aperire, & antiqua nouis beneficijs cumulare. Vtatur ergo seruus Dei illa industria, qua homines ad demerendum benefactoris animum vti solent; ipsumque accessum molliorem reddat animi demissione, infirmitatis, egestatis, inopiæque suæ commemoratione.

Examinis generalis quinque partes. Pars 1. Gratiarũ actio.

In constit. Monast. cap. 2. post initium.

Triplex verò est beneficiorum ordo: alia enim sunt generalia; quorum agnoscendorum formulam capite decimo-octauo, in oratione mane fundenda, numero quarto, posuimus: alia particularia, quæ quisque per omnes vitæ ætates expertus est; quæ si non occurrant, subinde meditatio de his instituenda erit, ad eorum cognitionem excitandam; nullus enim est qui non singularia quædam beneficia, atque eximia admodum, receperit. Inter cetera, donum vocationis meritò primas obtinere debet, sine quo reliqua fortè parum profuissent, eoque cetera omnia conseruantur, & innumera alia includuntur. Quando ergo tempus suppetit de vtrisque aliquid coram Deo commemorandi, id & Deo gratum est, & nobis admodum vtile ac salutare.

Beneficiorum ordo triplex. 1. Generalia. 2. Particularia.

In hac tamen parte potissima ratio habenda est eorum beneficiorum,

3. Beneficia illo die accepta.

Partitio 2. rum, quæ eo die nobis collata sunt; quorum alia temporalia, alia verò corporalia, alia denique spiritualia sunt: & quidem vel quia recenter animo, corpori, aut rationibus nostris nonnulla accessio facta est; vel quia, ne damnum aliquod inferretur, diuino munere cautum. *Partitio 3.* Quædam à Deo veniunt proximè, vt inspirationes, auxilia specialia ad res arduas perficiendas, victoria contra graues tentationes, refectio spiritualis per Sacramenta: quædam verò ab hominibus in nos deriuantur, quos tamen vt Dei manum reputare decet, & ab ea nobis per eos porrigi meritò opinari; sicut cetera quæ nobis à creaturis erogantur, vt est cibus, vestitus, sensuum recreatio. De his agendæ gratiæ sunt.

Partitio 4. Sed maximè illa ad memoriam reuocanda ac referenda, quæ Deo matutino tempore infimis precibus commendaueramus, perspicimusque nobis prospere eius beneficio successisse. *Schema perelegans gratiarum actionis.* Verbi gratia: Sacerdos animarum curam gerens, coram Episcopo suo causam dicturus, statuit eo die, quo proficiscitur, de peccatis confiteri, Sacrum facere, modò copiam Confessarij habeat; infirmo extrema Sacramenta ministrare: illi præterea ex officio, ante discessum, pax cum duobus subditis componenda; eorum ab aliquo ad mortem decumbente eleemosyna inopi cuidam postulanda: conueniendus est in itinere vir militaris iracundus ac ferox; cum quo si prandeat, non paruum periculum imminet ebrietatis ac iurgiorum: eodem loco mulier quædam, qua familiariùs nonnumquam vsus est, adeunda: denique necesse est sobrium comparere coram Episcopo suo, ac causam ad Dei gloriam pro conseruatione cultus Ecclesiæ suæ tueri. Hæc singula seriò mane Deo commendat, interponit preces B. Matris, Patroni sui, Angeli tutelaris: dumque singula aggreditur, stans super custodiam suam, accedit cum timore & sui diffidentia; spem tamen omnem in Deum collocat, eumque inuocat interna & intensissima prece. quid sequitur tandem? omnia ei cedunt ex voto: nam occurrit Sacerdos, cui magno solatio suo confitetur; celebrat, ceteraque felicissimè conficit. Vesperi, antequam quiescat, nónne eidem sufficiens gratias agendi materia suppetit? Omnino. Repetat itaque illa omnia, & Domino Deo, à quo auxilium nactus est, accepta referat. referet magna sua consolatione, gratiarumque augmento: simulque magna ei lumina affulgebunt, quibus videat in posterum qua ratione & pericula fugere, & difficultates superare, & Deum in omnibus quærere debeat; qui, cùm liberalissimus atque optimus sit, liberalem manum fideli seruo latè aperiet, eiusque fidei maiora talenta concredet, idoneumque reddet ad præclariora aliqua munera deinceps obeunda.

Part. 2. 109. Secunda examinis huius pars est, vt à Deo petamus auxilium ac lumen, quo defectus ac peccata eo die commissa cognoscamus: cæci

enim

Causa cur in peccatis proprijs cognoscendis hallucinemur.

enim ſumus in propria cauſa. [a] Amor noſtri, qui φιλαυτία dicitur, ocu-
los proprios claudit, ne errores videamus noſtros, clariſſimè verò alie-
nos. [b] Paſſiones quoque aliam rebus ſpeciem adferunt, & alio circum-
dant indumento, quàm à natura ipſa veſtiuntur: vt qui vitrum rubeum,
viride, cæruleum viſui opponit, vitri colores, non rei, recipiet. [c] Iudi- a 1.
cium quoque noſtrum haud raro aberrat, ac ſæpe vi trahentis volun- b 2.
tatis atque appetitus aliter ſtatuit quàm par ſit. [d] Rerum deinde, quas c 3.
optamus, amor conciliat opinionem erroneam, noſtriſque conce- d 4.
ptionibus & operibus ſeſe immiſcet fraudulenter, atque efficit vt aliter
opinemur quàm deceat. Durat adhuc, & ſæpe, animi commotio, ex 5.
recenti iniuria vel vera vel apparente excitata; quæ facit vt alios con-
demnemus, nos ipſos iuſtificemus. Id etiam proprium atque here- 6.
ditarium à parentibus accepimus, vt ſemper nos excuſemus, culpas
transferamus in alios: ſed id fruſtra coram Deo, cuius ſenſus falli non
poteſt. Seneca hoc argumentum ſapientiſſimè pertractat. *Quid enim,* *Lib. 6. epiſt. 51.*
ait, *melius ages, quàm vt meliorem te ipſe quotidie facias; vt aliquid ex erroribus ponas; vt intelligas tua vitia, quæ putas rerum? Quædam enim locis & temporibus adſcribimus: at illa, quocumque tranſierimus, ſecutura ſunt. Harpaſten vxoris meæ fatuam ſcis hereditarium onus in domo mea remanſiſſe: ipſe enim alieniſſimus ab iſtis prodigijs ſum. Si quando fatuo delectari volo, non eſt longè mihi quærendus; me rideo. Hæc fatua ſubitò deſijt videre. Incredibilem tibi narro rem, ſed veram. Neſcit eſſe ſe cæcam. Subinde Pædagogum ſuum rogat vt migret: ait domum tenebroſam eſſe. Hoc quod in illa ridemus, omnibus nobis accidere liqueat tibi. Nemo ſe auarum eſſe intelligit, nemo cupidum. Cæci tamen ducem quærunt: nos ſine duce erramus, & dicimus, Non ego ambitioſus ſum, ſed nemo aliter Romæ poteſt viuere. Quid nos decipimus? non eſt extrinſecus malum noſtrum; intra nos eſt, in viſceribus ipſis ſedet: & ideo difficulter ad ſanitatem peruenimus, quia nos ægrotare neſcimus.* Hactenus Seneca.

At difficultatis huius caput eſt, quòd ſine gratia & lumine cæleſti in 7.
hiſce natura deficit: ideo ad miſericordiam eius confugiendum. eſtque punctum hoc tanti momenti, quanti res quæ ex eo pendeat: ex cognitione nempe mali hauriuntur medicinæ quærendæ conſilia, remedia, ſalus, & incolumitas. Quare, ſi pars iſta negligenter tractetur, quod ſupereſt examinis, non ſuccedet.

Viri sancti statum suæ conſcientiæ facilè cognoſcunt.

Eminentes gratia & ſanctitate viri vix de Deo cogitant, aut ad orandum accedunt, quin illico ſtatum ſuæ cõſcientiæ perſpiciant ex abundantia diuini luminis. vnde D. Frãciſcus in domo Cardinalis cuiuſdam cùm Romæ hoſpitaretur, nocte concubia, crudeliter à dæmonibus flagellatus & contuſus, quærebat apud ſe vnde tanta poteſtas dæmoni à Deo conceſſa eſſet. Peccatis ſuis primùm adſcripſit; tamen coram Deo ſe diſcutiens, cùm nihil inueniſſet, ſocijs ait: *Ego verò, per miſeri-*

cordiam & gratiam Dei, non cognoſco me in aliquo deliquiſſe, quod per confeſſionem & ſatisfactionem non eluerim; imò per miſericordiã ſuam hoc donum contulit mihi Deus, vt de omnibus, in quibus placere vel diſplicere ipſi valeo, in oratione claram cognitionẽ recipiam. Verùm perſæpe ignoranter peccat vel perfectus Religioſus; vnde, cùm non cognoſcit peccatũ ſuum, caſtigatur à diabolo, tamquam prætore diuinæ iuſtitiæ, vt diligenter videat & conſideret interiùs & exteriùs ea, in quibus offendit: quia quos amore ſingulari Dominus proſequitur, nihil eis in hac vita relinquit inultum. Ita Iacobus Epiſcopus Genuenſis in eius vita. Bene monet D. Franciſcus: nam & Dauid eminentis erat ſanctitatis, & tamen multis diebus adulterium ſuum non agnouit, imò eidem

2. Reg. 11. homicidium adiecit; & in peccato perſeuerans, antè nuptias cum Bethſabee celebrauit, quàm de ſcelere purgando cogitarit. Quare non immeritò gratia à Deo cognoſcendorum delictorum petenda eſt, ſine qua cæci remanemus.

Pars 3. 110. Tertium caput examinis in diſcuſſione conſcientiæ conſiſtit: in quo illud primò ſtatuendum, vt te coram Deo conſtituas, qui nouit quid in te ſit, & quomodo id à te vel admiſſum fuerit, vel neglectum: deinde te tibi ipſi accuſatorem iudicemque denunties, Dei cauſam acturum ac vindicaturum. Scias etiam, nihil eo eſſe certius, quàm

1. Cor. 11. quod D. Paulus pronuntiauit: *Si noſmetipſos diiudicaremus, non vtique iudicaremur. Dum iudicamur autem, à Domino corripimur, vt non cum hoc mundo damnemur.*

Pſal. 140. Ora cum ſancto Rege: *Non declines cor meum in verba malitiæ, ad excuſandas excuſationes in peccatis:* ſed *corripiat me iuſtus in miſericordia, & increpet me; oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.*

Modus examinandi cõſcientiam. Addam tamen & illud, quòd diſcuſſio iſta non debeat eſſe nimis exacta: nec ſic emungas, vt elicias ſanguinẽ. Si quid non occurrat, vtere bona fide, confidens quòd, ſi quid eſſet quod Deo diſpliceret, illud tibi vel conſcientia vel Deus ipſe ſuggereret. Quare minùs prudẽter agunt illi, qui ad minutula quædam hærent, & ſe affligunt plus æquo. Sed ſi diſcurſu facto ſufficienti nihil occurrat ſingulare, ad alias partes examinis tranſeant, &, conuerſo ad Deum ſermone, vtiliter tempus traducant: aliàs tales, tædio affecti, cum nauſea ad examen hoc redeunt, &, conſuetudine inducta, à principio ad finem vſque inaniter horam illam tranſmittunt.

Partitiones ſeu occupationes examinis. 111. Verùm, ne otio locus relinquatur, conſtituamus examinanti occupationem ſuam, claſſibus quibuſdam diſtinctam. [a] Prima eſt, vt

[a] 1. cogites quid mente, ore, opere deliqueris. [b] Secunda, quid erga Deum,

[b] 2. quid erga proximum, quid in te denique admiſeris. In Dei obſequio

Nota. multa occurrunt, in quibus delinqui poteſt. In oratione & meditatione obſerua an diſtractè, otioſè, curioſè, tepidè egeris; an incitamenta adhibueris; an virtutem, quam in te inſerere ſtatuis, delegeris;

geris; an sententiam identidem eo die considerandam subduxeris: quæ septem, ad memoriam, huius verbi, DOCTIVS, litteris initialibus comprehenduntur.

Classis tertia proponit quæ omissione, (si aliorum curam geris, vel caritas aliquid à te exegerit) quæ rursus commissione perpetraris. Deinde discurre per horas diei singulas; si præsertim occupationes, distractiones, commotiones fuerint vehementiores. Si verò perpetuò studijs vel sacris fueris occupatus, examina intentionem & scopum, & an Dei tuique subinde memor fueris. Exige denique à sensibus tuis, qua ratione officio functi sint: an lingua effrenis, an oculi profani ac vagabundi, an decorum in corpore seruatum, an modestiæ habita ratio. Postremò, quidquid sit, da operam ne tempus inutiliter transigas: quare, vbi nihil ampliùs occurret, ad quartam examinis partem animum conuertas. Super omnia tamen vide an propositi matutini tenax fueris: nota errores ac lapsus: præscribe tibi pœnam: considera occasiones oblatas vel peccandi, vel bene agendi; & te eo loco & statu, quo mane coram Deo eras, cùm propositum tuum faceres, restitue.

3. 4. 5. 6. 7.

112. Sequitur, ordine naturæ, confessio humilis coram Deo, veniæque deprecatio, (quæ pars quarta examinis est) cum peccatorum detestatione: ex cuius efficacia colliges quantum tibi peccata tua displiceant, quantùm Deum tuum diligas. Beatæ illæ Luthgardis, Catharina Senensis, Maria Ogniacensis, sic peccata venialia deflebant, vti grauissimi peccatores ac latrones, ad Deum primùm conuersi, latrocinia sua ac scelera immania detestantur: videbant enim hæ sanctę animę peccati, quantumcumque exilis, deformitatem; Deumque offendi, qui summè diligēdus est, & cui summopere obstricti sumus: nec ignorabant pœnitudinem hanc summopere Domino placere; qui, si videat lacrymas nostras, obuius accurrit: & sicut flentem filiolum complectitur mater, sic & pijssimus Dominus super genua blandietur nobis, gratias augebit, robustioresque spiritu efficiet. Ex parte tamen nostra officio deesse non debemus veri pœnitentis; sed, vt vindices diuinæ iniuriæ, à nobis pœnas exposcere.

Pars 4. Veniæ deprecatio.

Isaiæ 66.

In Concilio Toletano decimo memoriæ proditum, Potamium quendam Episcopum Brachiensem extitisse, qui cùm semel tantùm tactu femineo (vt loquitur Concilium) sorduisset, ipse se primùm in ergastulo, nullo cogente, inclusit, atque nouem mensium pœnitentiam egit: deinde Concilio, quod Toleti celebrabatur, libellum accusatorium contra se porrexit, quo peccatum admissum prodebat sponte. Patres verò Concilij perpetuam pœnitentiā, quoad viueret, iniunxerunt; vt nimirum perpetuò in abiectis officijs deseruiret: nihilominus affirmarūt humaniùs ac benigniùs cum ipso actum, quàm antiquorum canonum

In Concil. Tolet. 10. in decret. pro Potamio Episcopo: incipit, Affumere.

canonum seueritas pateretur. Egregium pœnitentiæ exemplum Potamius hic præbuit, optimeque sibi consuluit: nam (vt ait Iob) *qui timent pruinam, irruet super eos nix.* qui enim exiguas pœnas breuesque austeritates reformidant, in pœnas atrocissimas ac longissimas, vel ignis purgatorij, vel æternæ gehennæ, sæpe incurrunt. Salutare ergo consilium est, & peccata maximo dolore, quantumcumque leuia, detestari; & sibi pœnam aliquam imponere. Hæc, quæ diximus hactenus, vna sententia elegantissimè Seneca comprehendit. *Qui*, ait, *peccare se nescit, corrigi non vult. Deprehendas te oportet, antequam emendes. Quidam de vitijs gloriantur. Tu existimas aliquid de remedio cogitare, qui mala sua virtutum loco numerant? Ideo, quantum potes, teipsum argue. Inquire in te. Accusatoris primùm partibus fungere; deinde Iudicis; nouissimè Deprecatoris: aliquando te offende.* Et hæc quidem Seneca. Nec pudeat nos Ethnicum sequi, optima præcepta tradentem; cùm ea non modò videamus ex Christi, cuius religionem profitemur, legibus, sed etiam ex ipsis naturæ humanæ fontibus depromi.

Iob 6.

Lib. 3. epist. 28.

113. Vltimum quod in examine consideratur, est emendationis propositum: quæ pars adeò necessaria est, vt, quidquid antè egeris, nihil sine hac parte prosit; etiamsi Sacramenti ministerium accesserit: nullum enim peccatum remittitur, quamdiu quispiam complacentiam peccati retinet, & à vitio cessare renuit. Danda verò opera est, vt non tantùm virtute propositum istud adesse censeatur, sed vt etiam actu coram Deo exprimatur: hoc enim magnam vim habet ad permouendum eum, cui iniuria illata est. Nec quidquam est, quod ad patrem placandum filius adferre possit efficacius, quàm si promittat id, in quo deliquit, sibi numquam ampliùs euenturum. Hactenus de examine generali, nunc ad particulare veniamus.

Pars 5. Propositum emendationis.

CAPVT XXI.

Examinis particularis nomen, vsus, ac condiciones.

114. Piis mẽtibus hoc exercitationis seu examinis generalis genus placet quidem, videntque momenti grauitatem, eiusque vtilitatem; sibi tamen aliquid in eo desiderari autumant: quòd cognoscatur defectus ac vitium, remedia nulla adhibeantur; quod tamen lumine naturæ constat subsequi debere, & correctionem substituendam esse, auctore Seneca, qui de Sextio viro honorato scribens, eum huiusmodi seuocatione rationumque subductione vsum fuisse, his verbis testatur: *Animus quotidie ad rationem reddendam vocandus est. Faciebat*

Senec. lib. 3. de ira, cap. 36.

Faciebat hoc Sextius, vt consummato die, cùm se ad nocturnã quietem recepisset, interrogaret animum suum: Quod hodie malum tuum sanasti? cui vitio obstitisti? qua parte melior es? Desinet ira, & erit moderatior, quæ sciet sibi quotidie ad iudicem esse veniendum. Quid ergo pulchrius hac consuetudine excutiendi totum diem? Qualis ille somnus post recognitionem sui sequitur! quàm tranquillus, altus, ac liber! Hæc Seneca: qui cùm pulcherrimas discussionis huius vtilitates adferat; tum illud vrget maximè, vt morum vitiorumque fiat correctio: quæ non ita ex voto succedet, si sola recognitio fiat, cum solo proposito, nihilque præterea curæ adhibeatur. Suppeditat certè amplam materiam correctioni altero die arripiendæ vespertina illa recollectio. Sed parum iuuerit, si malum non propellatur; sicut infirmo non prodest genus morbi detexisse, si visceribus defixum vlcus adhærescat: dicetque nobis Dominus, *Vulnus, & liuor, & plaga tumens non est circumligata, nec curata medicamine, neque fota oleo.* In eandem sententiam D. Basilius: *Quæ singulis diebus* (inquit) *feceris opera, ea vesperi ipse commemora, & cum ijs quæ feceris pridie conferto; studioseq; operam dato, vt melior in dies magis & magis existas. Processum in virtutibus facito, vt hoc modo Angelis efficiare propinquior.* Hactenus Basilius.

Examinis particularis vtilitates. *1.* *2.* *Simile.* *Isaiæ 1.* *Serm. de abdicatione rerum, in fine.*

115. Itaque non tantùm vesperi à nobis quærendum est, Quid fecisti? sed, *Quod hodie malum tuum sanasti? cui vitio obstitisti? qua parte melior es?* Quod fiet, si vespertina illa discussio cum matutino proposito commercium ac dependentiam habeat, ratioque exigatur à nobis ipsis super malo aliquo, quod propellere atque exturbare constituimus. Sicut enim obnoxius aliquibus morbis, vt dolori dentium, aut distillationi, aut podagræ, non modò cùm præsentes vrgent & affligunt, sed longè antè cum Doctore medico consilium init de auertendo malo, vt immunis ab eo remaneat; & veluti, cùm rumor de hostis aduentu auditur, arma parantur non tum demum cùm mœnia concutit, sed primo nuntio, & (si fieri potest) in eius limitibus sapienti consilio ei occurritur, ne maiori detrimento in proprio solo ab hoste nos opprimi contingat: sic & ijs morbis ac peccatis, tamquam hostibus iuratis, per vespertinam discussionem cognitis, consulendum est mane; vt præsenti remedio viribusque occurratur, non quando iam vrgemur, sed multo antè, absente tentatione, ne imbecillior animus in proprijs visceribus oppugnatus opprimatur.

Animi morbos esse curandos ostenditur 2. similitudinibus. *1.* *2.*

116. Verùm, vt hæc capiantur, obseruationes aliquot adferendæ erunt; quarum prima est: examen hoc dici particulare, quòd non, sicut generale, in omnia quæ illo die admisimus dicta, facta, cogitataque inquirat; sed quòd vnicum è multis quisque deligat, in cuius caput comminuendum vires omnes asciscat ac conferat, existimans se illo deteriorem aduersarium habere neminem; & cùm homini aduersario im-

Examen hoc cur particulare nominetur.

precari malum semper non liceat, vitio tamen illi non modò multa imprecari, sed & odisse, dirisque deuouere, ac tollere è medio deceat. expedit enim vnicum ex omni numero assumere, ne multitudine fatiscat animus, spemque vincendi abijciat: nam qui incipit proficere, considerans infinitos in se defectus, ortos partim à concupiscentia, partim ex omnium vitiorum vsu ac consuetudine, eorumque quotidie se motibus internis impeti, & externis actionibus inquinari; si cum omnibus certamen instituat, facilè abijciet animum, cùm videat se vel ab vno solo admodum frequenter nulloque negotio superari. Quare si quis se diuitem esse arbitretur, & à Christo audiat facilius esse camelum transire per foramen acus, quàm diuitem intrare in regnum cælorum; quæ spes illi fuerit penetrandi viam adeò angustam? Non fiet, nisi camelus in frusta partesque minutissimas concidatur. Quidam interpretes alludunt ad vocem Græcam κάμιλος, quæ Latinè rudentem seu funem nauticum significat; sicque per foramen acus aiunt transire posse, si dissoluatur, & in prima fila redigatur. Modus hic noster est: nam peccatorum nostrorum vincula, instar rudentis contorta, nodis innumeris condensata sunt: quis ea in foramen examinis particularis inijciat? sed singula sigillatim filamenta dissoluantur: omnia penetrabunt, & reipsa camelus integer per foramen acus transibit. Frater quidam, (vt refertur in historijs sanctorum Patrum) incidens in tentationem, oppugnationis molestia victus, disciplinam Monasticam perdidit; & cùm iterum vellet obseruantiæ regularis principia resumere, illa animi tribulatione impediebatur, & dicebat in seipso: Quando eo me statu inueniam, quo aliquando fui? deficiensque animo, ne aggredi quidem Monachi vllum opus valebat. Veniens ad quendam senem, narrauit ei quæ circa se agerentur. Senex, audita defectionis causa, adhibuit ei tale exemplum. Homo quidam habuit possessionem, & eius
,, negligentia in sentes redacta est, ac repleta tribulis & spinis. Visum est
,, autem ei postea vt eam excoleret, dixitque filio suo: Vade, & purga
,, agrum possessionis illius. Venit filius, vt purgaret; sed cùm respe-
,, xisset, vidit multitudinem tribulorum & spinarum in eo excreuisse, &
,, animo deficiens, sibi ipse sic locutus est: Ecquando hæc omnia euellere
,, & expurgare potero? & proijciens se in terram dormiuit. Hoc autem
,, fecit multis diebus. Post hæc venit visum pater eius quod fecerat, in-
,, uenitque ipsum nihil effecisse, & dixit ei: Quare vsque modò nihil fe-
,, cisti? Respondit iuuenis patri suo: Mox vt operi appropinquaui, visa
,, tribulorum ac spinarum tanta copia, deterrebar à susceptione laboris,
,, & præ animi angustia prostratus in terra dormiebã. Cui pater: Ad men-
,, suram latitudinis, fili, quam iacens in terra occupas, per singulos dies
,, operare, & ita paulatim proficiet opus tuum, & tu pusillanimis non

efficieris.

Vnum tantùm in examine particulari vicissim esse prosequendum.

Matth. 19.

In Vitis Patrũ part. 2. lib. de patientia seu fortitudine: ex Græco auct. interprete Pelagio Diac. S. R. E. vt refert Sigebertus in catal. de scriptoribus Eccles.

efficieris. Quod cùm audiſſet iuuenis, conſilium patris ſecutus eſt, & ,,
paruo tempore purgata & exculta poſſeſſio. Tu verò ita, Frater, pau- ,,
latim operare, & non deficies. Deus autem per gratiam ſuam reſtituet ,,
te iterum priori ordini tuo. Quo audito, Frater ille abijt, & cum omni ,,
patientia ſedens faciebat ſicut edoctus fuerat à ſene, & requiem inue- ,,
niens promouebatur per Dominum Chriſtum. ,,

117. Altera conſideratio eſt, quòd, qui in hoc genere aliquid promo- *Reſolutio firma ad bene agendum neceſſaria.*
uere cupiat, firma abſolutaque voluntate conſtituat in vita ſpirituali
proficere. hinc Chriſtus ab adoleſcente ęternam vitam per viam PER-
FECTIONIS quærente, vt vellet, exegit. *Si vis*, inquit, *perfectus* *Matth. 19.*
eſſe, vade, vende quæ habes, & da pauperibus. Volebat ille, optabat, PER-
FECTIONIS velleitatem præ ſe ferebat, nolebat tamen: vnde *triſtis*
abijt; erat enim habens multas poſſeſſiones. Nec miretur quis me hanc con- *Nota.*
dicionem exigere; quia, quidquid dicant, & videri velint, multi ſunt
qui nolunt. Norunt defectus ſuos: nolunt ſibi dici, reprehendi non
ferunt, corrigere renuunt. Viam PERFECTIONIS propoſitã qui-
dem omnibus aiunt; non quòd apprehendi debeat, ſed vt videat quiſ-
que quàm longè adhuc ab ea diſtet, & pro votis & commoditate acce-
dat, miretur eius excellentiam, de ea opportunè loquatur, &, quòd de
ea diſſerere aliquid poſſit, laudem reportet. Ceterùm quia potio ama-
ra eſt, cùm extremis labris guſtarint, nolunt bibere. De his Chriſtus:
Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longè eſt à me. *Matth. 15.*

Quàm multa poſſit firma reſolutio, experientia docet in vrbium in-
expugnabilium euerſione, in mercatorum lucris, gloriæ conſecutione.
Laborandum eſt, ait Seneca; *& ne labor quidem magnus eſt, ſi modò antè ani-* *Lib. 6. epiſt. 51.*
mum noſtrũ formare incipimus, & corrigere, quàm indureſcat prauitas eius: ſed
nec indurata deſpero. Nihil eſt quod non expugnet pertinax opera, & intenta ac
diligens cura. Robora in rectum, quamuis flexa, reuocabis. Curuatas trabes calor
explicat; & aliter nata in id finguntur, quod vſus noſter exigit. Quanto faci-
liùs animus accipit formam flexibilis, & omni humore obſequentior! Hactenus
Seneca. Sed *filij huius ſæculi prudentiores filijs lucis in generatione ſua ſunt*. *Luc. 16.*
Hinc mirum non eſt, ſi poſt multos conuerſionis annos, eoſdem non
modò næuos, ſed notabiles maculas habere cernamur. Sæpe nonnul-
lis cum D. Auguſtino gemere neceſſe eſt: *Exceſſerunt caput meum vepres* *Lib. 2. Confeſ. cap. 3.*
libidinum, & non erat eradicans manus.

Quia verò infirmitas humana auxilio indiget, ac pes incipientium
adhuc vacillat in ſeruandis propoſitis matutino tempore conceptis;
diligenter illa Deo commendare neceſſe erit, Patroniſque tutelaribus.
Facienti verò quod in ſe eſt, Deus gratiam non denegabit. Et ſi con-
tingat ſæpius quempiam labi, non illico abijciat animum: cogitet ſe
primo quoque tempore non mereri exaudiri, & quidquid poſtulat à

Deo obtinere; secum agi splendidè, quòd in Dei obsequium admittatur; expedire subinde in minores defectus incidere, animi demissionis augendæ gratia, vtque tiro spiritualis ad Deum auxiliatorem suum frequentiùs discat recurrere, sensimque cum eo reuerenter conuersari, & familiariùs ei adhærescere.

118. Tertia animaduersio est, materiam subiectam huius examinis potissimùm esse, peccata quæ quotidie admittuntur; vt nimirum tam noxius eorum fluxus ac relapsus præcidatur. Eorum verò peccatorum quædam grauiora, minora alia. Grauiora sunt eorum qui recenter è mundi salebris emergunt, assueti iuramentis, blasphemis sermonibus, ac scurrilibus, ne dicam impudicis. Cupiunt etiam ventri, prauis consortijs, locisque periculosis adeundis modum ponere; inquirere deinde in sensus omnes: an oculi profani, minùs pudici, an tempore sacrorum circumferantur; an dissoluti mores; an caput, instar labari, huc illucque omni loco & tempore agitetur. Leuiora sunt alia, quæ etiam PERFECTIONIS amantibus effugere difficile est: appetitio inanis gloriæ ac laudum humanarũ, leuior ira, solatiorum emendicatio à creaturis, linguæ incauta custodia, multaque id genus. Huc facit alia diuisio: horum enim quædam non impropriè capitalia vocantur, alia media. Capitalia sunt, ad quæ, velut ad finem, cetera referuntur: media verò ijsdem subseruiunt. Capitale fuit in Dauide amor nefarius Bethsabee: homicidium adiunctum ancillabatur capitali, sine quo illud numquam euenisset. Ambitio caput fuit ruinæ Absalom: primùm blandiebatur plebeculæ, solicitabat deinde populum ad defectionem, parentem impiè persecutus est ac fugauit, concubinas patris in publico tentorio nefariè violauit: quæ omnia ambitioni & regnandi cupiditati seruiebant. Idem in nobis vsu venit. quidam enim propendent in libidinem: ij addicti sunt intemperantiæ, vestium luxui, scurrilitati, otio; & quia largitiones faciendæ subinde sunt, aut expensæ, auarè aliena retinent; aut etiam detrahunt; verbo oculisque libidinem aspirant. quis explicet cetera? quæ ruunt penitus, si pudicitiam induas. Alij natura ambitiosi: hi, si Deum non timeant, parum curant quàm decenter loquantur de eo, modò ipsi ornati habeantur; spuunt blasphemias ad verba singula, &, vt ornatè videantur loqui, eructant iuramenta; sumptuosi sunt, magno familiæ damno; vt honorem suum tueantur, vitam salutemque extremo armorum discrimini exponunt. Denique complexio cuiusque vitiosa, cuique vel vnum vel etiam plura capitalia suppeditat. A capitali incipiendum est: eo enim præciso, velut radice, truncus cum arbore tota corruit. Id cõsilium est Cassiani in collatione Serapionis. *Ita nobis aduersus hæc*, inquit, *arripienda sunt prælia, vt vnusquisque vitium, quo maximè infestatur, explorans, aduersus illud arripiat prin-*

Peccatorum diuisio pro examine particulari.

1.

2.

Vitia capitalia quæ; quæ media.

2. Reg. 11.

2. Reg. 15.

2. Reg. 16.

Capitalia in primis præcidenda esse.

Coll. 5. cap. 14.

principale certamen, omnem curam mentis & solicitudinem erga illius impugnationem obseruationemq́, defigens, aduersus illud quotidiana ieiuniorum dirigens spicula, contra illud cunctis momentis cordis suspiria crebraq́, gemituum tela contorquens, aduersus illud vigiliarum labores ac meditationes sui cordis impendens, indesinentes quoque orationum fletus ad Dominum fundens, & impugnationis suæ extinctionem ab illo specialiter & iugiter poscens. Hæc Cassianus, quæ longo capite admodum disertè prosequitur.

119. Sunt denique vitia alia externa, interna alia. Externis modus illico adhibēdus est: nam id mali genus non modò delinquenti officit, sed alios quoque inquinat atque offendit. Nihil tamen quisquã efficaciter conficiet, nisi internum hominem coërceat, & ad Deum redeat; magno odio peccatum suum persequatur ac detestetur: quo posito fundamento, inuigilet ne æstu consuetudinis vitiosa natura in solita delicta rapiatur; & examen particulare primùm in capitale, tum in cetera eius adminicula collineet. *3. Vitia externa & interna.*

Idipsum est quod docet D. Thomas, ab externis nempe inchoandam esse scelerati ædificij destructionem. Aliter porrò ædificiorum, aliter vitiorum destructio procedit: illi enim qui ædificant, à fundamento incipiunt, & ad tectum vsque fabricam attollunt: quam si postmodum dissoluere cupiunt, à tecto, inuerso ordine, ad fundamenta vsque vetustatem resoluunt. non sic in demolienda vitiorum structura agitur. Verba sunt B. Thomæ: *Homo ad humilitatem peruenit primò quidem & principaliter per gratiæ donum: & quantum ad hoc, interiora præcedunt exteriora. Aliud autem est humanum studium, per quod homo priùs exteriora cohibet, & postmodum pertingit ad extirpandum interiorem radicem.* Ex quibus liquet, fundamentum extruendæ virtutis in interioribus iaciendum, at in exterioribus incipiendam vitiosi ædificij demolitionem, ordine prorsus immutato. quæ consideratio volentibus hoc particulare examen exercere non est prætermittenda. *B. Thom. 2. 2. q. 161. a. 6. ad 2.*

CAPVT XXII.

Formula examinis particularis.

120. QVARTA consideratio formam huius examinis particularis complectitur: quæ in tria tempora distribuitur; de quibus pijssimus Rex Dauid: *Vespere,* (ait) *& mane, & meridie narrabo & annuntiabo, & exaudiet vocem meam*: Narrabo ac confitebor peccata mea vespere; mane annuntiabo ac proponam quæ vitare ac cauere toto diei decursu statuam; meridie Dominus exaudiet vo- *Examinis particularis tria tempora. Psal. 54.*

cem meam, dum & malè exacti temporis veniam deprecabor, & conseruandi propositi gratiam postulabo. Addit: *Redimet in pace animam meam ab his qui appropinquant mihi, quoniam inter multos erant mecum. Exaudiet Deus, & humiliabit illos.* En trium temporum ita apposita distributio, vt huius examinis & auctor fuisse primus sanctissimus ille Rex, & in grauissimis regni occupationibus tertiò ad minimum sese recognoscere consueuisse videatur.

Tempus 1. Matutinum. Cant. 7.

121. Primum tempus est matutinum, quo quispiam statum suum intuetur ac considerat; ita enim suadet Sponsa in Canticis: *Mane surgamus ad vineas, videamus si floruit vinea, si flores fructus parturiunt, si floruerunt mala punica.* Visitanda enim mane vinea animi nostri, quæ ex virtutum varijs plantis conflata est. Eam florere vult Sponsus, & fructum ferre; sicut & mala punica, quæ donorum omnium spiritualium aggregationem ordinatè continent. Quid si à vermibus edantur, si singularis ferus vineam depascatur, si tantùm labruscæ consurgant? Videndum erit an opus sit cultura ampliori, aut amputatione palmitum ac sarmentorum, fossione, saltem in annos sequentes: si adminiculis, si capitum religationibus ac coniugationibus, aut irrigatione indigeat, prospiciendum erit. hæc enim spiritualis consideratio amplam nobis materiam suggerit examinis particularis: an nimirum virtutibus abundemus; an omnia succedant ordinatè cum Deo, nobiscum, & cum proximis; an tentatio grauior vrgeat vel ingruat; an tristitia animum depascatur; an meditatione, oratione, Sacramentorum frequentia, consolatione aut reprehensione indigeamus; an inter nos fratresque nostros diuisio aliqua intercesserit, vnde noua colligatione opus sit. Est enim matutina oratio totius molis sequentis diei basis ac fundamentum: quæ si prætermittatur, ac perfunctoriè fiat, cetera vel ruunt, vel flaccescunt.

Psal. 79.

Orationis matutinæ vis.

Ex correctione vnius vitij cetera compescuntur.

122. Ita ergo statu cognito, vnum defectum deliges corrigendum. Propones deinde firmissimè illum, cum diuina ope, nusquam admittere; addita etiam tali protestatione, qualem in oratione suprà cap. decimo-octauo præscripsimus. Est verò huiusmodi protestatio adeò magni momenti, si ex animi plena resolutione profluat, vt id, quod aliàs peccati letalis malitiam contineret, iam vel veniali tantùm, vel etiam nulla macula contaminetur; cùm nimirum subreptitiè aut inaduertenter alicui citiùs excidit, quàm cogitare potuit.

Coll. 5. cap. 14.

Petes: Quid fiet de ceteris vitijs, quibus laboro, & in quæ fortè procliuiùs propendeo? Respondet Cassianus: *Nec tamen putandum, quòd principaliter quis contra vnum dimicans vitium, & velut incautus aliorum tela prospiciens, inopinato ictu faciliùs valeat sauciari: impossibile namque est, eum qui pro cordis sui emundatione solicitus erga impugnationem vitij cuiuslibet, in-*

tentionem

tentionem suæ mentis armauerit, aduersus cetera quoque vitia generalem quendam horrorem & custodiam similem non habere. Hæc Cassianus. De his ergo fiet, quod discipulis dyscolis solet accidere: cùm enim contingat *Simile 1.* interdum quinquaginta animaduersionem mereri, longumque negotium foret, ac difficile, singulos flagellare; pessimum aliquem & quasi aliorum antesignanum magister corripit, & egregiè castigat. Horrent ceteri, & in se illius plagas persentiscere videntur; rati ad cutem vsque suam verber peruenturum, si vel minimùm hiscant. Qua etiam de 2. causa laudant celebrem illam Romanorum militum, vbi plures peccassent, decimationem, vt ait Polybius de re militari, *συμφέρουσαν ἅμα καὶ καταπληκτικὴν, cōmodam pariter & terribilem.* quod istis verbis expressit Cicero: *Statuerunt maiores nostri, vt, si à multis esset flagitium rei militaris* *Pro Cluentio.* *admissum, sortitione in quosdā animaduerteretur; vt metus videlicet ad omnes, pœna ad paucos perueniret.* Ita vitia, quæ à carne ac voluntate humana dependent, quasi rea culpæ patratæ, vbi de vno supplicium sumitur, similes pœnas timent, ac silent saltem ad tempus. Sed si quotidie tertiò hæc animaduersio fiat, sensus noster timore perculsus sibi cauet, ne corripiatur, ne plectatur pro meritis. Pisces, dum in viuario cibis inescantur ab aliquo familiariter, densissimi accurrunt: si tamen vnus tantùm 3. hamo eleuetur ac recidat, fugiunt ceteri cautiores, nec hamum deinceps audent contingere, ne capiantur.

In hunc planè modum nobiscum agitur: pleraque enim vitia ex fœda illa aqua oriuntur partis inferioris, quando humana voluntas voluptate pellicitur: nec potest dolor vni parti infligi, qui sese alijs non communicet; & dum culpam vnam castigas, ceteræ verbera sentiunt, & in pœnæ partem veniunt.

Singula quoque vitia, vt res omnes, conseruant sese quantùm possunt; nec nisi pulsa violentè ex humana voluntate abeunt. Videt verò sensus noster & alteri prauæ affectioni eandem correctionem imminere, posseque idem contingere; quod sanè fieret, si petulantiùs insaniret. Silet ergo, &, quasi caput in aquis abderet, celat se, donec emergendi meliorem occasionem nanciscatur.

Denique resolutio voluntatis magnam vim habet ad compescendos motus qui exurgunt: quos etsi omnino non possit opprimere, ac omni ex parte impedire; cum Dei saltem auxilio impedit ne in actus fœdiùs prosiliant, præsertim externos.

123. Quapropter, proposito facto, commendare id Deo, sanctisque Angelis, ac Patronis tutelaribus oportebit: quia sine illorum ope infirmitas nostra facilè à resolutione resilit, & ad solitas vanitates recurrit.

124. [a] Operæpretium quoque fuerit, leges sibi quemque præscribere, ac pœnam quam incurret casu quo lapsus fuerit. Si peccata grauiora

[a] Pœna sibi imponenda defectu cognito per examen particulare.

ſunt, pœnas addicat grauiores; ſi leuiora, leuiores: vt, qui aſſueuit iuramenta dictis inſerere ex praua conſuetudine, quoties errauerit, pecuniæ partem aliquam attribuat pauperibus diſtribuendam; ſi locuples, maiorem; ſi tenuioris fortunæ, minorem.

Vota non eſſe emittenda ſine directoris voluntate.

Non facilè verò quiſquam iuramento aut voto ſe aſtringat, niſi conſulto directore: temeraria namque hæc vota, laqueorum inſtar, ſic ſubinde incautos inuoluunt, vt oppreſſi iugo, emergere poſtmodum vix & ne vix quidem valeant. Si leuiores defectus fuerint, leuis etiam pœna ſit; ne tædio exercitij huius affectus ſpiritualis tiro ſarcinam abijciat. Licet tamen generali ex cauſa melioris vitæ ineundæ, & ad vlciſcendam iniuriam multis delictis criminibuſque Deo irrogatam, pœnitentias etiam graues aſſumere, ex directione prudentis viri; cui ſe committere, eiuſque iudicium ſequi, magna ſapientia eſt.

Pœnitentia ex iudicio directoris aſſumenda.

Praxis notanda.

125. Inter alias leges hæc quoque reponenda eſt: quòd vbi continget quempiam impingere, & in defectum aliquem prolabi, illico vbi aduerterit, ſigno aliquo teſtetur id ſibi diſplicere. Tale eſſe poſſet eleuatio oculorum in cælum, admota ſimul dextera pectori. Sed id coram alijs faciendum non eſt. ſatis erit animo ad Deum ſe conuertere, dicendo ex intimo corde: IESV bone, quid ago? *Erraui, ſicut ouis quæ perijt: quære ſeruum tuum*, Domine; *quia mandata tua non ſum oblitus*.

Pſal. 118.

Suſpendunt nonnulli è collo interiùs vnam ex globis pendulis decadem; è quibus tum vnum demittunt, cùm ſe propoſitum violaſſe ſentiunt. quod admodum laudabile eſt, & operæpretium: ſic enim opus non eſt tabellis ad eaſdem defectuum notas imprimendas; cumque ad examinis alterum tempus venitur, nulla difficultas eſt numerum ſubducendi. Aliàs mora maior eſt in diſcuſſione, & in tabulis (quas alioquin paratas habere neceſſe eſt) viſitandis, numeroque defectuum referendo: opportunitas vbique non eſt.

Tempus 2. Meridianum.

126. Alterum tempus, quo nimirum propoſiti ratio exquiritur, ſtatui poteſt circa meridiem: in quo, iuxta examinis generalis formulam quinque præſcriptis partibus diſtinctam, in ſpatium illud, quod effluxit ab aurora, inquiritur, & nominatim circa peccatum particulare, quod vitandum atque corrigendum conſtituimus; initoque numero erratorum, pœnam propoſitam nobis infligimus, ſaltem prima opportunitate, adhibita deteſtatione peccati, & nouo propoſito.

Tempus 3. Veſpertinum.

127. Tertium tempus eſt veſpertinum: vbi rurſus, cum examine generali, meipſum diſcutio accuratiùs, forma & modo in vtroque examine ſeruatis.

Addo, conferendas eſſe notas antemeridianas cum veſpertinis, vt de correctione conſtet, vel defectione. Sequenti die conferre quoque oportebit notas vtriuſque diei, & ſequentium deinceps. Sabbato verò

verò recognitio generalis inducenda, ad consolationem spiritualem fructumque colligendum; vt, cùm initio septimanæ euntes iuerint ac *Psal. 125.* fleuerint vtiles operarij, mittentes semina sua, tandem venientes veniant cum exultatione, portantes manipulos suos.

CAPVT XXIII.

De altero examine particulari, quo vitiosi habitus euelluntur, virtutes verò inseruntur: quod Negotiatio spiritualis appellatur.

128. ELISEVS *ægrotabat infirmitate, qua & mortuus est; descenditq; ad eum Ioas Rex Israel, & flebat coram eo, dicebatq;: Pater mi, pater mi, currus Israel & auriga eius. Et ait illi Eliseus: Adfer arcum & sagittas. Cumq; attulisset ad eum arcum & sagittas, dixit ad Regem Israel: Pone manum tuam super arcum. Et cùm posuisset ille manum suam, superposuit Eliseus manus suas manibus Regis, & ait: Aperi fenestram orientalem. Cumq; aperuisset, dixit Eliseus: Iace sagittam. Et iecit. Et ait Eliseus: Sagitta salutis Domini, & sagitta salutis cõtra Syriam; percutiesq; Syriam in Aphec, donec consumas eam. Et ait: Tolle sagittas. Qui cùm tulisset, rursum dixit ei: Percute iaculo terram. Et cùm percußisset tribus vicibus, & stetisset, iratus est vir Dei contra eum, & ait: Si percußisses quinquies, aut sexies, siue septies, percußisses Syriam vsque ad consumptionẽ; nunc autem tribus vicibus percuties eam.* *4. Reg. 13.* Eliseus, Dei salutem vel saluantem Deum significans, IESVM Christum in cruce fixum, generis humani salutem operantem, designat: in eam enim cùm ascendisset, non descendit viuus, nec voluit. Ioas, ignem Domini significans, aliàs diffidentem ac desperantem, designat PERFECTIONIS amantem, qui igne, quo optimus Seruator noster Christus in cruce tostus fuit, accensus, de viribus suis diffidens, Dominum suum sequi gestit; offerensque se ipsius beneplacito, aliud non dicit, quàm, *Pater mi, pater mi, currus Israel & auriga eius.* *Examinis generalis figura.* At bonus Dominus, qui desideria nostra intuetur, & dat ampliùs quàm petimus, suadet quod maximè nobis vtile est, quamuis labore non careat. Quid illud? vt inimicitias immortales contra Syriam, prouinciam Deo rebellem, peccatum, inquam, eiusque fautores, cõcipiamus, eique bellum æternum indicamus: arma etiam præscribit, nempe arcum & sagittas. In arcu tria sunt, extrema nempe cornua duo, & funis extensus. Illa facultates seu potentiæ humanæ sunt, quæ concurrere debent ad sagittæ contortionem: intellectus nimirum & voluntas

humana; quæ in vno vinculo gratiæ diuinæ colligatæ, ſagittas bonorum operum in aduerſariorum corda intorquent. has acutas potenteſque eſſe teſtatur Pſaltes Regius. *Sagittæ*, ait, *tuæ acutæ (populi ſub te cadent) in corda inimicorum Regis*. Hæ *ſagittæ ſalutis Domini, & ſagittæ ſalutis contra Syriam*; mundum vtique, eiusque alumnos. ad hoc enim inſtituitur examen generale, vt mundum, diabolum, peccataque omnia conficiamus: feneſtram namque aperimus, dum conſcientiam diſcutimus, illicque arma ſumimus pœnitentiæ per ſanctum propoſitum ad transfodienda corda inimicorum Regis, peccata omnia deſtruenda, peccatorumque occaſiones conuellendas. & ne quis Ioas deſperabundus abijciat animum, Eliſeus in iaculationibus manus ſuas ſupponit manibus noſtris. Ipſe eſt qui bona opera noſtra operatur, & certamen nobis dat acre, vt vincat in nobis; *equum & aſcenſorem deijciat in mare*. Hæc optimè ſeruiunt examini generali.

Pſal. 44.

Exod. 15.

Examinis particularis figura.

129. Sed quid eſt, quòd mandat ſumi ſagittas nullo expreſſo numero; Ioas verò, contentus tribus, tertiò tantùm terram percuſſit? Examen id eſt particulare, ſeu trium temporum: percutimus namque terram, cùm terrena omnia, imperfectiones noſtras, defectus, ac peccata deteſtamur; ſagittæque optimæ ſunt deteſtatio peccatorum, inuocatio auxilij diuini, pœnitentiarum ac pœnarum vſurpatio. his quoque deſtruimus in nobis terrenos affectus, deſideria tranſeuntium honorum: carnem noſtram, quam è terra haurimus, pudicitiæ telo configimus; iudicia propria, & opiniones, ſæculi huius rationibus ſubnixas, ſancto obedientiæ iaculo confodimus. Ter tantùm percuſſit Ioas terram, & ſtetit. poterat ſæpius, non fecit. Eliſei mens fuit vt ſæpius percuteret, vſque ſepties, id eſt, ſine certo numero: quod conſtat ex mandato ſagittarum, quarum numerum non definiuit; & ex indignatione quam præ ſe tulit, cùm Ioas ceſſauit à terræ percuſſione. Magnum hîc latet myſterium. Multa ſeſe feciſſe quidam arbitrantur, ſi tertiò ad ſe redeant ſpatio viginti-quatuor horarum, etſi valde effuſi & confuſi fuerint in negotijs agendis; abunde ſatisfeciſſe rati, ſi in peccata letalia non ceciderint, ſi quid grauius non admiſerint, ſi bellum aliquod vitijs indixerint: ceterùm, quod ſupereſt diei, ſumma ſui incuria traducunt, Dei ſuique pæne immemores.

Verùm dicet aliquis: Quid mirum? in examine illo trium temporum nihil aliud exigis, niſi vt tertiò ad me redeam: id ego præſto; cur ergo reprehendor? Abſit vt reprehendam, quem laudare debeam, tam ſalutaribus præceptis parentem: nihil enim initio conuerſionis magis hominem iuuat, & à peccatorum ſalebris efficaciùs extrahit, quàm illa trium temporum obſeruatio. Id à Spiritu ſancto eſt: & ideo ſuſpicio ac veneror & doctrinam, & auctorem; quem extremis hiſce temporibus diuina

diuina prouidẽtia mortalibus pereuntibus iuuandis excitauit. Sed memor esto, examen illud in limine primumque incipientibus proponi; non PERFECTIONIS studiosis, quibus solidos cibos reseruat, & postmodum copiosissimè porrigit. Non ergo tam reprehendo, quàm denuntio Eliseum tibi irasci, quòd sagittas sæpius non iacias: ideoque tibi esse statuendum, sicut examen generale non complectebatur partes omnes quæ desiderari possint, ita & in hoc aliquid requiri; & quidem id vnum, quòd sæpius in aduersarios impetum non facias. Alterum quoque deest huic examini, quòd de virtutum acquisitione nulla fiat mentio, quæ tamen pars potissima est in PERFECTIONIS adeptione. Addo multos eò progressos in virtutum curriculo, vt exiguam materiam peccatorum inueniant; naturalesque ea defectus potiùs esse censeantur, quàm quæ mereantur peccati nomen. Illi cùm naturam furca expelli nequaquam posse viderint, tædio affecti, deserunt examinis huius studium, vixque generali, vt decet, vtuntur. Accedit, quòd si quis (verbi gratia) hac septimana statuat vanæ gloriæ telum retorquere, vix pretium quodpiam operæ sit, præsertim proposito cõstanti stabilito, aut si occasio nulla occurrat: atque ita vix quidquam in examinis particularis exercitationem incurret; spiritualisque tiro & vesperi se lucro destitutum inueniet, & susceptum exercitium in posterum non resumet. Denique nihil per totius diei decursum occupationis præscribitur, quo Ioas igne Domini succensus virtutes augeat, supellectilem copiosam comparet, ornamenta cumulet, sanctamque auaritiam extimulet. [a] Gaudet operarius vespere, cùm mercedem manibus tractat; [b] exultat miles, cùm hoste profligato spolia diuidit; [c] lætatur agricola, cùm segetes in horreum inuehit: & Dei operarius vesperi gaudet se fatigatum quidem, sed locupletatum esse cælestibus nummis; & strenuus Christi miles sibi gratulatur, infensos hostes superasse, & spolia reportasse; denique bonus agri Dominici cultor in sinu lætatur, dum manipulos multos in horreum Domini inuectos videt, & in animum suum virtutum semina cumulatè recepisse in centuplum.

In examine particulari aliqua desiderari. 1. 2. 3. 4. 5.

Similia. a 1. b 2. c 3.

130. Ideo ergo irascitur Eliseus, & exprobrat nobis quòd ter tantùm iaciamus, cùm nec dèsint sagittæ, nec ex parte Dei auxilium; nihilque facilius sit, quàm vt qui sagittam manu tenet, terram percutiat; lataque sit illa, vt non desit locus iaciendi: (hostes nempe innumeri sunt, quos cùm percusseris, timebunt & verebuntur te; cùm quietos reliqueris, aut etiam aliquid indulseris, crudeliùs persequẽtur te) vult namque Eliseus noster, Syriam omnẽ, omnes eius ciuitates sternamus; non remaneat lapis sceleratæ ac nefariæ prouinciæ super lapidem, qui non destruatur; cadat vitę superbia, ruat pecunię cupiditas; omnia vanitatis, voluptatis, cupediarum, epularumque delectamenta conculcentur.

Id profectò tribus ictibus non consequêris.

Victoria perfecta de hostibus spiritualibus in quo consistat.

Quoties ergo vibrari telum, terramque percuti per diem oportebit? Respondet Eliseus: *Si percußisses* (inquit) *quinquies, aut sexies, siue septies, percußisses Syriam vsque ad consumptionem*. Euasisses dominus tui, dominus mundi, regni dæmonum euersor; tibi, (quod magnum est) addo & toti orbi, imperasses. Quia verò tantùm ter percussisti, ter percuties Syriam, præmium reportabis trium operum; quoties nempe illud exercitij genus subieris. qui enim formulam examinis particularis seruat accuratè, haud dubiè finem suum, quem intendit, assequitur aliquatenus; nec sine præmio Dominus liberalissimus quidquam fieri permittit ad honorem suum, quod profusissimè non remuneret. Qui tamen Syriam tantùm percutit ter, non euertit, non sternit, non tollit eius tyrannidem, non euellit radicitus, victor de ea non triumphat.

1.

In Vita eius.

2.

Aliter Beatus Antonius, de quo scribit S. Athanasius. Is enim in primis cùm mundum fuga in solitudinem exclusisset à se, & rem familiarem pauperibus distribuisset; hisce solutus impedimentis, cæleste vitæ genus in terris colere instituit: (magna sanè victoriæ pars) sed cùm in periculosum illud certamen descenderet, ad fidei præsidium, quo erat armatus, adhibendum sibi putauit subsidium reliquarum virtutum; quarum tanto studio incensus fuit, vt, quemcumque videret aliqua virtutis laude excellentem, illum imitari studeret. Nihil igitur eo continentius, nihil vigilantius erat: patientia, mansuetudine, misericordia, humilitate, labore ac studio diuinarum Scripturarum superabat omnes. Cùm talis tantusque Dei miles euasisset Antonius, sanctissimum iuuenem hostis humani generis varijs tentationibus aggreditur: quas ille ieiunio & oratione vincebat; & quotidie ad Christianam PERFECTIONEM proficiens, dæmones (quorum tanto acriores erant impetus, quanto ad resistendum fortior euadebat) ita contempsit, vt illis exprobraret imbecillitatem; ac sæpe discipulos suos excitans ad pugnam contra diabolum, docensque quibus armis vinceretur, *Mihi credite*, dicebat, *fratres: pertimescit satanas piorum vigilias, orationes, ieiunia, voluntariam paupertatem, misericordiam, & humilitatem, maximè verò ardentem in Christum Dominum caritatem, cuius vnico sanctissimæ crucis signo debilitatus aufugit*. O generosum Christi Athletam, cui non satis fuit vincere, sed hostes persecutus est, donec comprehenderet & opprimeret, præclaro nobis proposito exemplo! En tela, en sagittæ, quibus terra percutitur, hostis perimitur ac sternitur.

3.
Psal. 17.

Idem fecerat Dauid, bellator insignis; ita enim primùm statuit: *Persequar inimicos meos, & comprehendam illos; & non conuertar, donec deficiant. Confringam illos, nec poterunt stare; cadent subtus pedes meos. Comminuam eos vt puluerem ante faciem venti, vt lutum platearum delebo eos*. Sed

quid,

quid, Dauid? iacies sagittas, si Eliseus manus tuis non supponat? Nequaquam. *Præcinxisti me*, ait, *virtute ad bellum*. Quod verò secutum est videamus prœlium, ac victoriam. *Supplantasti*, ait, *insurgentes in me subtus me, & inimicos meos dedisti mihi dorsum, & odientes me disperdidisti*. Interea *eripies me de contradictionibus populi, constitues me in caput gentium*. Hîc sagittas nullas iacere pertimescit Dauid: nulli hostium pepercit; conuersus non est retrorsum, donec omnes caderent, confractique nullatenus possent exurgere, grauiùs nocituri.

131. Quid est enim quod te angit, molesteque persequitur, à quo maximè timere debeas? ab hoste nempe deuicto, quem non è medio sustuleris, quemque non comminueris vt puluerem ante faciem venti. 4.
Mandauerat Dominus Iosue, vt populos omnes terræ promissionis deleret funditus: quibus si parceret, eosdem fore ipsis Iudæis in laqueum, in scandalum, in ruinam. Pepercerunt tamen multis. Heu crudelis benignitas, cùm parcis alteri qui tibi iugulum petat, qui perpetuò insidietur, qui in caput tuum coniurauit! Ideo miseri Iudæi vix immunes à bellis remanserunt; ijdemque, quibus vitam donauerant, interitum attulerunt: auerterunt enim corda ipsorum à vero Deo, & ad sua idola pertraxerunt; ideoque perdidit ingratos Dominus, fueruntque capientes qui eos ceperant; quos si deleuissent, hanc plagam adeò immanem euasissent. *Iosue allegoria.*

Expugnaturos cælorum regnum, eiusque atria, ac virtutis palatium, monet, hortatur, obtestatur Deus, si pace frui velimus, hostes omnes funditus deleamus. At quis valeat? hi multi sunt, magni, & potentes. Quid tum? Deus arma suppeditat; is certat pro nobis. *Non in gladio nostro* præsumimus *possidere terram, & brachium nostrum non saluabit nos; sed dextera tua*, Domine, *& brachium tuum, & illuminatio vultus tui. Non in arcu nostro speramus, & gladius noster non saluabit nos. Tu es ipse Rex noster, & Deus noster, qui mandas salutes Iacob. In te inimicos nostros ventilabimus cornu, & in nomine tuo spernemus insurgētes in nobis.* Si ergo imbellis populus, & fugax, qui audito vel solo gigantum nomine despondebat animū, adeò vastam prouinciam subiugauit; si ad eorum, diuina nempe virtute pugnantium, voces & tubas ciuitatum muri corruerunt; quid ni virtus Christi IESV, Domini nostri, qui mortem, mundum, peccatum, & satanam deuicit, confringet aduersarios nostros, subtus nos corruentes, si viros nos præbeamus? *Psal. 43.* *Num. 13.*

132. Pugnandum igitur est, iaciendæ sagittæ, tundendi aduersarij; at quot ictibus, vt comminuantur? Certè multi sunt, vt dixi, & duri: atque vbi tot dæmones, tot praui affectus, tot innati habitus perniciosi, sæpius tundendum est. hostis pertinax, &, ni pellatur vi, iussus abibit numquam. Opus ergo est alio examine, quod seruiat ijs pellendis &

euellendis. Sed ne confusione tot examinum (quod nomen nonnullis odiosum est, ac tetricum) obruamur, rationem hanc ornandi ditandique internum hominem Negotiationẽ spiritualem vocabimus; cuius tantùm pars est examen hoc tertium, de quo postea dicturi sumus.

CAPVT XXIV.

De causis Negotiationis spiritualis, & primùm quidem de materia eius subiecta.

133. MIRVM fortè cuipiam videbitur, si quisquam dixerit, nobis mandatam esse à Deo Negotiationem spiritualem: verùm in hisce dubijs ad sacrarum litterarum præsidium velut ad sacram ancoram confugiendum est; satisque id ex verbis Seruatoris præscriptum esse, & quidem magno rigore, B. Lucas testatum reliquisse videtur. *Negotiamini*, (ait Dominus ijs, quibus distribuebat *vnicuique secundùm mensuram donationis suæ*, vel mnam vnam, vel talenta diuersa) *negotiamini* (inquam) *dum venio*. quibus verbis summus Negotiator nos omnes suos institores constituit: cõmunicat enim vnicuique nostrûm certum gratiæ munus, quemadmodum illi placet, vt auctor est D. Paulus. *Vnicuique autem nostrûm*, ait, *data est gratia secundùm mensuram donationis Christi*.

Negotiatio spiritualis ex sacris litteris probatur.

Luc. 19.

Ephes. 4.

Ephes. 4.

Hæc gratia non sic nobis attribuitur, vt abuti possimus; sed institoribus datur à Domino, vt rem eius faciamus, donec redeat, & rationem rei datæ & acceptæ à nobis exigat. Liberaliter quidem remunerat; sed rigidè, austerè, seuereque lucrum exigit: quid enim seuerius, quàm quòd seruo, qui mnam repositã in sudario asseruarat, socordiam, velut enorme scelus, acerbissimè exprobrat, multis præsentibus, magna eius confusione? quid, quòd inde tollere, vbi non posuit; metere, vbi non seminauit; vsuram recipere velit, vbi non est negotiatus? quòd mna sua seruum negligentem spoliet? quòd denique eundem curet interfici ante se? Hæc sanè grauia sunt, & tamen in reditu suo, cùm in decessu ex hac vita ad rationes euocabimur, eam à nobis reposcet rationem. Sed cur tam seuerè? Incuria enimuero magna est, iuxtà & ingratitudo: gratiã nempe tanti Domini, quæque tot laboribus ipsi constitit, parui pendere ac negligere; &, cùm Domini negotiatores simus, non pluris Domini nostri pecunias, vtilitatẽ, honorem, ac præcepta æstimare; imò amplius dico, nos ipsos non pluris facere lucrum propriũ, profectum, ac promotionẽ, quam nihilominus & ipse Dominus intendit.

Turpe est, institores dies noctesque summis laboribus in lucrum dominorum suorum incumbere, vt perituras diuitias acquirant; nos autem stertere atque otiari. Ecquid sunt opes illæ comparatione cælestium? Dicat Salomon: *Melior*, ait, *est acquisitio sapientiæ negotiatione argenti; & auri primi & purissimi fructus eius. Pretiosior est cunctis opibus; & omnia quæ desiderantur, huic non valent comparari*. Ideo mulier sapiens *facta est quasi nauis institoris, de longè portans panem*. Ex filis etenim pannum aut telas conficit, quas vendit & commutat cum frumento, quod exteris lateque remotis regionibus adfertur. *Allegoria.* *Prou. 3.* *De naui institoris.* a *Prou. 31.*

Institorum prima dignitas est, habere bonum ac locupletem dominum: at noster & optimus, & locupletissimus, & liberalissimus est. Optimè negotiamur, cùm omni studio, quà agendo, quà patiendo, virtutum opera deducimus, eaque pertexímus, multaque paramus, quæ vsui sint & exemplo non modò domesticis & vicinis, sed & longè lateque remotis, dum præclara gesta ad exteras nationes deferuntur. Fama ac prædicatio, quæ circumfertur, nauis est instar, qua hominum præclara facinora deuehuntur. Quid verò mercedis sancta anima per mulierem significata recipiet? Panis, quo mentem nutriat, petitur non è terra, sed è cælo, regione remotissima; de quo Dominus dixit: *Ego sum panis viuus, qui de cælo descendi*. Nec exilis panis redditur, sed is, cuius pretium nutriat, tegat, ornet, omnia denique ad vitam necessaria contineat. Gustemus ergo, & experiamur; videamus quoniam bona est Negotiatio hæc; nec permittamus nos à mortalibus, qui summo ardore, intolerabili labore & fatigatione fluxas ac fallaces opes sequuntur, studio, cura, diligentia, industria superari. *Ioan. 6.*

134. Sine hac Negotiatione numquam PERFECTIONEM assequemur. Hæc est, quæ egestatem & indigentiam à nobis expellit, diuitias auget, virtutes conquirit ac cumulat, denique omnis sanctitatis veríque honoris ac PERFECTIONIS fastigium attingit. Cùm enim de examine speciali loquimur, in eo magnum quidem momentum collocamus, quòd eo tamquam censoria quadam dignitate conscientia nostra vtatur, ad rei gestæ statum exigendum, & Negotiationis summam reposcendam; quasi dati & accepti rationes à nobis sibi postulet exhiberi: verùm vbi Negotiatio nulla est, nullæ rationes remanent exigendæ. Pauci simili examine vtuntur, quòd eorum cesset Negotiatio. Examen verò ad hoc seruit, vt inquiratur an fiat Negotiatio, an vigeat; qua diligentia, qua industria; quid prætermissum, quid actum; quo successu, quo fructu. Negotiatio verò ipsa acquirit, meritoque assequendæ PERFECTIONIS primum instrumentum potest appellari: vtitur enim virtutibus omnibus tamquam pecunijs, imò res omnes naturales in vsus suos & lucrum adsciscit. quare, si hæc duo *Negotiationis spiritualis vtilitas.*

strenuè

ſtrenuè gerantur, occaſiones ingentium opum nanciſcemur, & breuiſſimo ſpatio, cum ingenti ſpiritualium opum cumulo, ad PERFECTIONIS culmen perueniemus. Vnum verò ſine altero parum proderit: nam diſcuſſio ſine ſtudio proficiendi inanis eſt, quæſitio verò cæleſtium diuitiarum ſine diſcuſſione flacceſcit.

Negotiationis ſpiritualis obiecta duo.
I.
Perſequitur peccata.
a Rom. 7.
b Collat. 12. c. 2.
Col. 3.

135. Examinis ſeu Negotiationis huius obiecta duo ſunt: quorum primum ex eo corpore peccati conficitur, de quo D. Paulus, [a] *Quis me liberabit de corpore mortis huius?* ijs adiunctis habitibus, quos longo vſu ac conſuetudine peccandi contraximus; de quo corpore loquitur Caſſianus in collatione Cheremonis Abbatis. [b] *Hoc itaque*, ait, *peccati corpus multis vitiorum membris probatur extructum; & ad eius attinere portionem, quidquid vel facto, vel dicto, vel cogitatione peccatur: cuius membra rectiſsime ſuper terram eſſe dicuntur. Huius corporis Apoſtolus membra deſcribens, Mortificate, ait, membra veſtra, quæ ſunt ſuper terram; fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiſcentiam malam, auaritiam.* Hæc Caſſianus. Vocatur autem corpus, quod ex multis membris conflatum, (vt ibidem annotat Caſſianus) quodque compaginatum ac coadunatum ſit, vt partes omnes firmiſſimè cohæreant, vixque modus ſit vnam ab altera auellendi, ni totum corpus diſſoluatur. Quemadmodum enim pro corpore brachia ſe periculo obijciunt, ſicut ceteræ partes pro capitis tuitione: ita pertinaciter vitia omnia ſeſe mutuò iunctis viribus propugnant. Id quoque videmus in rudente, ſeu fune nautico, quem difficulter vel abrumpes, vel ſcindes, ni diſſuas, & in prima fila redigas. Inquirendum ergo in corpus iſtud nefarium: alioquin diſſolutio hæc admodum difficilis eſt; & partes ipſæ ſic permixtæ, vt quodammodo inuiſibiles ac inſenſibiles reputentur. *Delicta quis intelligit?* non enim omni tempore nos prouocant, aut capita ſua foras exerunt. Latitant ſerpentes in cauernis; nec ſemper mordent, niſi fortè in occulto; quia non omni loco & tempore datur occaſio. Scintillæ diu in cineribus conſeruantur ſine luce, ſine fumo: at ſi cineres amoueris, lucent illæ, & vicinas fauillas accendunt, magnumque ſæpe ignem excitant. Ita nobiſcum agitur: ſerpentes gerimus in cauernis animorum noſtrorum, & ſub pœnitentiæ cineribus ignis haud rarò deliteſcit; at vbi nox tentationis aduenerit, egrediuntur ſerpentes & dracones ex antris, mordent, pungunt, cruentāt, dilaniant eos, in quos impetum faciunt; & remotis pœnitentiæ cineribus, dum nobis plus æquo confidimus, nec ſtipulas ſubtrahimus, miramur nos primum hoc igne tangi, deinde accendi, ac denique, qui ſpiritu cœpimus, carne abſumi, & in fauillam ſpirituale ædificium redigi.

Corpus peccati quid.
Similia.
1. 2.
Pſal. 18.
Nota.
3. 4.

a Interni defectus non facilè cognoſcuntur.
I.
A tironibus.

[a] Tironibus familiare eſt, dum in primo conuerſionis feruore verſantur, propter impetum feruidi ſpiritus, qui omnia facilia reddit, opinari ſpecio-

ſpecioſiùs de ſe; nullam vmquam in vlla re fore moleſtiam; prauos habitus nullos, nullos ſerpentes, dracones, viperas, & ſcorpios in ſe ſupereſſe reliquos; ignem concupiſcentiæ planè extinctum, quòd à cineribus contegatur. Dicere tamen de ijs licet illud Lyrici Poëtæ: *Incedis per ignes Suppoſitos cineri doloſo*. Tranſit dies conſolationis, venit nox, occaſiones peccandi, pugnæ ac tentationes; & mirantur in ſe adhuc non modò delitеſcere, ſed & viuere, quos mortuos extinctoſque arbitrabantur.

Idem vſu venire ſolet ſolitarijs hominibus, qui ſine ſuperiore vel directore aut extra communitatem degunt, & in arenam numquam aut rarò prodeunt; magnis pœnis corpora ſua affligunt. Ii magis aduerſarios coërcent, vinciunt, ac concludunt, quàm opprimunt: impediunt nempe ne erumpant; (quod ſatis facilè fit, dum nulla eis erumpendi occurrit occaſio) occulti tamen latitant, imò contingit interdum vt bonis operibus ij ſerpentes alantur, vt in ſuperbia ac imprudenti zelo videre eſt. At vbi cineres excutiuntur, nec in lingua frenum eſt, nec in laudis appetitu modus, nec in ciborum delectu moderatio, nec in ira habenæ, nec in ſenſibus vllis cura; produnt ſe qui latuerant, & in nouo homine veterem & viuere & vigere miramur. 2. *A ſolitarijs.*

Coërcentur etiam ſubditi diſciplinæ ſeueritate, ac ſuperiorum oculo, tamquam clauſtris arctiſſimis, ac cineribus circumfuſis. Si ad dignitates poſtmodum aut officia euehuntur; honores non tam mutant, quàm produnt mores: & magiſtratus non facit, ſed oſtendit virum. quemadmodum medicorum experientia obſeruatum eſt: ſi quis ex humili loco in excelſum montem transferatur, ibi morbus non tam de nouo gignitur, quàm, qui latebat, proditur. Quàm hæc ſunt quotidiana! & quis idipſum in ſe non obſeruat? Si euectus ad dignitates in te non obſeruas defectus tuos, nec agnoſcis; alij plus ſatis & cognoſcent & obſeruabunt, & te tuis veris depingent coloribus. Hi ſerpentes latere non poſſunt, nec ignis non lucere. Id verò neſcietis, quem vel experientia non docuerit, vel virtutis ſtudium & cura, ac vitiorum perſecutio non liberauerit. Ergo in antrum conſcientiæ noſtræ penetrandum eſt; & venari eos oportet baſiliſcos, qui, quia priores nos vident, incautos enecant; & lupos latentes, qui nobis loquendi ac clamandi poteſtatem adimunt. Et licet minimè appareant, ſuſpicari, imò & credere debemus, in cauerna concupiſcentiæ monſtrorum genus omne contegi. Promittit nobis Iſaias (ſi modò ex Deo nati mamillæ cæleſti aſſueuerimus, à voluptatum huius mundi vbere auulſi) omnem ſecuritatem & immunitatem à venenato morſu. *Delectabitur*, inquit, *infans ab vbere ſuper foramine aſpidis; & in cauerna reguli, qui ablactatus fuerit, manum ſuam mittet. Non nocebunt & non occident in vniuerſo* 3. *A ſubditis. Apparent in ijs qui alijs præferuntur. Simile. Iſaiæ 11.*

monte sancto meo: quia repleta est terra scientia Domini, sicut aquæ maris operientes.

2. Obiectum Negotiationis. Studiũ virtutes acquirendi.

Alterum obiectum Negotiationis spiritualis est augmentum virtutum: infunduntur namque omnes virtutes supernaturales in prima hominis iustificatione; sed eo, quo eas accepimus, manent statu & gradu, nisi studio, diligentia, ac operibus augeantur. Itaque Negotiatio nostra primùm conatur nomina seu debita soluere, inopiam pellere; quæ Negotiationis tineæ ac sanguisugæ sunt: tum tota incumbit vt supellex augeatur, ornetur domus, thesaurus coaceruetur, denique mercator egregiè ditetur ac nobilitetur.

CAPVT XXV.

De causa finali Negotiationis spiritualis, nempe spirituali lucro; déque causa eiusdem efficiente: additis aliquot præceptis, quibus feruor & conatus noster excitetur.

Finis seu excellentia ac pretium Negotiationis spiritualis describitur.

136. QVIS sit finis Negotiationis huius, facilè cognoscitur ex ijs quæ diximus: quærit enim mercator lucrum; & sanè, si lucrum non speraret, labores non susciperet. sed lucrum temporale sectatur, nos verò spirituale & æternum: at hoc quantum illo pretiosius! audiamus pretium, illudque concupiscamus. Hac Negotiatione sapientiam acquirimus, thesaurum profectò incomparabilem. at cuius pretij est sapientiæ acquisitio? *Nescit homo pretium eius*, ait Iob, *nec inuenitur in terra suauiter viuentium. Non dabitur aurum obryzum pro ea, nec appendetur argentum in commutatione eius. Non conferetur tinctis Indiæ coloribus, nec lapidi sardonycho pretiosissimo, vel sapphiro. Non adæquabitur ei aurum vel vitrum, nec commutabuntur pro ea vasa auri: excelsa & eminentia non memorabuntur comparatione eius. Non adæquabitur ei topazius de Æthiopia, nec tincturæ mundissimæ componetur.* Quid luculentius dici potest? quid mortalium excitet auaram cupiditatem, si hæc non excitent? Mirum est homines oculos habere, hæc autem non videre nec intelligere; diuitias immortales spernere, persequi fluxas ac fallaces.

Iob 28.

Verùm si sedibus, sceptris, purpura caperis; hæc Negotiatio his maiora assequitur. Audiamus idipsum ab eo qui expertus est. *Præposui*, ait Sapiens, *illam regnis & sedibus, & diuitias nihil esse duxi in comparatione illius. Nec comparaui illi lapidem pretiosum; quoniam omne aurum in compara-*

Sap. 7.

paratione illius arena est exigua, & tamquam lutum æstimabitur argentum in conspectu illius. Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa.

Excellentiam lucri huius paulo pòst idem persequitur prolixiùs. quidam enim præterea scientijs & virtutibus delectantur: has Negotiatio nostra cumulatè acquirit, & longè præstantiora. addit ergo Sapiens: *Hanc amaui & exquisiui à iuuentute mea, & quæsiui sponsam mihi eam assumere, & amator factus sum formæ illius. Generositatem illius glorificat contubernium habens Dei. Sed & omnium Dominus dilexit illam: doctrix enim est disciplinæ Dei, & electrix operum illius. Et si diuitiæ appetuntur in vita, quid sapientia locupletius, quæ operatur omnia? Si autem sensus operatur, quis horum quæ sunt, magis quàm illa, est artifex? Et si iustitiam quis diligit, labores huius magnas habent virtutes: sobrietatem enim & prudentiã docet, & iustitiam, & virtutem; quibus vtilius nihil est in vita hominibus. Et si multitudinem scientiæ desiderat quis, scit præterita, & de futuris æstimat.* & post pauca: *Habebo propter hanc claritatem ad turbas, & honorem apud seniores iuuenis, & acutus inueniar in iudicio, & in conspectu potentium admirabilis ero, & facies Principum mirabuntur me: tacentem me sustinebunt, & loquentem me respicient, & sermocinante me plura, manus ori suo imponent. Præterea habebo per hanc immortalitatem; & memoriam æternam his, qui post me futuri sunt, relinquam.* Hæc Sapiens. *Sap. 8.*

Deus bone! quis hominum auarus est, & non mouetur sancta cupiditate? quis ambitiosus, & hæc decora non æmulatur? *Filij hominum, vsquequo graui corde, vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* *Psal. 4.* Plura de hac re dicerem, nisi magnam partem prioris libri in hoc argumento persequendo consumpsissem. Magnum ergo lucrum est, euadere in dominum sui, mundoque & dęmonibus omnibus imperare, tot diuitijs tantoque thesauro locupletari, quem nobis litteræ sacræ pollicentur; vt insanum esse oporteat aut insensibilem eum, qui hisce promissis non moueatur. Hic finis, hoc pretium est Negotiationis.

137. Deinceps causa efficiens tractanda est. Eam opinantur nonnulli Deum esse; non malè: si tamen arbitrentur nobis esse expectandum, donec Angelus è cælo veniat, qui suauiter dormientes, velut alterum Eliam, excitet, vt comedamus, bibamus, & magnis itineribus contendamus in montem Dei Horeb, grauiter falluntur. non omnibus promiscuè id contingit. Solis Apostolis & paucis alijs missus est Spiritus sanctus in igne & linguis, visibili specie: solis Magis stella, quæ solis totam vincebat decore ac lumine, dux ad Bethlehem sequentibus apparuit: solos Iudæos nubes lucida per diem, & columna ignis per noctem, terram promissionis adeuntes perduxit. Fateor quidem; nemo est qui Deo manus vinciat, vt non possit quamplurimis talia aut etiam maiora conferre: non est tamen via consueta. Præsidia sunt Ecclesiæ *Negotiationis spiritualis causa efficiens.* *3. Reg. 19.* *Act. 2.* *Matth. 2.* *Exod. 13.*

relicta, tum ad vitam animæ consequendam, tum ad eam fouendam, augendam, & perficiendam. Quapropter, etsi superiori libro Deum PERFECTIONIS auctorem ac reparationis parentem descripserimus, nolim ego eum habere discipulum, quem cùm ad negotiandum spiritualiter inuitarim, is mihi respōdeat mandari impossibile; passionibus ad grauissima quæque peccata nos deturbantibus imperari non posse: quòd Deus nulli gratiam tribuat, nisi eam quam efficacē vocant; eam verò non omnibus dari, sed ijs solùm qui secundùm propositum vocati sunt sancti; præter eam nullum auxilium nosse præuium, quo à præcipitio & lapsu retineamur, aut ad bene agendum inuitemur. Quid enim, si nullum efficacem è cælo motum sentias? stertes noctes & dies? libros pios non leges? Sacramenta non frequentabis? verbum Dei non audies? carnem rebellem non coërcebis? occasiones peccandi non fugies? manebis in peccato, quia congruam illam gratiam non habes?

An gratia efficax efficiens causa sit Negotiationis.

1.

2. Non eum quoque libenter habebo discipulum, quem si peccati arguam, is mihi respondeat se non habuisse gratiam efficacem; se immeritò plecti & reprehendi, cùm tentationi resistere non possit sine gratia Dei congrua, quæ ad bene agendum prædeterminet; aliam verò non dari: si iubeatur de præsentia Dei monita mea amplecti, examen quotidie instituere particulare; si omnia sua ad Deum referre, sensibus frenum inijcere, patefacere ac confiteri interiores atque abditas cogitationes & tentationes; Religionis suæ leges, sui superioris mandata, ordinem denique seruare domesticum; ad singula respondeat, gratiam sibi congruam deesse, nec aliam dari; hanc verò habere, in sua non esse potestate. Quidquid sit de ea opinione, illa profectò instituto nostro parum conuenit: imò cùm olim inter varios periculosè serperet, occasio fuit B. Augustino scribendi librum De gratia & libero arbitrio ad Valentinum & cum illo Monachos. Quàm verò hæc sit viris Religiosis & PERFECTIONIS amatoribus perniciosa opinio, fusè docet toto libro De correptione & gratia ad eosdem; de quo sic in Retractationibus: *Rursus ad eosdem scripsi alterum librum, quem De correptione & gratia prænotaui: cùm mihi nuntiatum esset dixisse ibi quendam, neminem corripiendum, si Dei præcepta non facit; sed pro illo, vt faciat, tantummodo orandum.* Quæ vox nata erat ex ista de gratiæ efficacitate sententia. Quid enim proficio in tradendis præceptis PERFECTIONIS, in hortando homines ad feruorem, ad diligentiam impellendo, si non possit quis excitari sine gratia efficaci; nec ea haberi, nisi ab æterno Deus eidem preparauerit ac prædeterminauerit immittendā certis momentis & occasionibus; & quidem sic, vt numquam opus illud facturus sit, nisi gratia illa voluntatem eius ita præueniat & præmoueat ac prædeterminet? Quod si non fiat, certò mihi constat eum nullam omnino habuisse

Lib. 2. cap. 67.

buisse gratiam; alioqui, si habuisset, illa fuisset efficax, opusque ipsum effecisset.

Quid etiam talem hortor, cùm ne hortari quidem possim sine periculo erroris, quem D. Augustinus Pelagio meritò attribuit? Si etenim nihilominus incitem ad PERFECTIONIS studium, nec possit illud assequi, quòd ei gratia desit congrua; si (inquam) hortando premam, si vrgeam, vt viribus saltem naturæ PERFECTIONIS culmen petat ac conscendat; respondebit me esse Pelagianum, cùm certum sit, non modò nullum PERFECTIONIS, sed ne vel vnum salutis opus sine Christi gratia vllo modo confici posse. *Tomo 6. & 7. varijs libris.*

138. Hæc quin commemorarē, prætermittere non potui: cùm enim quadam occasione quempiam non meæ togæ perbenignè à vitio deterrerem; mihi is succensuit, existimans monitionem meam reprehensionem esse; quam tamen pati tenebatur, & meritò, quia reprehensibilis erat, & id ex officio meo mihi incumbebat. Is erat vir pius, nec indoctus: ratus tamen est sibi iniuriam irrogari, quòd quasi reprehenderetur, vbi nulla reprehensionis causa sibi adesse videretur; quandoquidem Deus omnibus suam gratiam non largiatur adeò congruè, vt peccata vitari possint; nec deesse qui idipsum doceant ac constanter tueantur. Obstupui, fateor, & ex animo indolui, grauissimis nefandisque peccatoribus videri sententias nostras scholasticas patrocinari; eoque ventum esse, vt nec blasphemi, nec ij qui à S. Paulo capite primo ad Romanos depinguntur, homicidæ item, & prędones profligati, in vtroque foro reprehendi possint, quin patrocinium impietatis scelerumque suorum ex Theologiæ petant fundamentis.

139. Qui ergo aliquid volunt proficere, sentiant benigniùs, nihil non facile à nobis proponi; gratiam omnibus dari sufficientem, vt quotidie orare valeant, & dicere, *Pater noster, qui es in cælis, dimitte nobis debita nostra; ne nos inducas in tentationem*: hanc verò gratiam, parituram efficacem, vt Dei voluntatem faciamus, in tentationem non inducamur. Et quamuis ad orandum, ad credendum, ipsi impares nos sentiamus; non impares tamen sumus per eam gratiam, quæ omnibus datur, ad dicendum: *Credo Domine, oro Domine; sed adiuua incredulitatem & infirmitatem meam*. quod si non possit, omnino non video quibus præceptis quispiam astringi debeat, siue diuinis, siue humanis; video autem posse quemlibet respondere: Nihil possum sine gratia efficaci; eam verò non habeo; parēre ergo non est mearum virium. Verùm *omnia possum in eo qui me confortat*. Facienti quod in se est, benignissimus Dominus non denegat gratiam: pulsat ad fores nostras, vt ingrediatur, cœnetque nobiscum, & nos cum eo. Cum hac ergo gratia sufficienti, ad inchoandum feruor noster excitandus est; præsidiaque arripienda, *Matth. 6.* *Philip. 4.* *Apoc. 3.*

quæ Deus nobis Ecclesiæque suæ reliquit.

140. Quidam verò à recenti conuersione summo ardore feruntur, vt ascendant in palmam, & apprehendant fructus eius: alij à feruore primæ conuersionis in tepiditatem degenerant: alij denique, quid sit feruor, vix vmquam sunt experti. Primorum condicio admodum fauorabilis est, & profectui opportuna, si modò directorem admittant, & procedant prudenter: tepidorum negligentia suscitanda est, excitanda frigidorum, ijsdem pæne præceptis, quorum aliquot hîc tradenda sunt.

Cant. 7.

Præcepta quædam ad feruorem excitandũ.

1. In primis magni faciant PERFECTIONIS decus & dignitatem: perpendant diligenter quæ ex Salomone præcedenti capite, & in superiori libro de excellentia, splendore, ac insignibus Caritatis fusissimè disputauimus; ex hoc namque fundamento cetera pendent.

2. Alterum præceptum est acquirendo feruori idoneum, vt in animo excitetur ingens amor PERFECTIONIS, tamquam summi boni quod in hoc mundo haberi possit: in quod tot excellẽtiæ, pulchritudo, bonitas, diuitiæ & opes, deliciæ ac quies confluunt, vt præ illo lutum cetera debeant æstimari.

3. Tertium ex duobus hisce promanat, vt totis viribus, conatu, industria, cura, ac diligentia ad brauium virtutis capessendum, quod admodum pretiosum reputamus, indefessè feramur. Hoc facit amor, vt bonum, quod diligit, possidere cupiat: si præsens non sit, desiderio fertur; & tanto quidem, quantus amor ipse sit. Amor ingens ingentem parit conatum ac desiderium, vt eleganter Augustinus. *Sicut amor*, inquit, *immundus inflammat animam, & ad terrena concupiscenda & peritura sectanda vocat, & in ima præcipitat, atque in profunda demergit: sic amor sanctus ad superna eleuat, & ad æterna inflammat, & ad ea quæ non transeunt, neque moriuntur, excitat animam, & de profundo inferni leuat ad cælum. Habet tamen omnis amor vim suam, nec potest vacare amor in anima amantis: necesse est vt ducat. Sed vis nosse qualis amor sit? vide quò ducat. Non enim monemus vt nil ametis, sed monemus ne mundum ametis; vt eum, qui fecit mundum, liberè ametis. Obligata enim anima amore terreno, quasi viscum habet in pennis, volare non potest: mundata verò affectibus sordidissimis sæculi, tamquam extensis pennis, & duabus alis resolutis ab omni impedimento, id est, duobus præceptis dilectionis Dei & proximi, volat. quò, nisi ad Deum ascendens volando, quia ascendit amando?* Hæc Augustinus.

Vis amoris in prosequendo bono cupito.

In Psal. 121. in proœmio.

Ex desiderio ergo metiris verum constantemque amorem; qui si illico bono cupito non fruatur, affligit animam, auctore [a] Gregorio. *Sancta desideria*, ait, *dilatione crescunt; si autem dilatione deficiunt, desideria non fuerunt*. In eandem sententiam [b] Ambrosius: *Quo diutius abest qui desideratur, eo expectantis desideria maiori quadam vi amoris ignescunt.*

a *Homi 25. in Euang. post initium.*

b *In Psal. 118. ad vers.* Defecit in salutare.

Caro

Caro deficit, sed cupiditas alitur & augetur. Constans ergo amor constanti desiderio fertur.

Quid si desiderium quidpiam assequitur in hoc genere, acquiescétne propterea? Nequaquam. aliquid obtinuit quidem; sed vastissimum immensumque est, quod amor iste prosequitur: duplex enim brauium ab amore quæritur; in hoc mundo alterum, alterum in futuro sæculo. Illud quod altero sæculo possidebitur, *oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit*: cogitari potest, desiderioque attingi; capi verò, teneri, comprehendi, & pro magnitudine æstimari à mortalibus non potest. Tanta autem est PERFECTIONIS vitæ huius amplitudo ac sublimitas, vt, quocumque tandem conatus pertingat, culmen extremum numquam assequatur: quin etiam eo se minus cepisse reputabit, quo plus adeptus fuerit; desiderijque angustias boni adipiscendi immensitas obiecta irritat magis, & ad persequendum prouocat.

Perfectionis studium atque amor terminũ non habet.

1. Cor. 2. Isaia 64.

141. Verùm quanto studio, quo ardore tantum bonum quæri debeat? *Si quæsieris eam*, (sapientiam nempe) ait [a] Salomon, *quasi pecuniam*. Parum hoc est, si vtriusque obiecti boni fiat comparatio: sed satis sit, si quis PERFECTIONEM quærat, sicut mortales ad pecuniam anhelant. Quemadmodum hi, qui per insaniam mente translati sunt, non iam res ipsas, sed passiones suæ phantasiæ vident: ita etiam mens auari, semel vinculis cupiditatis astricta, semper se aurum, semper argentum credit videre, semper reditus computat; aurum libentiùs quàm solem intuetur; ipsa eius oratio & supplicatio ad Dominum, aurum quærit. Ita ergo insanias ad acquirendas opes spirituales, vt quidquid egeris, videris, audieris, pulchritudinem virtutis videaris intueri, illam optare, illam complecti.

Quo ardore quærenda sit Perfectio.

a Prou. 2.

Simile.

Ex omnibus lucrum aliquod quærito, siue manduces, siue bibas, siue ludas, siue domum adeas sapientis, siue fatui ac dementis, suisque lasciuijs ineptientis: ex omnibus fructum aliquem colligas ac reportes; in vno virtutis venustatem comprobando, vitij turpitudinem detestando in altero; imitando probos, iuuando infirmiores; tibi de beneficio vocationis gratulando; Deo denique in omnibus agendo pro viribus gratias, qui te è luto sæculi huius nequam in admirabile lumen suum familiamque transtulit.

142. Hoc quoque, pro quarto præcepto, à mercatoribus feruoris mutuari oportebit, quod superiori libro exposuimus, in multis, magnis, ac pretiosis rebus mercari: lucrum enim & maius est, & genus Negotiationis nobilius atque iucundius. Venditio magna est, omnia sua distrahere, ac pauperibus, Christi amore, distribuere: contractus excellens, corpus suum in perpetuam castitatem æterno Sponso tradere: nobiles merces sunt, potentias animæ, imò & animam ipsam in obsequium diuinæ

Præceptum 4. Mercari in rebus pretiosis.

uinæ Maiestatis transferre; vitam, omniaque mundi solatia, amantissimi Domini nostri IESV Christi causa profundere, aut animi præparatione, aut re ipsa; omnia studia, affectus, ac desideria in vnum Deum, tamquam fidissimum amicum, redigere, in eoque perpetuo amoris nexu concludere. Hæc Negotiatio, vt rerum magnarum multarumque, fructum parit incomparabilem: ei verò vendimus, qui luculenter pretium persoluit, nec differt ad horam; magisque lucro nostro, quàm profectu suo, quia nulla re indiget, delectatur.

Præceptum 5. In omnibus rebus esse merendum, ac quærendam Perfectionem.

143. Locupletes quoque mercatores (vt vltimum præceptum subijciamus) plures mensas diuersis locis tenent per institores. Et nos negotiemur non modò per nos, sed per quoscumque alios, vbique locorum, quibus Dei obsequium promouere possumus; siue consilio, siue auctoritate, siue subsidijs temporalibus. Cetera quæ ad feruorem augendum spectant, petenda erunt ex tribus superioris libri capitibus finalibus, & ex ijs quæ in posterum dicturi sumus. qui enim feruorem amiserunt, quique eum adepti nondum fuerunt, hi sine labore acquirent numquam: nam etsi Deus peccata nobis remittat, quibus feruor ipse extinctus est; recuperationem tamen illius, labori ac diligentiæ nostræ relinquit. Sine labore terra ante peccatum Adamo flores fructusque pariebat eximios: at non sic, perdita Dei amicitia. Rosas, teste Basilio, sine spinis non inuenies, vt ante primi hominis lapsum: nec proferet suos terra sine sudore fructus: imò *spinas & tribulos germinabit tibi*, quos debeas euellere; terram deinde arare ac fatigare necessum est; oportet serere, occare, metere; denique *in sudore vultus tui vesceris pane* tuo. Sic nobiscum agitur: virtutes nullæ nunc afflulgent sine spinis vitiorum pungentibus. Euelli eas priùs opus est, & aratro mortificationis cordis nostri solum proscindi, semen virtutum spargi, & surculos inseri fructuosos; quos cùm auxeris, facilitatem indues & feruorem. Et hæc quidem de causa efficiente nostræ Negotiationis.

In Hexam. homil. 5. sub med.
Gen. 3.
Ibidem.

CAPVT XXVI.

Negotiationis spiritualis causa formalis explicatur; cum industria prima, quæ est recta intentio, & ab alijs intentionibus duabus distinguitur.

144. AD formam Negotiationis multa referuntur, quæ in ipsa arte concluduntur: sua enim cuiusque disciplinæ ars est, vitæ autem ac Negotiationis spiritualis nobilissima. Ars verò longa experientia collecta, certis præceptis atque obseruationibus continetur: quas dum sequitur mercator, rem magnam præstat; quam perdit is, qui sine arte temere progreditur; variaque tentat incautus media, quæ ruinæ potiùs quàm lucri auxilia æstimanda sunt. Certè minùs vtiliter mercatur, qui hîc aurum, argentum, margaritas, aromata sibi comparat, quæ deuehat in Indias lucri gratia: hîc enim horum inopia, illic magna copia est. rideretur mercator, qui id faceret. Ridendi sunt & ij negotiatores, qui opes terrenas, voluptates, honoresque congerunt, quæ in cælis diuendant: vilescunt enim illic, & contemptui sunt; tum quia stultè mercantur, tum quia melioribus in cælis abundant beati.

Ars Negotiationis necessaria, ab exemplo mercatorum.

Artis est cautè vtiliterque mercari: quapropter obseruationes aliquot, tamquam industrias, constituemus; quibus cognitis, omnes istius formæ partes distinctiùs cognoscantur. Harum prima in intentione consistit; quæ si negotiatori desit, nihil efficiet. Mirandum illud in primis, quòd intentio vendenti vel ementi parum adferat emolumenti, nec merces ideo pretiúmve nobilitet: in nostra verò Negotiatione forma ac nobilitas mercis ex ea pendet, quemadmodum & pretij dignitas. si enim praua intentione operemur, desinunt merces nostræ bonæ esse; fœdæ sunt, & turpes: si verò intentionem adhibemus prænobilem, euadunt statim & merces prænobiles, aureæ, summique pretij. Et hoc nouit locupletissimus mercator emptorque noster; qui non tam rem ipsam considerat, quàm intentionem: vnde quod dicitur, *Et genus & formam Regina pecunia donat*; id de intentione statuendum est, & dicendum, *Et genus & formam Regina intentio donat*.

Industria 1.

Bona intentio actui formam ac dignitatem confert.

145. Monet [a] D. Gregorius, & docet, qua ratione mercari debeamus: cùm enim intentio bona necessaria sit tum ad bonitatem actuum, tum maximè ad eorum excellentiam & valorem augendum; vigilandum suadet, ne aut primis initijs, aut in progressione, aut denique in fine degeneremus; ita enim ait: *Bona nostra tribus modis antiquus hostis insequitur*;

[a] *Lib. 1. Mor. c. 20. in cap. 1. Iob, ad illa verba:* Ne fortè peccauerint filij mei.

Intentio bona sit initio, in progressu, in fine.

vt videlicet hoc, quod rectum coram hominibus agitur, in interni iudicis conspectu vitietur. Aliquando namque in bono opere intentionem polluit, vt omne quod in actione sequitur, eò purum mundumq́; non exeat, quò hoc ab origine perturbat. Cùm enim facilia ad decipiendum corda hominum conspicit, eorum desiderijs auram transitorij fauoris opponit; vt in his, quæ recta faciunt, ad appetenda ima tortitudine intentionis inclinentur. vnde rectè sub Iudææ specie de
Thren. 1. *vnaquaque anima miseræ intentionis laqueo capta per Prophetam dicitur: Facti sunt hostes eius in capite. Cùm verò hi hostes intentionem vitiare non præualent, in via positos laqueos tegunt; vt in eo, quod bene agitur, cor exaltans se, ex*
Psal. 141. *latere ad vitium deriuetur. vnde Psalmista: In via hac, qua ambulabam, abs-*
Ierem. 41. *conderunt superbi laqueum mihi. & Ieremias de quibusdam: Cùm venissent (inquit) ad medium ciuitatis, interfecit eos. Cùm verò antiquus hostis nec in exordio intentionis ferit, neque in itinere actionis intercipit, duriores in fine*
Psal. 55. *laqueos tendit; quos Propheta conspexerat, cùm dixit: Ipsi calcaneum meum obseruabunt.* Hæc Gregorius. Danda ergo opera est ne decipiamur; initio maximè, quia corruptis initijs cetera vitiantur.

Lib. cont. mendac. cap. 7. tomo 4. Illud quoque verum est, quod monet Augustinus. *Interest*, ait, *plurimùm, qua causa, quo fine, qua intentione quid fiat: sed ea quæ constat esse peccata, nullo bonæ causæ obtentu, nullo quasi bono fine, nulla velut bona intentione facienda sunt. Ea quippe opera hominum, sicut causas habuerint bonas seu malas, nunc sunt bona, nunc mala, quæ non sunt per seipsa peccata.* & infrà: *Cùm verò iam opera ipsa peccata sunt, sicut furta, stupra, blasphemiæ, vel cetera talia; quis est qui dicat causis bonis esse facienda, vt vel peccata non sint, vel (quod est absurdius) iusta peccata sint?* Hæc Augustinus, & bene: multi enim præclara intentione, si quid gerunt, turpitudinem sublatam arbitrantur à delicto, sanctique propositi veste se contegunt.

Mala bono fine ac intentione non fiunt bona.

Sine prudentia nullus actus bonus est.

Nulla item intentio cohonestari potest, vbi actio caret prudentia; nullusque actus, hoc duce destitutus, idoneus est, qui virtutis induat venustatem. Nec excusaberis, si dicas te putasse ita agendum esse: respōdebitur enim vicissim, sapientis non esse dicere, Putabam; & Diuus
Rom. 10. Paulus te arguet, dicens te zelum quidem habere, *sed non secundùm scientiam.*

Intentio triplex.

146. De mala seu deprauata intentione non est hîc dicendi locus; sufficiet triplicis generis intentiones explicare. Quidam enim nulla
1. mala intentione agunt, imò nulla: quia nihil ex prouidentia seu animi designatione intendunt, nisi quod temere occurrit. Alij generali qua-
2. dam intentione contenti, omnia sua ad eam referunt; in ceteris haud rarò nituntur natura, intendentes quod eidem bonum videtur: nihil tamen diuinum reuera considerant, etiamsi illis fortasse ita videatur.
3. Alij denique vnicè Deum intuentur, & in ipsum omnes cogitationes facta, dicta, studia dirigunt.

In

In hiſce tribus ſpeciebus multa latent, quæ ſi eruerentur, mortales damna ſua ſentirent, ſibique aliter proſpicerent. Quis neſcit hominum plurimos rariſſimè ad finem aliquem honeſtum facta ſua dirigere? ijs prorſus ſimiles, qui mane proficiſcuntur, egreſſi ex aliqua ciuitatis porta, antequam decreuerint aut etiam cogitauerint quonam ſibi ſit eundum; quare veſperi à domo ſe abeſſe animaduertentes, ſi conſultò agere velint, reuertantur neceſſe eſt. Hi ergo ſemper eunt ab ingreſſu in hanc vitam: de fine ſuo non magis cogitant, quàm ſi nullus eſſet prorſus. Alij dicunt ſe cælum petere, & beatos eſſe velle, & tamen viam ignorant. Ii quoque egreſſi aberrant grauiter; quod non feciſſent, ſi de porta qua egredi, quaque via debuiſſent incedere, fuiſſent ſciſcitati. Sed quàm multi ſunt qui etiam viam norunt, proficiſci tamen renuunt, in eodem ſemper ſtatu permanentes; &, ſi incedere videantur, nihilominus in circuitu profectò ambulant, ad eum locum, vnde egreſſi, ſemper redeuntes! Hi omnes deplorandi veniunt; ſed magis viri nonnulli, qui ſpirituales haberi volunt, quibus cùm duces, impulſores, caſtigatores non deſint, virtutumque exempla præclara aſſiduè obuerſentur, res tamen ſuas ſic agunt, vt rarò quid agant, quò eant; cuius cauſa, quo fine, rariſſimè cogitent.

Intentio temeraria.

Simile.

Quid inde damni, quæſo, oritur? Illud in primis, quòd veſperi, dum quiſpiam redit ad ſe, vacuas manus reperit: non eſt melior quàm mane; nullum è prauis habitibus non dico deleuit, ſed ne attigit quidem; nullam virtutem acquiſiuit, merita nulla collegit. quid ergo emerſit lucri ex omnibus operibus quæ fecit? nihil. Quia cor ſuum (vt hortatur Dominus) non poſuit ſuper vias ſuas, curam nullam habuit internæ domus Dei ædificandæ, crucem ſuam non tulit, ad cælorum montes animum non tranſmiſit; ideoque, quidquid fecerit, nihil profuit. Audiamus Dominum per Aggęum Prophetam hortantem ac corripientem: *Ponite* (ait) *corda veſtra ſuper vias veſtras. Seminaſtis multum, & intuliſtis parum; comediſtis, & non eſtis ſatiati; bibiſtis, & non eſtis inebriati; operuiſtis vos, & non eſtis calefacti; & qui mercedes congregauit, miſit eas in ſacculum pertuſum. Hæc dicit Dominus exercituum: Ponite corda veſtra ſuper vias veſtras; aſcendite in montem, portate ligna, & ædificate domum. Reſpexiſtis ad amplius, & ecce factum eſt minus. quam ob cauſam? dicit Dominus exercituum. quia domus mea deſerta eſt, & vos feſtinatis vnuſquiſque in domum ſuam.*

Incommoda intentionis temerariæ.

I.

Aggæi 1.

Ibidem.

Accedit, quòd deterior euaſerit: nulla enim bona fecit, quæ tamen facere debuerat; ſi quæ verò fecerit, multis erroribus ac vitijs fuerunt aſperſa. Meditatus ſum, ais. ita eſt, ſed ſine ſcopo: ergo ſcopæ diſſolutæ; ergo ſine ſenſu, ſine fructu. Sacrum quoque audiſti, oraſti; at ſine intentione: ergo diſperſo animo, & fortè circumfuſis ſenſibus, ſine præparatione. Multa namque agimus perperam; quia ſine fine debitaque 2.

taque intentione, quæ ſpiritum reuocet, ſenſus contrahat, animum excitet. Eorum pleraque naturalia omnino ſunt, ideoque meriti nihil habent.

3. At quot occurrunt animo vanitates! quàm multa ex ore euolant verba inania! quàm profuſus ad iocos animus! ad cachinnos, detractiones, irriſiones, ſcommata, ſarcaſmos! quàm auidus ad ludum recreationeſque corporis! quàm in ijs aſſiduus! quàm effuſus in cibos! quàm vorax! quàm appetens deliciarum! Nulli ſenſuum clauſi, patet animus omnibus: irrepunt, imò influunt cogitationum riui integri; etiam ſubinde ex lacunis impudicitiæ, qui diutius ſtagnantes, putidam in mentem fœtores inducunt, & per os teterrimam mephitim exhalant. vbi enim Deus non eſt, illuc inuolat Aſmodæus; vbi caſtæ cogitationes locum deſerunt, irrumpunt obſcenæ: & hæc omnia, quia nullum rebus noſtris finem præſtituimus, qui extrema medijs copulet.

Intentio generalis.

147. Alij prouidentiores ſunt, & generalem quendam finem rebus omnibus præſcribunt. Is eſt, quem in baptiſmo conſtituimus; mundo nimirum ac omnibus pompis eius abrenuntiantes, cum propoſito ſequendi, parendique ſupremo ac vero rerum omnium Domino: quod quidem confirmauimus vſu rationis præditi. Alij arctiùs ſeſe aſtringunt, dum per vinculum profeſſionis religioſæ ſemel conſtituunt ſe totos Deo conſecrare: cuius profeſſionis virtute omnia ætatis ſequentis degendæ opera finem & ſcopum accepiſſe, eoque informata eſſe, arbitrantur. Alij propoſitum renouant frequentiùs, vt annis ſingulis. Alij denique mane quotidie ſeſe omniaque ſua Deo offerunt, ſed reliquo diei ſpatio in matutina deſtinatione planè conquieſcunt. Hæc ſanè laudanda ſunt, nec ſuo carent emolumento ſpirituali: multa tamen fiunt in diei decurſu, quæ ex vi illius oblationis non ſic promanent, vt in illa concludi ac comprehendi tamquam in cauſa cenſeantur.

Nihil hîc dico de actionibus ſupernaturalibus: illæ enim ſua etiam honeſtate contentæ perficiuntur, etiamſi finem caritatis non attingant; minùs tamen meritoriæ ſunt, quàm ſi ab eius honeſtate informarentur. actus verò naturales meritorij non ſunt, niſi præcedens intentio cauſa ſit productionis eorum: quod fit, ſi actu referantur in finem alicuius virtutis; vel certè antecedens relatio cauſa ſit illius actionis. ita

2. Sent. diſt. 41. a. 1. q. 3.

Intẽtio virtualis quæ ſit.

enim D. Bonauentura prudenter monet, non ſufficere vt opus virtute referri dicatur in Deum, ſi quis ad initium anni, vel menſis, vel etiam diei, generali quadam intentione referat omnia ſua futura opera in » Deum; ſed neceſſe eſſe vt illud ipſum opus particulare referatur in » Deum, quod poſtea faciendum eſt. tunc enim dicuntur opera virtute » in Deum referri, cùm intentio præcedens eſt vera cauſa operum quæ

poſtea

postea fiunt: vt si quis apud se certò constituat aliquam nummorum » summam propter Deum pauperibus erogare; si postea summam illam » oblata occasione erogat, is dicetur virtute opus suum referre in Deum, » etiamsi, dum pecunias erogat, nihil de Deo cogitet. ita & de ceteris » operibus ex obiecto indifferentibus. »

At quàm multa agimus per dierum decursum, de quibus minimè cogitauimus; quæ si ad trutinam discuterentur, non modò non meritoria, sed ne bona quidem, imò multis næuis respersa censerentur! quæ tamen si in Deum actu referrentur, nouis vestita circumstantijs fructum incomparabilem nobis párerent, & consolationem inexplicabilem. interea sola illa generali intentione contentis natura, quæ in nos magnum habet imperium, frequenter illudit.

148. Hîc etenim naturæ doli ac fraudes detegendæ sunt. *Trahit sua quemque voluptas*, & cuiusque complexio ad sua quæque oblectamenta propendet. Fines suos abditos ac reconditos natura, altera Dalila, pellex, subdola, callida, subtilis, peracuta, sollers, ac malitiosa constituit; qui quia peccati speciem subinde minimè præ se ferunt, nec gratiæ omnino repugnare videntur, in eos fertur pertinaciùs, tantumque tractus ille animi importunus valet apud nos gratia & persuadendi efficacia, vt non tantùm abduci nos ipsi permittamus, sed etiam cæci in fœdos scopulos allidamur. *Intentio fraudulẽta naturæ.*

Et sanè pauci sunt, etiam inter sapientes, quos aliqua insaniæ portiuncula non aspergat; in qua tamen (quod mirum est) sapientiæ nostræ summam interdum collocamus: quam dementiam etsi non videamus ipsi, imò eam, vt simia & vrsus informem catulum, complectamur; emicat tamen adeò, vt non modò videri, sed & palpari possit, meritoque credi, vnicum Deum, & quos singulari priuilegio ipse donauerit, hac labe carere: suos enim quisque patitur manes. De hac culpa loquitur Apostolus, cùm hortatur nos *non plus sapere quàm oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem*: de Philosophis verò, huius mundi sapientibus, sic loquitur apertè, vt ij non tantùm aliquo insaniæ telo tacti videantur, sed etiam stultitiæ fulmine afflati. *Euanuerunt*, inquit, *in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum: dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt.* *Rom. 12.* *Rom. 1.*

Remedium huic malo præsentissimum obedientia est: qua non tantùm iussa facimus, sed & ea vera ac bona esse credimus, quæ alioquin aliter sese habere sentiremus. Qui Superiorem non habent, & liberum in rebus agendis ferunt iudicium, hac labe sæpe inficiuntur. Idcirco sua subinde suspecta habeant iudicia; nec à dignitate sua alienum putent, si conscientiæ suæ arbitrum deligant inconfusibilem, qui sibi verè libereque veritatem denuntiet.

 149. Huic

Intentioni adiuncta malitia seu calliditas affectata.

149. Huic deterrimæ plagæ sæpe sese adiungit alia perniciosior, quæ calliditas affectata nominari potest; aut (si velis) malitia, simplicitati Christianæ planè opposita. Cùm enim ad varia natura propendeat, statuunt sibi nonnulli fines quos persequantur; nec desistunt, donec consequantur. Ad hæc artificijs nectunt artificia; vias duplices & triplices sectantur occultè: & cùm alioquin sat aperti sint, in hoc negotio secretissimi sunt, neminique se manifestant: cumque ingenium, vires, gratia naturalis, & facultas, dicendique copia suffragentur; sic disponunt omnia, vt paxillus sponte semper in foramen suum decidat. Si id quidem ad Dei gloriam, transeat: sed si Deus horum finis non est, sed cupiditas, vanitas, & libertas; calliditas est, & carnis sapientia, quæ deteriori nomine ab Apostolo *Dei inimica* appellatur. non enim Deum spectat, sed seipsam quærit natura, etiam vijs inordinatis ac distortis. Fraus & dolus interuenit non raro, deceptio aliorum ferè semper.

Rom. 8.

Calliditatis ingenium apta Ethopœia describitur.

150. Accedit, quòd nonnumquam aliud animo foueant, aliud labijs enuntient. Loquuntur vt spirituales; rogati de fine modijsque rerum agendarum, communem sensum sequuntur: si quis verò ex ijs quærat quid velint, quid statuant agere, quid magis optent; respondebunt vt putant velle eum qui interrogat. Etsi animo aliter sentiant, ne tamen à conscientia arguantur mendacij, concipiunt generatim euasionem quandam, qua ad omnia sine mendacio, vt illis videtur, contraria menti loqui liceat. Rogati an aliquid iussi egerint, aiunt aut negant, seruato sensu aliquo vero: vt, siquis rogetur vtrùm communicauerit; si communicasse velit qui interrogat, respondebit omnino se cõmunicasse, mente tamen intelliget spiritualiter. item, num cupiat solatiolum aliquod fouendo corpori ac sanitati conseruandæ necessarium; si quem scopum animo gerat, quem impediet huiusmodi indulgentia oblata, respondebit, Nequaquam: etsi mente aliter sentiat. subticet tamen aliquid, quod expressum responsionem veluti conformem reddit.

Quæ quidem ratio cùm in palatinis, qui Principum ac Reipublicæ negotia regunt, dedecore non careat, & sæpe habeat iniustitiam, cùm hac via munera dignitatesque extorquentur; tum in viris spiritualibus (ne quid dicam grauius) admodum est reprehendenda: fœdum est enim agere hypocritam, mendacijs scatere, decipere amicos, animo duplicem esse, tollere leges amicitiæ humanæque societatis, fidei apertissimum bellum indicere, politicum esse, & ad instar labari fluitare, volui ac reuolui.

Ne fallantur hi: mendacium est hac ratione homines decipere; maximè parentes, & eos qui auctoritate in illos, siue sæculari, siue spirituali, pollent. Artificia ista peccata sunt, mendacia, fraudes, & dolus non bonus. hæc eadem Principum curias eneruant, Respublicas corrumpunt,

rumpunt, societates dissoluunt, ruinæ sunt omnis amicitiæ, Religionum pestes, vitæ spiritualis interitus: quæ etsi plurimis noceant, longè tamen ampliùs fingenti quàm decepto præiudicant; & tamen de ijs illi, qui vtuntur, confiteri non solent. Cur ita? Quia vel persuadere sibi nolunt se delinquere, vel non esse mortalia arbitrantur, vel certè nolunt resipiscere. Media quæ finibus his seruiunt persequendis, quia plus peccati præ se ferunt, Sacerdoti ad aurem deteguntur, interdum conscientia stimulante: numquam tamen dicent se artificijs vti, cuniculis serpere, vias simplicitati repugnantes sectari, obedientiam supplãtare, maiores suos decipere. Nihilominus sub hoc secreto velamine persæpe delitescit ambitio, aut alicuius muneris exercendi desiderium, quo ad officium designatum tacitè tenditur; intercessores silentio interponuntur, qui, aliud agentes, fortiter inducunt eos, quorum interest prouidere. Si verò ijdem expectatione sua frustrentur, & ad aliud officium destinentur, quàm quod votis præceperint; illud recusant ac deprecantur multis, adferuntque causas non causas, conscendentes pontem asinorum, è quo præcipites demerguntur non ij qui decipiuntur opinione veri, sed qui decipiunt. Latent & interdum sub eodem pallio vindictæ cuniculi, qui ad dies annosque plures diducti, magno intus igne succenso enormiter erumpunt atque prosiliunt. hinc euentus varij, cædes, seditiones inopinatæ, contra Rempublicam aut Principes secreta consilia ac conspirationes; quæ, quia abditis terræ visceribus conclusæ detegi non possunt, facilè optimum quemque opprimunt incautum, incognito interea aut certè incerto sceleris auctore.

151. Verùm ordinariè fit, vt, vbi maximè prudentes esse volunt, ibi maximè imprudentes, aut etiam impudentes sint, & sapientes hi dementissimè sua molimina deducant. Nec interea putant se videri, cùm confusione plenissimi esse deberent, qua, qui vident, suffunduntur. Sed excæcat cor eorum malitia, vt clarè detecti & ipsi confundantur, & in sua astutia capiantur. *Frustra* enim *iacitur rete ante oculos pennatorum*. *Prou. 1.* *Nihil opertum est, quod non reueletur; neque absconditum, quod non sciatur*. *Luc. 12.* *Spiritualis iudicat omnia, & ipse à nemine iudicatur*. Quid? etiam Angelos *1. Cor. 2.* nos iudicaturos Apostolus denuntiat, quanto magis sæcularia! Persæpe *1. Cor. 6.* *in laqueo, quem absconderunt, comprehenditur pes eorum*. *Psal. 9.*

Quidquid sit de sæcularibus, turpe est Religiosum artificio consilia sua tegere, Prælatos decipere, sapientes esse in oculis suis: sed detestabile, ac ferè blasphemum, ijsdem mentiri, eos supplantare, Spiritui sancto obsistere. *Non mentiuntur homini, sed Deo*. Initio Ecclesiæ, cùm *Act. 5.* vigebat Domini Spiritus, & sanguis Christi IESV feruebat in animis fidelium, Apostoli huiusmodi ingenia ac infidelitatem non ferebant:

Ibidem. vnde seuerissimè Petrus animaduertit in Ananiam & Saphiram; in eorumque fictionem ita detonuit, vt etiam fulminis telo eos confoderet. *Cur tentauit*, ait, *Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui sancto? Quid vtique conuenit vobis tentare Spiritum Domini?*

Praua intentionis damna. Quare inconsultè agunt, qui aliud quærunt quàm Deum: primùm
1. enim produnt se, quales sint; virtutemque suam minùs probantes, diffidentiam in animis Prælatorum suorum ingenerant. Deinde, qui se
2. quærunt, sese inueniunt, non Deum; imò ipsum perdunt: perdunt &
3. seipsos; &, præter virtutis simulacrum, aliud assequuntur nihil. Huc
Iac. 1. facit illud D. Iacobi: *Vir duplex animo, inconstans est in omnibus vijs suis*. Modò enim insinuat se aliquid optare, quod postmodum debeat re-
Iac. 4. tractare. quare eosdem arguit idem Apostolus. *Purificate*, inquit, *corda, duplices animo*. Ecclesiasticus quoque improbat hanc agendi ratio-
Eccli. 3. nem. *Cor*, inquit, *ingrediens duas vias non habebit successus, & prauus corde*
4. *in illis scandalizabitur*, id est, illaqueabitur & offendet: fit enim plerumque, vt, qui duos sectatur lepores, neutrum capiat; & dum per sepes & dumos eosdem temere persequitur, in spinas sentesque sese induit, & pedicas feris capiendis extensas incurrit, è quibus euolui atque extricari non potest; merces enim duplicis cordis ac praui est, scandalizari,
5. offendi, atque illaqueari. Denique impediunt Spiritus sancti directionem, cuius prouidentia eos per Superiores gubernat; sed dum eis sapientiores esse volumus, & comminisci nitimur rationes meliores, tandem in fine errorem nostrum decepti agnoscimus, magno sæpe nostro dolore, sed sæpius maiore salutis ac PERFECTIONIS nostræ detrimento.

Laus simplicitatis. 152. Præclara virtus est Christiana simplicitas, quæ rectè & sapienter
Prouerb. 10. graditur. Profectò, *qui ambulat simpliciter, ambulat confidenter*; id est, non vacillat, non titubat, rectissimè incedit. quod in Canticis laudat
Cant. 7. admodum Sponsus in Sponsa sua. *Statura*, ait, *tua assimilata est palmæ*. qua similitudine intentionis rectitudinem ac firmitudinem appositissimè designat, quæ constans & recta tendit in cælum; quod palmæ proprium est, quæ proceritate & rectitudine inter omnes arbores eminet.
Ibidem. Sed quid vicissim Sponsa ad Sponsum? *Omnia*, inquit, *poma, noua & vetera, dilecte mi, seruaui tibi*. quasi dicat: Te vnum aspicio, tibi vni placere gestio; & quæcumque siue in me, siue extra me sunt, tibi offero; & mentis meæ oculos, ad terrena omnia clausos, in te semper defixos atque intentos habeo; operum meorum fructum vt à te oriri, sic & in te referri, ac pro te asseruari cupio; nihil sine te factura, reseruatura cuncta ad honorem delectationemque tuam.

En ergo secundum genus eorum, quibus in intentione aliquid desideratur; vel quia generales nimiùm sunt ac superficiales; vel quia multa

multa miſcent occulta, quæ nec à Deo oriuntur, nec in Deum tendunt.

153. Qui verò palmæ velint aſſimilari, recteque & in ſublime conſurgere, opus eſt vt ad omnia rectam intentionem habeant; ſic enim diſtinguit Auguſtinus iuſtorum & iniuſtorum ſtudia: *Duo genera* (inquit) *hominum iuſtorum & iniquorum in hac terra, & in hac vita, commixta ſunt. Habent ſingula iſta genera proprias intentiones cordis ſui. Genus iuſtorum conatur in ſublimia per humilitatem; genus iniquorum præponderat ad inferiora per elationem: hoc enim ſe deprimit, vt ſurgat; illud ſe extollit, vt cadat.* Hæc ille.

Intentio quæ recta & ſpecialis dicitur.
Serm. 2. in Pſal. 36. in princip. tomo 8.

Hoc ergo PERFECTIONIS ſtudioſo curandum omnino eſt, vt nihil vmquã in primis praua intentione faciat. Praua autem aut ſiniſtra intentione aliquid agunt, qui vel aliud quærunt quàm Deum, vel quod ad Deum non deducat: vt qui finem aliquem aut vitioſum, aut vanum, aut ſeipſum quærit, & in ſeipſo quieſcit; in quo quietem non eſt quod expectet, *quia feciſti nos, Domine, ad te*, ait Auguſtinus, *& inquietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te*. Hinc monemur frequenter quærere Dominum in toto corde noſtro; inueniri Deum ab his qui quærunt eum. *Quærite Dominum*, ait Vates Regius, *& confirmamini; quærite faciem eius ſemper*. [a] *Lætetur cor quærentium Dominum*. [b] *Quærite Deum, & viuet anima veſtra*. Sed ſatis eſſe non videtur, ſemel, iterum, aut tertiò in die eius eſſe memorem: cùm enim perpetuò memor ſit noſtri; non dormit, non dormitat, non edit; non ſic occupatur, vt à nobis auertat amicos oculos; bonum noſtrum indeſinenter quærit, infinito amore nos diligit; quid magnum reputamus, ſi in omnibus eum quæramus? Numquam ſiniſtre minusque ſincerè aliquid agamus: imò actu nouo ante ſingula opera ipſi placere optemus; ſiue cùm ſingula agere incipimus, quod longè vtiliſſimum eſt; ſiue dum de rebus agendis diſponentes, eaſdem Domino commendamus.

Lib. 1. Conf. cap. 1.
Pſal. 104.
a Ibidem.
b Pſal. 68.
Deum de nobis perpetuò cogitare.

154. Fructus huius exercitij eximius eſt: [c] primùm enim, vt modò diximus, vitia quamplurima, quæ admitteremus, effugimus; [d] vanitatem deinde, quæ omnibus pæne in rebus ſeſe inſinuat, hoc vnicè Deo placendi deſiderio propellimus.

Intentionis particularis fructus.
c 1.
d 2.

Diſcimus quoque homines agere, & lumini rationis operationes noſtras conformare; quæ alioquin belluarum inſtar, quas natura ad paſtum pronas effinxit, à ſola phantaſiæ vel affectionis alicuius impulſu elicerentur. 3.

Accedit, modum hunc operandi omni hominum generi eſſe admodum bonæ ædificationi: emicat enim decorum & neſcio quid venuſtatis in exteriori homine; quam qui viderint, rapi ſe ſentiant, exterioremque hanc morum conformationem & mirari, & ſæpe ad ſeipſos reuocari; 4.

uocari; imò conuerti nonnumquam impios, Deumque laudare. Id insinuat D. Petrus, dum hortatur fideles: *Conuersationem* (inquit) *vestram inter gentes habentes bonam; vt in eo quod detrectant de vobis tamquam de malefactoribus, ex bonis operibus vos considerantes, glorificent Deum in die visitationis.*

1. Pet. 2.

5. Addo, omnium verborum actionumque inanium reddendam esse rationem in die iudicij; quibus sanè scatebimus, si habenas laxemus agendi libertati, nihilque adhibeamus quod fluxam illam vagamque naturæ licentiam contineat.

6. Denique iactura lucri spiritualis, quod ex singulis operibus licet coaceruare in immensum, si modò nonnullam adhibeamus diligentiam, maior est quàm putemus; eamque facilè detegemus, si, quæ capite vltimo superioris libri discussimus, attentè consideremus. Et quamuis virtualis intentio sufficiat, renouatio tamen actum nouum producit, qui præcedenti auctior & nobilior est. Sic Sponsa poma noua & vetera Sponso suo seruat. Sed de his plura inferiùs.

CAPVT XXVII.

Industria secunda: prauos habitus duplici ratione destrui, virtutes multiplicatis actibus augeri.

Habitus ex actibus enasci atque augeri.

155. TRADVNT Philosophi, longo vsu ac consuetudine prauos habitus in hominum animis enasci, sensimque repetitis actibus roborari; quos, vbi radices altiores egerint, difficile sit euellere atque eruere. quod de virtutibus acquisitis etiam statuunt: disponi namque principiò potentias agendo, ac paulatim habitum gigni; qui multo vsu ac frequentatione confirmatus, potentiam ipsam ac facultatem iuuat ad virtutis illius actus faciliùs perfectiusque eliciendos. Ex quo sequitur, eos deteriores esse, & ad malum procliuiores, qui diutius in aliquo scelere inhæserunt, gradus addentes gradibus, quàm qui remotioribus tantùm dispositionibus vitio alicui obligati sunt. Quare, vt hortatur D. Augustinus, quando nascitur cupiditas, antequam robur faciat aduersum te mala consuetudo, elide illam: sed si times ne elisa non moriatur, ad petram elide; *petra autem erat Christus*.

Impotentia consuetudinis.

Lib. 6. Musica, cap. 7. tomo 1.

1. Cor. 10.

Ceterùm consuetudo aut habitus formatus, eodem auctore, quasi secunda & affabricata natura dicitur. Lupus pilum mutat, non mentem: nec vmquam efficies vt recti ingrediantur cancri: denique, vbi

vitium inoleuit, instar naturæ contra rationis motus contumaciter obsistit. quod D. Gregorius eleganter depingit. *Vsitata culpa*, ait, *obligat mentem, vt nequaquam surgere possit ad rectitudinem. Conatur, & labitur; quia vbi sponte diu perstitit, ibi & cùm noluerit coacta cadit.* Hanc depressionem obligationemque vitiorum in Manasse captiuo Rege videre est: qui exire cupiens è carcere, ac faciem in cælum tollere, non poterat, catenis constrictus. *Incuruatus sum*, inquit, *multo vinculo ferreo, & non est respiratio mihi.* Hoc facit peccati seruitus; incuruat hominem in terram, ne cælum aspiciat; comprimit vinculis: nam affectiones ipsæ internæ magna vincula sunt; compressio verò tanta est, vt ne spirationes quidem diuinas inclusus fœtor admittat.

Hom. 31. in Euangel. post medium.

In oratione Manassæ.

Audiamus vinctum aliquem, qui in se expertus malum, illud ipsum depingat, & nobis ad viuum exprimat. *Ligatus eram*, inquit Augustinus, *non ferro alieno, sed mea ferrea voluntate. Velle meum tenebat inimicus; & inde mihi catenam fecerat, & constrinxerat me. quippe ex voluntate peruersa facta est libido; & dum seruitur libidini, facta est consuetudo; & dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas: quibus, quasi anulis quibusdam sibimet innexis, (vnde catenam appellaui) tenebat me obstrictum dura seruitus. Voluntas autem noua, quæ mihi esse cœperat, vt te gratis colerem, fruiq; te vellem, Deus, sola certa iucunditas, non erat idonea ad superandam priorem vetustate corroboratam. Ita duæ voluntates meæ, vna vetus, alia noua; illa carnalis, hæc spiritualis; confligebant inter se, atque discordando dissipabant animam meam.* & infrà: *Sed tamen consuetudo aduersus me pugnacior ex me facta erat: quoniam volens, quò nollem, perueneram.* Hæc Augustinus: ex quo apparet, quanta difficultas sit, prauos habitus, vbi inualuerint, extirpare radicitus.

Lib. 8. Confess. cap. 5.

156. Horum fontes tres potissimùm reperio; quos cùm exhauserimus, de PERFECTIONE aliquid sperare poterimus: sed hoc opus, hic labor est. Primus à natura ipsa ducitur, & vocatur concupiscentia: quam nemo mortalium sine priuilegio singulari potest euadere. Nobiscum eam nasci, nobiscũ concipi, testatur Regius Propheta; qui de ea conquerens, *Ecce enim*, ait, *in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.* & D. Paulus, *Video*, ait, *aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati.* Reatus quidem ac vita peccati illius per baptismum tollitur; affectus tamen permolestus remanet, ad pugnam & exercitium.

Prauorum habituum tres radices seu fontes.

I.

Concupiscentia.

Psal. 50.

Rom. 7.

Hæc verò concupiscentia non vnius vitij habitus est, sed omnium vitiorum radix, fomentum, ac seges. hinc superbia omnibus innata: hinc pullulat libido, & abdominis cura; hinc pecuniæ cupiditas; hinc odij fraterni ac inuidentiæ acerbitas, cæcitatis atque ignorantiæ origo; amor rerum omnium quæ sensibus externis seruiunt, alienatio rerum æter-

Concupiscentiæ effectus atque incommoda.

æternarum, Dei denique ac salutis obliuio. Quare, etsi per consuetudinem ac vsum tyrannis nulla noua accesserit, concupiscentia ex se rudens ille est, de quo antè diximus, ac corpus condensatum peccatorum omnium; arbor vitiorum, ramos longè lateque effundens: sicut enim caritas ramos virtutum omnium producit; ita & concupiscentia peccatorum omnium habitus, radices, ac fibras innumeras continet, ex quibus brachia & membra prolixè sparguntur, & genera & species malorum infinitas effundit nobis, quæ ad agonem iusto Dei iudicio relinquuntur. Heu quis lernam hanc delere valeat; cui si caput vnum abstuleris, centum alia pullulabunt? Idcirco exclamat Paulus: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?*

Rom. 7.

Radix 2. Complexio praua iuncta concupiscentiæ nocet plurimùm.

157. Illud quidem est verum, gratiam Domini nostri IESV Christi magno præsidio esse ad concupiscentiæ tyrannidem subiugandam; sed quid, si naturalis præterea complexio aduersetur? hæc enim ad virtutem apta, multum detrahit de pertinacia ac impotentia concupiscentiæ. Verùm secreto Dei iudicio, etsi iusto, nonnulli condicionem concupiscentiæ deteriorem sentiunt; quòd illa à complexione deterrima, & à virtute abhorrente, vitiorumque seminibus scatente, & nonnumquam ex omni quasi prauorum habituum colluuie conflata, iuuetur & accendatur. Multi namque tyrannidem ac carnificinam experiuntur admodum infestam, eamque continuam; qua ad vindictam excitantur, qua ad obscenas voluptates, qua ad blasphemos conceptus, ad veritatis odium, virtutum fugam; vt bestiarum instar, omnium diuinarum humanarumque legum obliti, in scelerum sentinam dent sese præcipites. Immanes bestiæ hæ sunt concupiscentia, & complexio tetra, & in peccatum procliuis. Neminem tamen clementissimum Dominum perdere velle, prolixè ostendimus altero libro, in quo de hoc argumento egimus latissimè.

Radix 3. Consuetudo.

158. Quid si hisce duabus caudis titionum infernalium fumigantium accedat consuetudinis vis ac improbitas, fons tertius prauorum habituum? quis modus tam horrida & immania monstra superandi? difficile sanè est. Zacharias Propheta talento plumbi peccatum comparat, propter grauitatem. Quòd si longo tempore peccatis quis assueuit, quot talentis plumbi se onerauit! quomodo assurget? qua ratione ad cælos euolabit? alæ gratiæ non modò decurtatæ, sed penitus euulsæ sunt. Sed esto, adsit gratia quam communiter omnibus attribuit Dominus; quomodo concupiscentiæ, naturæ corruptæ, consuetudinis pondere oppressus exurget? quare D. Gregorius: *Quædam* (ait) *quasi conclusionis angustia est, ab opprimente mala consuetudine exurgere velle, nec posse; iam quidem desiderio ad superna tendere, sed adhuc actu in infimis remanere; præire corde, nec tamen sequi opere, atque contradictorem perpeti semetipsum.*

Zach. 5.

Lib. 26. Moral. cap. 31.

metipsum. Hæc Gregorius. Hæc eadem cum gemitu D. Augustinus commemorat. *Rapiebar*, inquit, *ad te decore tuo; moxq́ue diripiebar abs te pondere meo, & ruebam in ista cum gemitu: & pondus hoc consuetudo carnalis*. *Lib. 7. Conf. cap. 17.*

Hæc vulnera omnia sanat Christi Domini nostri IESV gratia: illa nos liberat à corpore mortis huius, datque animos & vires ad exonerandam in primis sarcinam vinculorum, grauium ferro & plumbo, per exomologesim: dat & constantiã ac fortitudinem sustinendi agonem; nec suis athletis deest, vt viriliter pugnent, hostesque & externos & internos profligent atque exterminent.

Nemo tamen fallatur: non abeunt tales hospites, nisi trudantur, vrgeant virtutes ingressum; ideo opus est vt quis altè clamet, & dicat, *Veteres migrate coloni*. nihilominus obsurdescunt, & pertinaciùs resistunt: tantum iuris obtestantur se habere, vt extrudi possessione tot annorum non debeant; non diutius vixisse hominem, quàm cum eodem vixerint; denique, ni pellantur vi, se non egressuros; *meliorem esse possidentis condicionem*.

159. Duplici verò ratione praui habitus propelluntur: altera, cessatione ab opere; altera, actibus contrarijs. Examen particulare, quod priori loco exposuimus, modum habebat abstinendi à lapsu: dissuetudo namque habitum sensim tollit, qui vsu & exercitatione alioquin nascitur & conseruatur. hinc qui instrumenta musica pulsare didicerunt, si longiori tempore intermittant, facilitatem amittunt; imò & artem ipsam planè dediscunt. Sic qui linguis, quas aliquando nouerunt, numquam vtuntur, earum copiam vsumq́ue dissuetudine amittunt. Idem vsu venit ijs, qui peccatis confessione deletis sic abstinent, vt deinceps non relabantur: fit enim vt initio oderint, ab ijs postmodum grauiùs alienentur, denique eorum acriores impetus iam quasi victores non ferant, imò tandem vix sentiant. *Duplici modo prauos habitus propelli. Modus 1. Cessatione ac dissuetudine habitus minui.* 1. 2. 3.

Attamen longum opus illud est; præsertim in vitijs illis, ad quæ cuiusque natura pronior est. Dum examen contra huiusmodi instituitur, & quodammodo virgam vigilantem sensualitas verberq́ue eleuatum ad flagellandum exhorret, timet, subticet, molestias non facessit: at vbi contra aliquem ex his affectibus studium persequendi intermittimus, ad alium intenti; ni vigilemus assiduè, redit asinus ad ingenium: & velut ramus arboris depressus, quàm diu eum deprimis, inclinatur; at si manum amoueas, ad locum superiorem illico resilit, illicq́ue eodem statu, quo prodiit, remanet; tales & nos sumus: mane proponimus, & quasi violenter affectionum nostrarum ramos rigidiores deprimimus; vbi memoriam contentionis huius relaxamus, naturali quodam cursu ad priorem statum reuertimur imprudentes, miramurq́ue *Simile appositum.*

vesperi nos eosdem esse qui mane fueramus. Similiter ad tempus in næuum aliquem inuehimur; quem vbi quasi victores, ad alium transeuntes, intermittimus, eum, quem mortuum putabamus, adhuc viuere experimur.

Modus 2. *Cant. 2.* *Actibus contrarijs destrui prauos habitus.* *Simile.*

160. Alius ergo modus adhibendus rigidior; securis ad radicem defigenda, *tempus putationis aduenit*; venenatis dentibus horum serpentium insidiantium minimè indulgendum. At quæ ratio illa? Eodem nempe modo, quo praui habitus excitantur, etiam destruuntur: actibus nempe contrarijs contrariæ affectiones conuelluntur. Clauus clauo truditur, sed pulsu & concussione opus; non vna tantùm, sed tam diu tundendum, donec prosiliat. Herbæ aut arbores, quæ radices egerunt, quantumcumque eas quotidie tondeas ac præcîdas, ni radicitus euellantur, non moriuntur: sed opus est ferro, quod ipsis radicibus subijciatur. Parcendum ergo nullo modo est, quia hostes non habet homo peruicaciores.

Allegoria Sisaræ. *Iudicum 4.*

Cùm filij Israel addidissent facere malum in conspectu Domini, & afflicti oppressique fuissent annis viginti à Iabin Rege Chanaan, cla-
„ mauerunt ad Dominum. Debbora Prophetis Barac ducem constituit
„ contra Iabin Regem Chanaan. Dei ergo exercitui castra metanti in
„ monte Thabor, occurrit Sisara Princeps exercitus Regis Chanaan,
„ habens præterea secum ingentes currus falcatos. Terruit Dominus
„ Sisaram, & exercitus eius, cecideruntque in ore gladij. Fugientem
„ verò Sisaram Iahel, vxor Haber, obuia excepit, domumque induxit, re-
„ focillatumque haustu lactis operuit. Cùm autem securus dormiret, *tulit Iahel, vxor Haber, clauum tabernaculi, assumens pariter & malleum; & ingressa abscondite & cum silentio posuit supra tempus capitis eius clauum, percussumque malleo defixit in cerebrum vsque ad terram: qui soporem morti consocians defecit, & mortuus est. Humiliauit ergo Deus in die illo Iabin Regem Chanaan coram filijs Israel: qui crescebant quotidie, & forti manu opprimebant Iabin Regem Chanaan, donec delerent eum.*

Hac præclara figura interni hominis status viuis coloribus depingitur. cùm enim malum facimus in cõspectu Dei, eiusque legem & amicitiam deserimus, alieni nobis imperãt: & ij quidem non tantùm regna, ciuitates, & domos, sed etiam abditissimum animi nostri domicilium inuadunt; nominatim concupiscentia, cum vitiorum omnium cohorte: cui præest dux Sisara, id est, videns hirundinem; quo designatur primum peccatum ceteris in nobis prædominans, cuius aspectus non in Deum, sed in hirundines, opiniones, inquam, dictaque hominum, instar hirundinum loquacium, fertur. Heu! quotannis sæpe hic infensus hostis nos opprimit. Clamat Dominus quotidie alta voce ad aures nostras: *Quadraginta annis proximus fui generationi huic, & dixi, Semper*

Psal. 94.

per hi errant corde: ipsi verò non cognouerunt vias meas; quibus iuraui in ira mea, si introibunt in requiem meam. Auersis igitur à Deo, nihil, præter oppressionem huius Sisaræ, expectandum est: at vbi ad Deum ex animo conuersi gratiam obtinuerimus, simul excitabit Dominus Debboram, quæ apem significat. [a] Hæc est voluntas Spiritu Dei roborata, studiosa mellis colligendi ac fauos quasi virtutum, stillantesque loculos internorum habituum conficiendi: quæ ex viribus, facultatibus, virtutibusque exercitum conscribit; & [b] Barac, (quod fulgur significat) caritatis, inquam, ardorem in reconciliatione, tamquam defensorem acceptum, copiarum spiritualium ducem fulminantem constituit: locum verò deligit montem [c] Thabor, qui puritatē significat; ex quo tam amœno opportunoque ad irruptionem faciendam loco, duce ardenter in peccatorum exercitum impetum faciente, Dominus timorem inijcit aduersarijs, ne caritatis fulmen sustinere valeant, sed cadant superbi; auari liberalitatem induant; vanitatisque ornamenta in Ecclesiarum cultum transeant; sobrij sint, qui temulenti; casti ac verecundi, qui aliàs impudentes atque obsceni habebantur.

Virtutes quæ concurrunt ad destructionem prauorum habituum.

[a] 1. *Voluntas gratia Dei roborata.*

[b] 2. *Ardor caritatis.*

[c] 3. *Puritas cordis.*

161. Sed quid? victoria non omnino plena censenda est, quàm diu Principes militiæ supersunt, qui sparsos fusosque colligant, & exercitum redintegrēt. Quis ergo nobis Sisaram interficiet, vt belli reliquias deleat? Iahel (quod interpretamur, destruens) ille est zelus Domini, quam primam condicionem Negotiationis posuimus, qui Sisaræ capiti clauum defigat. Certè similis ei non est. Zelus Domini Sabaoth faciet hæc. In quo genere sui sæpe fecit periculum. Iudæum cum Moabitide impiè fornicantem interfecit: *stetit* enim *Phinees, & placauit, & reputatum est ei in iustitiam in generationem & generationē, vsque in sempiternum.* Idem inflammauit Mathathiam, vt in ciuitate Modin super altari sacrilego immolantem Israëlitem occideret. Scriptum est: *Zelus domus tuæ comedit me.* De Christo hoc prædictum fuerat: hic ergo exegit ac fugauit negotiatores è templo Salomonis.

4. *Zelus honoris diuini.*

Psal. 105.

1. Mach. 2.

Psal. 68.

Ioan. 2.

Sed ad nos redeamus. Delendæ ex animis nostris reliquiæ Moabitidis: quis id faciet? trucidandi scelerati cultores Deorum, quos mente gerimus: quis ad hoc idoneus? fugandi ac propellendi falsi negotiatores, quibus cum carne & mundo negotium: quis id exequetur? Zelus Domini exercituum. Iahel faciet hæc. Sed illi opus malleo. Meritò pœnitentiæ virtutem malleum appellarim. Malleo contunduntur ac mactantur boues, petræ scinduntur ac cauantur; denique malleo clauus intruditur. Hoc facit pœnitentia: sternit enim vno ictu ferocissimos tauros, immania crimina delet; illo corda duriora saxis franguntur, cauantur consuetudinum prauorumque habituum rupes, virtutes suis sedibus postliminio restituuntur atque infiguntur. Ideo Christus dicit

5. *Pœnitentia malleo comparatur.*

Matth. 11.
Luc. 14.

dicit regnum cælorum vim pati, & compellendos homines intrare in conuiuij triclinium. Et quamuis malleus clauum inducat, multaque tundendo alio instrumento conficiat; malleo tamen solo lapides etiam poliuntur ac penetrantur. pœnitentia enim per se expellit internos obices; & clauo alterius virtutis vtitur, vt fortiùs feriat: ieiunat enim pœnitens, orat, Sacramenta frequentat, largitur pauperibus, vt illatæ Dei iniuriæ satisfaciat. eius quoque vi ceteræ virtutes vtuntur, vt hostem suum expellant: læsa namque caritas ad pœnitentiæ remedium confugit; malleum accipit, tundit pectus, internum ciet dolorem, à se exigit pœnas, vt amico reconcilietur. adeò pœnitentia communis virtutibus omnibus ad vitium prauumque affectum deturbandum opportunusque malleus est.

6. Virtutis actus oppositum vitium destruit.

162. Superest clauus Iahelis nostræ, qui in caput Sisaræ defigitur. Est ipse virtutis actus vitium contrarium oppugnans: vt exercitio liberalitatis auaritia, sobrietatis gastrimargia, ira patientiâ, sedulitatis contentione ignauia debilitatur. Quòd si virtutes singulæ ad eruendum prauum habitum adhibeant simul pœnitentiæ vim; cuius est detestari actus præteritos, quibus praua illa affectio prauè defixa est; eo melius. Vult quispiam è mente fastum profligare, animo demisso id à Deo postulat, detestatur simul atque execratur internam illam perniciem, tamquam Domini Dei iuratum hostem, & suum; percutit pectus, corpus flagellat. Potentissima sanè hæc ratio est habitum vitiosum conuellendi: fiat hoc seriò, constanter, ac frequenter, & facilè loco cedet superbia, ceteraque vitia. Imitemur Iahelem, vt percutiamus in tempore; penetremus cerebrum, defigamus vsque in terram. Actibus maximè internis pulsandum est. Tectus est Sisara, ac coopertus. Mala nostra ab interno homine prodeũt; viscera ipsa rimari petique necesse est, & ad terram vsque clauus ipse figendus: ex multis enim internis actibus sensim ipsa pars inferior afficitur, & quasi habitu seu affectione imbuitur, vt in virtutis sensum etiam cum voluptate conspiret ac propendeat; quod facit vsus ac consuetudo. *Quo* enim *semel est imbuta recens seruabit odorem Testa diu:* & ramus inflexus, si diu erigatur, statum rectum retinet: animalia denique homines in gestibus quibusdam imitari, & quasi industriam discunt æmulari. sic & pars hominis inferior clauis hisce sæpius confixa, & quasi nouo odore imbuta, conceptum seruat odorem, erecta stat, & superiorem denique hominis partem æmulatur; vsque adeò, vt plus subinde voluptatis experiatur perpetiendo dolores in virtutum exercitatione, quàm antè iucunditatis hauserat commodis vitiorum perfruendo. Quis credat iuuenculas subinde cineres vel carbones habere in delicijs, ijsque vti tamquam gulæ irritamentis? ita fit, dum in Deum mens tota defigitur: pulso nempe mundi

Similia.

ac carnis affectu, cineribus & pœnitentijs delectatur. Ita sanctus Rex: *Quia* (inquit) *cinerem tamquam panem manducabam, & potum meum cum fletu miscebam.* *Psal. 101.*

163. His igitur exercitationibus humiliat Dominus Deus Iabin Regem Chanaan, vniuersam, inquam, concupiscentiæ phalangem, veteremque hominem, coram Israël, seu homine spirituali; crescitque quotidie, & forti manu opprimit eundem Iabin, qui eum deprimebat, donec deleat eum. Certum enim est, efficaciorẽ modum non esse opprimendi omnes affectus inordinatos, è natura & complexione ortos; fomitem quoque ac concupiscentiam pro condicione status viatorum eneruandi; quàm continua hac concussione, mortificatione, actibus repetitis fortiter & constanter impactis. Sic hostis eiusque regnum æquantur solo, belli delentur reliquiæ, victrixque animus de hostibus gloriosè triumphat. Magna hæc industria est, si tamen par ei respondeat diligentia: quibus verò actibus vtiliùs fieri contingat, internísne an externis, nondum dictum est.

CAPVT XXVIII.

Industria tertia: actus internos ad Negotiationem spiritualem promouendam externis præstare; hos tamen internis subinde plurimùm vsui ac subsidio esse.

164. INDVSTRIA tertia magni momenti est, planeque necessaria, si spirituales velimus euadere: suadet enim nobis vt internè persæpe versemur, ibi domicilium menti condamus, tamquam officinam quandam instructissimam, in qua omnia opera nostra elaboremus. Illic conscientia nostra, illic mens, illic voluntas & memoria, passionesque naturales singulæ, multa continent & bona & mala: vitiorum sedes illic est, & virtutum: vitia quamplurima fortasse, virtutes aut nullas, aut admodum remissas, inueniemus. quod si verum est, quantum operis & occupationis nobis est in eruendis ac euellendis tot peccatorum ruderibus, tot vitiorum fibris! at non minus operæ pretium erit, virtutes comparare, illas inuehere, ac locis suis, quæ vitia occuparunt, reponere. *Conscientia nostra domus & officina quadam.*

Hanc officinam describit eleganter D. Gregorius in illa verba Iob, *Qui ædificant sibi solitudines. Sancti viri,* ait, *qui nihil huius mundi appetunt,* *Iob 3.* *Lib. 4. Moral. c. 34. in initio.*

tunt, nullis proculdubio in corde tumultibus premuntur: omnes quippe inordinatos desideriorum motus à cubili cordis manu sanctæ considerationis eijciunt; & quia transitoria cuncta despiciunt, ex his nascentes cogitationum insolentias non patiuntur: solam namque æternam patriam appetunt; & quia nulla huius mundi diligunt, magna mentis tranquillitate perfruuntur. vnde & rectè dicitur, Qui ædificant sibi solitudines. Solitudines quippe ædificare, est à secreto cordis desideriorum terrenorum tumultus expellere, & vna intentione æternæ patriæ in amorem intimæ quietis anhelare. An non cunctos à se cogitationum tumultus expulerat, qui dicebat: Vnam petij à Domino, hanc requiram; vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ? à frequentia quippe terrenorum desideriorum fugerat, & ad magnam videlicet solitudinem semetipsum contulerat; vbi eo tutiùs nihil extraneum conspiceret, quo incompetens nihil amaret. A tumultu rerum corporalium magnum quendam secessum petierat, quietam mentem; in qua tanto puriùs Deum cerneret, quanto hunc cum se solo solum cerneret.

Psal. 26.

Hæc Gregorius: vbi excellentem officinam bonorum operum, quietisque incredibilis, ædificat; suadens eius inhabitationem, si pacem habere, si mentem cultam & ornatam, si hostes iuratos expulsos, si virtutes acquirere, si Deum hospitem habere velimus. Nec tantùm pax illa præsens est, quando tumultus illi ac motus rebelles absunt, planeque oppressi sunt; sed & expulsio ipsa hostium sua voluptate ac quiete non caret. vt enim victor incredibili voluptate afficitur persequendo fugientem hostem, spolia detrahendo, extrema denique belli delendo; sic & qui victoriæ nonnullam partem in se obtinuit, dum fortunam persequitur, non modò lætandi ansam nactus est, sed & summa voluptate ac gaudio perfruitur. D. Bernardus, adepta prima illa de se victoria, memor consolationum quas pœnitentiæ tempore expertus fuerat, præteritos pœnitentiæ transactæ dies recogitans, eosdem rursus optabat; existimans nullam voluptatem cum ea, quam in pugna illa cum vitijs experimur, esse comparandam.

Simile.

Interna voluptas præstantissima.

165. Sed ideo vera solidaque voluptas illa est, quia in proprio domicilio percipitur, vbi voluptatis omnis regnat auctor. Hîc nos commorari conuenit: *ecce enim regnum Dei intra vos est*, dicit Dominus, non extra; & *omnis gloria filiæ Regis ab intus*. *Animalia quatuor*, de quibus Ioannes in Apocalypsi, (qui sunt quatuor Euangelistæ) *intus plena* erant *oculis*: quibus plena cognitio scientiaque rerum diuinarum, prudentia agendarum ac prospiciendarum, designatur. Eosdem oculos, & multo maiora, nobis optat D. Paulus in interiori homine. *Vt det*, inquit, *vobis, secundum diuitias gloriæ suæ, virtute corroborari per Spiritum eius, in interiorem hominem, Christum habitare per fidem in cordibus vestris, in caritate.* Vult ergo sanctus Apostolus nos corroborari interiùs: quia *is, qui foris est, noster homo* facilè *corrumpitur*; is autem, ait, *qui intus est, renouatur de*

Luc. 17. Psal. 44. Apoc. 4. Ezech. 1. Ephes. 3. 2. Cor. 4.

die in diem; quod fit, dum ſanctis operationibus interiùs virtutes augemus, pellimus ſocordiam, &, quidquid per calorem noxium tentationum feruoris ſpiritualis detrahitur, reparamus.

Hominem internum externo præſtare.

166. Ex quibus colligo, nobiliorem internum quàm externum eſſe hominem: externus enim vnicum corpus regit, internus totum hominem moderatur: internus natura conſtat & gratia, externus natura terminatur: externi facultates corporeæ ſunt maximè, interni planè ſpirituales & diuinæ. Quantum ergo animus præſtat corpori, tantum & facultates animæ corporeis facultatibus antecellunt. Quòd ſi rerum nobilitatem ex ipſarum ortu metimur, nobiliores quoque erunt animæ functiones functionibus corporis: quòd illæ à nobiliſſima anima producantur; hæ verò à potentijs oriantur corporeis, quę facilè & corrumpuntur & falluntur. & quamuis ab humo homo appelletur, à mente tamen & actionibus cæleſtibus, potiùs quàm à corpore terreniſque affectibus, hominis nomen meretur: non enim quia edit, ambulat, mouetur, (quod brutis quoque commune eſt) hominem eſſe decernimus; ſed quia intelligit, bonum honeſtum appetit, æterna deſiderat, diſcurrit mente & cogitatione, atque in ijs rebus, quas beatæ mentes perpetuò verſant, conquieſcit.

Varia hominũ operationes.

167. Operationum enim hominis aliæ [a] à ſolo homine externo ſeu vita animali prodeunt; quales ſunt nutritio, ſomnus, ſenſuum vſus, ambulatio, quæ à mente non pendent: aliæ [b] ſunt omnino internæ; quæ etſi phantaſmatibus à rerum corporalium ſpeciebus acceptis formentur, nullo tamen corporis ſenſu perficiuntur; vt eſt intellectio cogitatio rerum futurarum, aut præteritarum memoria. Quædam miſcentur vtriuſque partis officijs; vt dum ſenſatè loquimur, dum ſcribimus, artificioſeque pingimus. Hæc autem omnia naturæ vires non ſuperant. Supernaturalia quædam, cum gratiæ diuinæ auxilio, ſubinde operamur: quæ cùm corporeis functionibus efficiuntur, externa vocantur; interna verò, cùm exteriùs non prodeunt. Illud etiam verum eſt; quæ exteriùs fiunt, ſi ab animo volente ac prudente non proficiſcuntur, non tam humana quàm naturalia, aut animalis vitæ munia, eſſe cenſenda: vt ſi amens eloquatur, rideat infantulus, dormiens ſcalas conſcendat; quòd libertas abſit, bonitatis nihil in ijs eſſe poteſt. Sæpe fit etiam vt in homine prudente actiones à ſola phantaſia profluant: & licet videre poſſit is quid dicat, quid agat; id tamen non conſiderat, habenis nempe ad agendum imaginationi ſuæ remiſſis. Familiaria hæc ſunt quamplurimis, qui, cùm graue ac laborioſum autument ſibi ſemper eſſe præſentes, remittunt interdum animos, & vix vllum ſuperioris animæ conatum adhibent.

[a] 1. *Animales.*
[b] 2. *Rationales.*
3. *Mixtæ.*
4. *Supernaturales.*
5. *Planè naturales.*
6. *Irrationales.*

Actio externa ab interna dependet.

168. Exploratum verò eſt, actionem bonam nullam eſſe poſſe, quæ à ratione

ratione non oriatur: ea est enim libertatis fundamentum; sine qua moraliter bonum nihil possit æstimari. Interna actio, vt constat, nullo exteriori sensu aut facultate indiget, sed per se totam suam PERFECTIONEM assequitur: non ita externa, quæ quo plura à ratione internisque præsidijs mutuatur, eo in suo genere perfectior est. vnde quo maior libertas, intensior animi conatus, amplior gratia, lumen maius, finis melior, eo etiam actio externa præstantior est.

Quare malè sibi consulunt, qui, toti diffusi ad externa, ab interno homine parum admodum accipiunt. si quod illud sit fortè, naturam non excedit: opus igitur erit naturale; &, si bonum est, bonitatem sortietur naturalem, non aliam; quia tota bonitas exterioris operis à bonitate voluntatis depēdet: [a] id enim solum laude dignum est, atque eatenus commendationem meretur, quatenus à bona, recta, & honesta voluntate proficiscitur; [b] ipsa namque est forma veluti actionis; quodque in se, dum actum enititur, continet, actui suo tamquam proli communicat; & [c] sicut filius matris naturam speciemque sortitur, sic & actus exterior naturam speciemque agentis voluntatis, internique actus, à quo exterior promanat, induit: à se verò exterior nullam formalem bonitatem habet, quæ virtutis nomen mereatur, sed eam omnino ab interno desumit; & ex ea parte, siue actus externus adiūgatur, siue non, nulla bonitatis præterea fiet accessio. vnde sancti Patres tantum meriti bonæ voluntati tribuunt, quando aliud non licet, quantum si opus exteriùs præstaretur. hinc D. Bernardus: *Quid (inquit) plenius, quàm quòd voluntas pro facto reputatur, vbi factum excludit necessitas?* Idem confirmat Marcus Eremita. *Deus*, ait, *actiones secundùm propositum æstimat:* [d] *Tribuat enim, inquit, tibi Dominus secundùm cor tuum*. Idem probat Augustinus [e] de peruersa voluntate sine actu externo. *Vt intelligas*, ait, *libidinem in adulterio malum esse, sicut etiam non contingit facultas concumbendi cum coniuge aliena; planum tamen aliquo modo sit id eum cupere, &, si potestas detur, facturum esse; non minùs reus est, quàm si in ipso facto deprehenderetur.* Philo etiam Iudæus statuit par esse maleficium, patrasse cædem, & decreuisse. cui accinit Satyricus:

Has patitur pœnas peccandi sola voluntas;
Nam scelus intra se tacitum qui cogitat vllum,
Facti crimen habet. ———

Hæc à Patribus, hæc à profanis etiam toties repetita fundamento optimo nituntur: non enim actus exterior bonitatem formalem habet distinctam ab interna, à qua, quidquid boni continet, haurit.

4. Est deinde actus exterior effectus necessariò consequens ex voluntate interiore, sine noua intentione seu progressu in bonum honestum: quid ergo meriti aut bonitatis adderet internæ actioni? meritum enim

ac

Omnis bonitas actus exterioris desumitur à bonitate internæ voluntatis.

a 1.

b 2.

c *Simile.*

3.

Epist. 77. post medium.

Lib. de lege spirit. c. 184. tomo 5. Biblioth. Patrum.

d *Psal. 19.*

e *Lib. 1. de libero arbit. cap. 3.*

Lib. de confus. linguarum.

Iuuenalis Satyra 13.

ac bonitas moralis in illo progressu seu tendentia in bonum honestum consistit.

Denique actus exterior sæpe non est in nostra potestate; virtus autem & omnis moralis bonitas libertati nostræ subest, neque nobis inuitis auferri potest, aut impediri. 5.

169. Quòd si de merito, vel gratiæ augmento, sit quæstio; illud euidens est, corpus ipsum capax esse non posse gratię supernaturalis; cuius sedem esse diximus animæ rationalis essentiam, diffundique in potentias velut in riuulos, ex quibus actiones meritoriæ profluunt. Petat ergo ab anima ratione prædita bonitatem omnem necesse est, sine qua membra nostra à brutorum membris parum discrepant. Ex quo conficitur, omnem honestatem moralem, meritique rationem, ab animi internis motibus esse requirendam. 6. *Opera externa ab interno meritum suum petere.*

170. Illud magni momenti est, nosse vtrùm ab actibus internis, an verò externis, sit inchoandum PERFECTIONIS studium; & vtra actionum alteri præstet. In quo in primis infirmitatis cuiusque habenda ratio est: qui enim primùm ad Deum conuertuntur, sequuntur impulsum spiritus; quem cùm ratione discernere nequeant, quòd sensu magis quàm iudicio nitantur, summa vi in opera exteriora feruntur, quales sunt orationes vocales, peregrinationes, ieiunia; sensimque longo vsu ac experientia in sese redeunt, magnisque luminibus illustrati in spirituales atque excellentes viros euadunt. *An ab externis, an ab internis actibus studium Perfectionis inchoandum.*

Hæc via naturæ planè conueniens est, quæ ab imperfecto ad perfectum procedit. quod in triplici mundi statu perspicuè elucet: primus enim legi naturæ initio homines subiecit, sine alia lege scripta; quam si ducem secuti fuissent, illis gratia ad salutem promouendam non defuisset. Secundo mundi statu Legem scribi placuit, & Synagogam institui, in qua Lex ipsa tabulis reddita legeretur. vtraque ad sui PERFECTIONEM aspirabat; quam verus legislator Christus Dominus addita gratia constituit. hinc D. Paulus: *Primus homo de terra terrenus, secundus homo de cælo cælestis*. & : *Priùs quod animale, deinde quod spiritale*. Cucurrerunt Apóstoli duo ad monumentum, Petrus & Ioannes: hic alterum præuertit, non tamen introiuit prior; sed Petrus, qui auctore Gregorio Synagogam designabat, vt B. Ioannes gratiæ statum. Exuendus ergo primùm vetus homo; induendus postmodum nouus, quo spirituales euadamus: vnde mirum non est, si initio non statim intremus in nos, sed exterioribus actibus occupemur. *1. Cor. 15. Ibidem. Ioan. 20.*

171. Nemo fallatur tamen, ratus opera illa externa sic externa esse, quasi ab interna radice non prodeant: ab intimis medullis, ab vbere ac profusa gratia manant, & animo maximè incenso: ijsque qui recenter ad Deum traducuntur, quadrat quod Salomon de sapientia prædicat, *Interna hominis cōuersatio, feruoris externi causa est.*

Sap. 7. *Omnibus mobilibus mobilior est sapientia*. illa enim tironem suum dum mouet, condiciones ignis illi attribuit; vt animo ac corpore omnia, ad quæ impellitur, summo ardore ac celeritate conficiat.

Non sic qui occupationes quærunt externas, ne internis vacent; & in illis ita occupantur, vt nihil ab interno depromatur. de quibus ait Gregorius: *Dulce est esse in rebus humanis; sed ei qui adhuc de cælestibus gaudia nulla gustauit: quia quanto minùs æterna intelligit, tanto delectabilius in temporalibus requiescit*. Hæc Gregorius. Hi admodũ parum proficiunt, passiones suas numquam domant, opera illa sic facta vix quidquam de praua vitiorum inclinatione detrahunt; quia in interno homine, à quo omnis ratio destruendi prauos habitus profluit, in aduersum vitium nulla vis impingitur. Quare, etsi nonnulli solitudinem ingrediantur, terram fodiant, corpus macerent, addant flagra ac ieiunia; si ab animo ardenti non procedant, hæc ipsa laterem lauant, profectò Æthiopem non dealbabunt.

Super Ezech. homil. 10.

Qui toti exteriores sunt, parum proficiunt.

Itaque malè sibi cõsulunt, suoque Ordini, Superiores Religionum, qui cùm nouitios ad probationem admiserint, de spiritu non sunt soliciti, modò cantum & cærimonias bene addiscant, certasque consuetudines obseruent. Non est mirum, si grandiores facti, & ad professionem admissi, eosdem Superiores contemnant; vanitati ampliùs studeant, quàm profectui spirituali; corporis ventrisque cultum diuino obsequio præferant: quia non à spiritu, sed à littera cœperunt, & in carnem degenerant. Quare optimè monet Augustinus à corde culturam nostram esse inchoandam. *Abscindamus*, ait, *virgulta spinarum de agro cordis nostri, ne desigant in nobis altas radices; scimus enim quòd cor nostrum ager est Domini nostri* IESV *Christi: excolamus eum cælestibus disciplinis, & non sinamus in agro tanti Imperatoris seminari zizania, sed cunctis floribus virtutum decoremus; quia in his delectatur omnipotens Deus, sicut & in Canticis Canticorum legitur: Ego flos campi, & lilium conuallium. id est: Ego decus mundi, & virginitas humilium*.

Carimoniæ Religionis sine spiritu parum prosunt.

Lib. de salut. docum. cap. 34. tomo 4.

Cant. 2.

172. Vbi ergo studiosus PERFECTIONIS assurgit, & aliquid de interna domo, de prauis habitibus, de passionibus, & obfirmata consuetudine, de concupiscentiæ rebellione potest cognoscere; sibi tum demum persuadeat internas operationes externis esse efficaciores, ad pellendas ex animis nostris vitiosas inclinationes. *Corporalis exercitatio*, ait [a] Apostolus, *ad modicũ vtilis est, pietas autem ad omnia vtilis est*. cui si qui operam sedulò dederint, iisdem victoriam de internis hostibus Dominus pollicetur, per Prophetã Isaiam [b] dicens: *Quæres eos, & non inuenies, viros rebelles tuos: erunt quasi non sint; & veluti consumptio homines bellantes aduersum te*. item per Ezechielẽ Prophetam: *Et scient quia ego Dominus, cùm contriuero catenas iugi eorum, & eruero eos de manu imperantium sibi*.

Internas actiones efficaciores esse ad euellenda ex animis vitia, quàm externas.

a 1. *Tim.* 4.

b *Isaiæ* 41.

Ezech. 34.

 173. Vis

173. Vis enim tanta est internarum actionum, cùm ad passiones animi vitiorumque radices euellendas, tum ad virtutes vitijs substituendas, quanta nulla esse potest externorum actuum, vbi præsertim animi contentio negligitur. Rationibus id euadet manifestius. Qui enim in *Rationibus probatur.* seipso commorans internis actibus vitium aliquod cupit euellere, primùm sibi sæpius illud obijcit, deque eo cogitat, eius turpitudinem 1. videt, odit deinde & execratur; quo fit, vt non facilè illud admittat: ex quo id vtilitatis consequitur, vt cessatione vis omnis illius peccati eneruetur, & paulatim concidat.

Accedit, sentes & tribulos hosce in ijsdem facultatibus radicem 2. fixisse, in quibus virtutes ipsæ collocantur; vt pertinacia in intellectu, cupiditas gloriæ in voluntate. Quemadmodum ergo liberè in easdem facultates admissæ sunt; sic eadem libertate pelluntur, & quidem proximè: nihil enim æquè vicinum est vitio, quàm eius domicilium. Canem è domo qua ratione fugabis, si in domo non fueris? Strepitus fieri *Apta similitudo.* potest exteriùs, ad timorem incutiendum; iaci lapides vel glandes; sed non tanges, si se contineat, abdatque intra penates. Canis est concupiscentia, & perpetuò latrat; nec quietem nobis die noctuque tribuit: non expelles foras, etsi corpus tuum sæpe quatias, pectus tundas; timet internum fustem illius domini, apud quem hospitatur. Quare frequenti iudicij submissione, & detestatione pertinaciæ, aut vanæ gloriæ, pelluntur canes isti, cùm se domi malè tractari animaduertunt.

Adde, facultates externas remotiùs vitia tangere, imò nullo modo, 3. nisi ratione internæ operationis, à qua vim omnem accipiunt: nec ex se in vitij destructionem tendunt, nisi ratione internæ directionis ac relationis.

Diuus Paulus fortissimum in hanc rem profert argumentum; vult 4. enim spiritu omnem profectum nostrum contineri. *Si spiritu*, in- *Gal. 5.* quit, *viuimus, spiritu & ambulemus*. quibus verbis statim subiecit: *Non efficiamur inanis gloriæ cupidi, inuicem prouocantes, inuicem inuidentes*. insinuans quòd vbi spiritu ambulare desinimus, & hostem domesticum duriùs tractare, vanitas & æmulatio statim caput exerunt. Item; *Si spi- Rom. 8. ritu facta carnis mortificaueritis, viuetis*. spiritus enim est qui rariùs regnum destruit, & maculas abstergit. vt enim oculi maculam oculus ipse *Simile.* purgare non valet, aut excludere, sed aliena manu opus est; sic nec animus suas maculas: gratia diuina vires addit, vt seipsum iuuet, rodentemque vermiculum expellat.

Christianissimus Galliæ Rex Henricus 4. cùm visitaret cœnobium »
quoddam Carthusiensium, quæsiuit ex probo Religioso eiusdem Mo- »
nasterij, quænam esset differentia inter ipsos, & Societatis IESV Pa- »
tres, in ratione quærendæ PERFECTIONIS. cui ille respondit, se »
suosque

» suosque per carnem spiritum, Societatis Patres spiritu carnem, Deo » rationique subijcere. quo responso innuit, vtramque viam vtilem & salutarem, posteriorem tamen esse compendiosiorem. Ideo Christus *Ioan. 4.* Dominus adoratores suos vult Deum adorare *in spiritu & veritate*. &, *Ioan. 6.* *Spiritus est*, inquit, *qui viuificat, caro non prodest quidquam. Littera occi-* *2. Cor. 3.* *dit*, dicit Apostolus, *spiritus autem viuificat*. denique: *Spiritu ambulate,* *Gal. 5.* *& desideria carnis non perficietis*. Atqui spiritus hic in internis hominis potentijs potissimùm residet, non in corpore: imò caro ac spiritus, vt *Ibidem.* hostes infensissimi, perpetuò confligunt; *caro enim concupiscit aduersus spiritum, spiritus autem aduersus carnem, vt non, quæcumque vultis, illa facia-tis*: quis ergo dubitat interiùs impeti fortissimè, non tantùm facultate naturali, sed spiritus efficacia, ipsam animam imbuentis; cuius est, cor lapideum frangere ac emollire, rupes findere, monumenta aperire, è *Psal. 50.* quibus mortua corpora euolent; *cor mundum creare, & spiritum rectum innouare in visceribus nostris?*

5. Illud quoque momentum habet non paruum: quòd externa opera non omni loco ac tempore occasioneque exercere vel liceat, vel expediat; vt in lecto, in foro, in mensa, in concione, tempore infirmitatis, aut grauioris occupationis. Ligari etiam nobis possunt brachia, lingua amputari, vinciri pedes; quibus omnibus temporibus mens non debet esse otiosa, aut à merendi occasione arceri. & quàm multa præstare possumus, quantas accessiones facere, orationes iaculatorias iacere, ardentiaque desideria, etsi momentanea; quæ si dependerent ab externo opere, numquam fierent!

6. Deus præterea quàm sæpissime cælitus nobis aspirat, submittit auxilia, beneuolentiæ suæ argumenta, quibus excitat socordiam nostram ad bene agendum, ad passiones domandas ac propulsandas; quæ dum *Ad vitiũ euellendum, aut virtutem inserendã, tria maximè valere.* suggeruntur, recipi debent, ne effluat occasio: hæc enim tria fortissimè agunt in vtramque partem, vel vt pellatur vitium, vel vt virtus includatur; facultas nempe humana, habitus supernaturalis virtutis infusus, & aspirans diuini Spiritus gratia: quæ quidem tria si fortiter constanterque contendant, nulla vitiorum tanta est pertinacia, quæ huic virtuti resistere audeat, quæque tanto pondere tandem aliquando non comminuatur.

CAPVT

CAPVT XXIX.

Industria quarta: actus exteriores Negotiationi spirituali non modò vtiles esse, sed etiam necessarios.

Actus interiores per exteriores fieri meliores.

174. FIT interdum actus interior (quæ quarta est industria) longè melior & excellentior, si eidem exterior adiungatur. Contingit enim actus interiores & intendi & multiplicari, crebroque excitari, quando spes affulget operis externi perficiendi; à quibus quispiam omnino desisteret, si facultas non adesset operis. quod 1.
videre est in eo qui Religionis ingressum meditatur: si enim desiderium magnum sit, & spes admissionis affulgeat, creberrimè ea de re cogitatur, augenturque desideria; quæ vt finem assequantur, multa alia opera adhibentur.

Deinde contingit actum internum continuari ac produci ratione 2.
externi operis; qui illico succisus fuisset, si opus externum non fuisset secutum: quod facilè perspicitur in sollemnioribus Ecclesiæ cærimonijs, processionibus, sacrificijs, quibus fidelium pietas fouetur ac retinetur.

Denique contingit sæpe interiorem actum vehementiorem fieri 3.
accendique in externi operis progressu: & quidem id vel ob voluptatem quam quispiam percipit in eo opere, vel certè vt impedimenta perrumpat; vti superiori capite declarauimus in eo, qui peccatis omnibus, quibus seruiebat, euasit superior, & incredibiliter delectatur pœnitentijs & afflictionibus, delendisque peccatorum reliquijs. de quo Rex sanctus ita ait: *Lætabor ego super eloquia tua, sicut qui inuenit spolia multa*. *Psal. 118.* Certè nullus satiatur spolijs diripiendis atque asportandis: & si multa sint, facilè quis sibi noctis quietem subtrahet, vt cupiditati satisfaciat. sic & hi qui eloquijs Dei delectantur, numquam satiantur imitandis aliorum exemplis, pręceptis diuinis & Superiorũ explendis, laudibus Dei decantandis; maioremque in hisce voluptatis fructum capiunt, quàm si spolijs colligendis occuparentur.

Cõmoda operis externi iuncti cum interno, & quæ sint huiusmodi opera.

175. Addo & aliud non vulgare: quòd opus externum per seipsum plurimum commodi adferat, quod opus solum internum non adferret: ex multorum enim operum multiplicatione habiles reddimur ad bene agendum. Horrent nonnulli ieiunium, exomologesin, manifestationem suarum infirmitatum, submissionem alijs faciendam, linguæ 1.
continentiam, solitudinem; qui post nonnullam experientiã magnam

deinde facilitatem consequuntur: hæc namque non tantùm à voluntate pendent, sed etiam à sensu; qui, cùm animalis sit, non tam meditatione & consideratione quàm Praxi flectitur.

2. In voluntatis promptitudine summa subinde rerum ac difficultatis cardo versatur; sed id quidem vbi illa plenum habet imperium. non habet verò in omnia: primorum enim motuum domina non est: non absolutè etiam timoris, lætitiæ, spei, desideriorum, ac tristitiæ vehementioribus motibus imperat, qui tamen exercitatione subijciuntur; non modò internis, sed maximè externis actibus repetitis.

3. Deinde dissidentes reconciliandi sunt; pax inter principes, aut etiam priuatos, componenda. hæc solis animi motibus non fiunt. Siquis in peccatum labatur; siquis excommunicationem aut censuram incurrat; vt absoluatur, signis externis opus est. Siquis martyrij lauream velit reportare, aut ea sacra, quæ ex opere operato gratiam conferunt, administrare vel recipere, indulgentias promereri; siquis subsit dominorum imperijs; non sola mente parendo satisfaciet, sed hos omnes subire illa necesse est, quæ cuiusque rei condicio ac natura requirit.

4. Actus præterea externi conferunt per se ad satisfactionem pro peccatis; quæ non modò in interno dolore & merito, sed etiam in reali corporis pœna consistit, quam actus parit exterior.

5. Denique inter ea quæ coërcenda veniunt, ac reformanda, non vltimum obtinent locum sensus exteriores: qui sola contemplatione non clauduntur, sed magno conatu & vsu. vnde Psaltes Regius, cùm de his loquitur, vult seras & vectes admoueri, propter difficultates; sicut carni frenum ac clauos: quo clarè designatur illa non ita omnino subesse rationis imperio, vt sine loris regi possint. Quid de lingua dicam? quàm grauia, quàm stupenda D. Iacobus de illa loquitur! *Si quis* (ait) *in verbo non offendit, hic perfectus est vir; potest etiam freno circumducere totum corpus. Si autem equis frena in ora mittimus, ad consentiendum nobis; & omne corpus illorum circumferimus. Ecce & naues cùm magnæ sint, & à ventis validis minentur, circumferuntur à modico gubernaculo vbi impetus dirigentis voluerit. Ita & lingua modicum quidem membrum est, & magna exaltat. Ecce quantus ignis quàm magnam siluam incendit! Et lingua ignis est, vniuersitas iniquitatis. Omnis enim natura bestiarum, & volucrum, & serpentium, & ceterorum domantur, & domita sunt à natura humana; linguam autem nullus hominum domare potest: inquietum malum, plena veneno mortifero.* Non ergo quis cogitatione sola fit nauarchus, sic vt valeat tempestatum tempore nauim moderari. Nemo primo ascensu equum domare ferocem, nemo vna aquæ situla immane siluæ incendium extinguere, nemo prima die bestias, volucres, serpentes, ceteraque grandia cicurare potest. Quis ergo

Lingua ac sensuum coërcendorum difficultas.
Iac. 3.

ergo ſola meditatione linguæ barbariem poterit coërcere? At lingua minima pæne pars totius hominis eſt: quid erit de ſingulis membris; de tota carne, inſanoque corpore; quæ perpetuò oblatrant ſpiritui, & ſæpe mordent, & cruento rictu à pugna non dicam recedunt, ſed in nobis deliteſcunt ac commorantur?

176. Vbi ergo quis aſſueuerit Domino Deo in interiori homine; vbi, exacta infantia, loqui cœperit lingua Spiritus ſancti; dabit operam vt Spiritum illum etiam corpori ſuo modo communicet, corporalem linguam eodem igne informet, vt omnes actiones externæ inde inflammatæ prodeant; & ſicut à Rege Reipublicæ gubernatio, à patre-familias ordo rerum omnium quæ domi fiunt, à beſtiarum anima motus membrorum, ita ab anima ſpirituali, quæ vita operum noſtrorum eſt, motus corporis omnes oriantur: tum enim ſermo ſale conditus ſenſatusque reputabitur. Ceteræ functiones continebunt id quod decorum appellamus, & venuſtas quædam diuina in membris omnibus elucebit.

Catalogus operum externorum.

1. Sermones debent eſſe ſenſati.

Similia.

Quapropter expedit orationes iaculatorias, cùm ſoli ſumus, etiam voce pronuntiare: ſic enim attentio maior eſt, & animus diſperſus ac negotiorum mole obtuſior acuitur, & ſingularum vocum ſignificatione retinetur.

2. Orationes vocales.

Adhibendæ quoque ſunt corporales afflictiones; quia aſinus noſter non mouetur commentationibus, ſed ſcutica. Quidquid ſit de alijs, quos ſemper benignè habere, multaque concedere, caritatis eſt; in noſipſos tamen expedit eſſe ſeueriores, adhibita directoris cenſura.

3. Pœnitentia.

Laudes quoque Deo libenter dicendæ & audiendæ. hinc ſancti Patres pſalmodiam tanti fecerunt, vt pleræque Religiones chorum habeant, totumque tempus in Officij cantu dies noctesque conſumant: quæ ſi ab interno homine proficiſcantur, magno fructu & conſolatione ſpirituali fiunt, vitaque illa non tam humana quàm cæleſtis appellanda eſt; cui tamen ſi ſpiritus deſit condimentum, non caret magno faſtidio ac mœrore.

4. Pſalmodia & cantus.

Virtutes quoque omnes, quando occaſio poſtulat, exteriori actu par eſt frequentare: vt (verbi gratia) ad humilitatem acquirendam de ſe loqui demiſsè, honorificè de alijs; in colloquio familiari iudicium ſuum poſthabere alieno; primas alijs libenter deferre ex animo, non emendicandæ gloriæ cauſa; officia humiliora quærere & exercere. Liberales animi ipſo facto benignitatem ſuam probare debent; qui caſti ſunt, omnes occaſiones impuritatis fugere, ſobriè viuere, ſenſus continere: ſi enim intra nos feruor noſter concludatur, ſimiles erimus apibus, quæ in aluearibus remanentes non excurrunt, non inſident, non immerguntur floribus. quid tum? ita quoque fauos non ædificant, ceram non faciunt,

5. Virtutes omnes exteriori actu exercẽda.

Simile 1.

Lib. 8. in Gen. cap. 9. tomo 3. Simile 2.

faciunt, & mel non fundunt. D. Augustinus pulchra similitudine ostendit interna per exteriorem culturam iuuari. *Sicut*, inquit, *in arbore id agit agricultura forinsecus, vt illud proficiat quod geritur intrinsecus: sic in homine secundùm corpus ei, quod intrinsecus agit natura, seruit extrinsecus medicina; itemq́; secundùm animam, vt natura beatificetur intrinsecus, doctrina ministratur extrinsecus. Quod autem ad arborem colendi negligentia, hoc ad corpus medendi incuria, hoc ad animam discendi segnitia: & quod ad arborem humor inutilis, hoc ad corpus victus exitiabilis, hoc ad animam persuasio iniquitatis*. & infrà: *Denique quoniam similitudinem à se culti paradisi in seipso custodire subditus noluit, similem sibi agrum damnatus accepit. Spinas, inquit, & tribulos pariet tibi*. Hæc Augustinus.

Cap. 10. *Gen. 3.*

6. *Virtutis, in qua exercemur, actus externi exercẽdi.*

177. Illius virtutis, in qua nos internè exercemus, aut qua in vitium destruendum incumbimus, probatio præ ceteris externis facienda est: vt, siquis superbiam extinguere mane proponat, non sufficiet internis actibus illam conuellere, sed omni occasione demittet se, ac idonea ad id opera conquiret, oblataque complectetur, ne multa animo concipere, reipsa nihil velle perficere videatur; quod meritò iudicabitur, si data opportunitate, aut etiam non quæsita, speculatione sua contentus sit.

7. *Cultus diuinus promouendus exterior.*

Hoc quoque in negotiatione spirituali cuique curæ esse oportet: vt, cùm de honore Dei promouendo agitur, externus apparatus non prætermittatur; qualis est Ecclesiarum ornamenta ac sollemnitates.

Nec est quòd vox illa exitialis, *Quid dicent homines?* tanti apud nos sit, vt aliquid de officij nostri dignitate atque obligatione prætermittamus.

8. *Correctio inferiorum & fraterna.*

Qui tenentur corrigere, videant ne canes sint muti; sed arguant, increpent, obsecrent cum omni sapientia & doctrina. Quos zelo magno alios incitare caritas iubet, etsi cum aliquo suo incommodo, sibi non parcant, vt Deo obsequium præstent.

9. *Contemnenda vana gloria in actibus externis.*

Quid si vanæ gloriæ stimulus inani timore à publicis actibus, quibus diuina Maiestas honoratur, nos reuocet? constanter agendum est: non enim ea moti cœpimus; haud dubiè nec ideo nos desistere conuenit. Sicui titillatio illa molestior est, conuersa ad Deum mente is eam execretur; tum pergat alacriter.

10. *Cõstanter fides noménque Dei profitendum.*

Constantia quoque opus est interdum, dum vita nostra in discrimen vocatur ad tuendam Dei iustitiæque causam. Maius beneficium homini obtingere non potest, non maior gloria, quàm si Dei causa vitam profundat, aut (quod est proximum) multa patiatur. qui si tam sublimi honore digni non sumus, in re aliqua pro modulo nostro nominis diuini decus ac honorem amplificemus. Gratissimum id æterno Numini obsequij genus est, & (vt cum priuatis actibus conferamus) Chri-

Christiano homine longè dignissimum. Vult enim Deus agnosci, ac publico cultu honorari; illudque honoris genus etiam infidelibus innotescere, vt & ipsi videant Deos suos esse impares Deo vero, *qui faciat mirabilia magna solus*; quique sanctissimus cùm sit, omnique careat turpitudine, alumnos quoque suos sanctos efficere velit, ac mirãda eosdem pro eius nomine suscipere ac perficere. *Psal. 135.*

Quapropter pergratum Deo est studium diuinarum litterarum, eminensque eruditio, qua tota Ecclesia aut certè eius aliqua pars illustretur. II. *Studium sacrarum litterarum, ac insignis eruditio.*

Qui impendunt se etiam hominibus ad suum creatorem vel adiungendis, vel reducendis, non exiguam mercedem sunt recepturi, auctore B. Iacobo. [a] *Si quis ex vobis*, ait, *errauerit à veritate, & conuerterit quis eum; scire debet, quoniam, qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, saluabit animam eius à morte, & operiet multitudinem peccatorum*. Cetera externorum operum genera breuitatis causa prætermitto; satis sit, aliqua exempli gratia, eaque præcipua, posuisse. 12. *Zelus animarum conuertendarum.* a *Iacob. 5.*

178. Mixta hæc opera, interna atque externa, hominem incredibiliter ornant atque perficiunt, qui ad sui compositionem anima & corpore partibus essentialibus constat. Vtriusque Deus auctor est, vtroque ergo ipse honorandus. Vtraque denique pars beatitudine donabitur. Ceterùm mixtio perelegans corporis animæque, cùm in vno Deo colendo conspirant atque consentiunt. Terra vnitur cælo, terrestris anima cælestibus adiungitur: & quid mirum? corpus quodammodo in spiritum commutatur; nihil enim terrenum sapit ampliùs, caduca spernit calcatque omnia, vt tamquam spiritus spiritualia opera cum voluptate exerceat. Quantum decus in moribus! quis splendor in facie! quanta venustas in oculis! quæ oris modestia! vt diuinum odorem sermo spirare, vultus radios fundere, frons, totaque facies, depicta virtutum singularum lineamenta continere videantur. Hoc opus omnium, quæ exteriùs prodeunt, nobilissimum est, & ad permouendos animos atque ad pietatem excitandos potentissimum. Talis erat Domini facies, cuius aspectu, teste Hieronymo, Matthæus pæne priùs captus, quàm vocatus; quare, [b] relictis omnibus, illico Dominum secutus est. Moyses mitissimus hominum ex conuersatione cælesti Angelicam nactus est faciem; nec in eam, cùm è monte descendisset, populus oculos poterat intendere. *Cur actibus tam externis quàm internis operandum.* *Lib. 1. comm. in Matth. cap. 9.* b *Luc. 5.* *2. Cor. 3.*

Narrat Cardinalis à Vitriaco de Maria Ogniacensi rem miram. Dominus Guido, Cantor Ecclesiæ Cameracensis, vir pius, iter faciens deflexit nonnihil vt eam inuiseret; socio, itineris comite, ægre ferente » ac irridente, addito etiam hoc scõmate: Domine Cantor, num muscas » & papiliones, puerorum instar, vis persequi ac comprehendere? Cùm » *In eius Vita lib. 1. cap. 13.*

„ autem Guido sermones cum illa misceret spirituales; socius multa inaniter cùm effutiuisset, tædio denique affectus ob diuturniorem expectationem, accessit Cantorē, moniturus vt finem faceret: & ecce, dum forte in ancillæ Christi vultum oculos defigit, subitò mirabiliter mutatus animo, tantam profudit lacrymarum vim, vt etiam post longum temporis interuallum ab eo loco & eius præsentia ægre posset auelli. Tum Cantor (licet ille præ verecundia latere vellet) animaduertens quid ei accidisset, exhilaratus animo, eumque vicissim irridens, Eamus, inquit; quid hîc subsistimus? fortasse papiliones abigere vis. At ille, vbi post multa suspiria & lacrymas vix inde auulsus esset, ita ait: Ignosce mihi; nesciui enim antea quid dicerem, at modò in hac femina omnipotentis Dei virtutem experientia cognoui.

CAPVT XXX.

Industria quinta: quinque virtutum generibus potissimùm prauos habitus ac passiones exterminari; sed maximè vnius ex illis, caritatis, actibus.

Allegoria Dauidis & Goliath.
1. Reg. 17.

179. PVGNATVRVS cum Goliath Philisthæo, reiectis armis à Saule oblatis, Dauid adolescēs, *tulit baculum suum, quem semper habebat in manibus, & elegit sibi quinque limpidissimos lapides de torrente, & misit eos in peram pastoralem, quam habebat secum, & fundam manu tulit, & processit aduersus Philisthæum. Cùm ergo surrexisset Philisthæus, & veniret, & appropinquaret contra Dauid; festinauit Dauid, & cucurrit ad pugnam ex aduerso Philisthæi; & misit manum suam in peram, tulitq; vnum lapidem, & funda iecit, & circumducens percussit Philisthæum in fronte, & infixus est lapis in fronte eius, & cecidit in faciem suam super terram: cumq; gladium non haberet in manu Dauid, cucurrit, & stetit super Philisthæum, & tulit gladium eius, præciditq; caput eius.* & hæc quidem in pugna illa. Hic verò gladius ad perpetuam rei memoriam repositus est in sanctuario post ephod. Postmodum fugiens Dauid iram Saulis, cùm venisset in Nobe armis destitutus, petijt ab Achimelech Sacerdote num haberet illic hastam aut gladium. Cui Sacerdos, *Ecce hic*, ait, *gladius Goliath Philisthæi, quem percussisti in Valle terebinthi, est inuolutus pallio post ephod: si istum vis tollere, tolle; neque enim hic est alius absque eo. Et ait Dauid: Non est huic alter similis; da mihi eum.*

1. Reg. 21.

180. Dum

180. Dum de actibus agimus quibus vitia exterminantur, virtutes inseruntur; hæc industria prætermittenda non est, virtutes esse quasdam generales, quibus omnia vitiorum genera impugnantur. hæ verò sunt pœnitentia, obedientia, caritas, iustitia: quibus addenda est virtus specialis, vitio, quod persequimur, opposita. hisce enim quinque lapidibus deturbatur immanis illa feroxque bellua, quæ toti Dei populo terrorem incutit. Nec quisquam miretur, si vel vnicam passionem giganti comparem: cùm longè difficilius sit eam, quàm truculentum aliquem gigantem, superare. Quid? vnico iactu fundæ Dauid Goliath prostrauit: heu, quanta moles Dauidi, Bethsabee amores vel declinare, vel derelinquere! Illum gigantem inermis profligauit: hos verò, etiam à virtutibus instructissimus, non modò non declinauit, sed ipsemet prostratus, & quatriduano mortuo similis, perseuerauit in peccato; eidemque crimini crimen nouum homicidij adiecit. *Fortior sanè est qui se, quàm qui fortissima vincit Mœnia: & melior est patiens viro forti; & qui dominatur animo suo, expugnatore vrbium.*

Virtutes generales quibus vitia impugnantur.

Prou. 16.

181. Principiò Dauid tulit baculum suum, quem semper habebat in manibus. Crucis symbolum baculus hic est. Quicumque ergo Goliath aggredi nititur, non accedat, quin priùs crucem accipiat, Christum ducem crucem baiulantem sequatur, & sub vexillo Domini sese militem conscribi curet. Qui stipendia facere sub mundi vexillo prætendunt, idonei non sunt qui pugnent aut vincant. ijs Dominus denuntiat: *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam quotidie, & sequatur me.* Quàm pulchra res, mollem hominem, ac delicatum, bellum in passiones suas aut vitia indicere! Quis speret alterum Samsonem, in Dalilæ sinu dormientem, victoriam contra Philisthæos reportaturum? Tria à nobis exigit Dominus. Primum est, vt abnegemus nos; id est, non magis indulgeamus aut parcamus nobis, quàm summis aduersarijs. Alterum, vt feramus crucem nostrã, & difficultates obuenientes tamquam regni spiritualis sceptrum complectamur. Tertium est, vt Dominum sequamur, eius virtutibus ac vestigijs insistendo; etsi necesse sit sequi per sentes & vepres, per ignem & aquam, in medijs gladijs & flammis: vt (quemadmodum ait Paulus) magnificetur Dominus in corpore nostro, siue per vitam, siue per mortem.

Crucis symbolum, Dauid baculus.

Luc. 9.

Abnegatio sui.

Philip. 1.

182. Crux ista generaliter aduersatur toti exercitui diaboli ac mundi: sed ad manus veniendum, ad singulare certamen; non cum exercitu, sed cum vno particulari (vt diximus) confligendum. Idcirco quinque lapides de torrente sumendi sunt. Torrens iste est, de quo Dominus noster IESVS bibit, teste Dauide: *De torrente in via bibet; propterea exaltabit caput.* Torrentem dolorum hausit copiosè; ideoque clamabat: *Saluum me fac Deus, quoniam intrauerunt aquæ vsque ad animam meam:*

Adiuncta allegoria explicantur.

Psal. 109.

Psal. 68.

Psal. 87. *meam: infixus sum in limo profundi, & non est substantia.* &: *In me transierunt iræ tuæ, & terrores tui conturbauerunt me.* Ex hoc amarissimo haustu quinque noui torrentes pullularunt, è quibus non tam aqua quàm sanguis profluxit; visique in corpore Domini seu lapides quinque, seu vulnera, quibus superbum Goliath aduersariosque omnes expugnauit. Expugnemus & nos: ex his enim omnis fortitudo nostra promitur; & quicumque vincit, in iactu horum lapidum vincit. *Fortitudo mea,* ait ille qui hæc præuiderat, *& laus mea Dominus, & factus est mihi in salutem: lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli.* Hoc enim lapide vti noluerunt Iudæi; nos eo capita inimicorum Regis perfringimus.

Quinque Christi Domini vulnera, quinque lapidibus Dauidis comparantur.

Psal. 117.

183. Sed hi in pera nostra reponendi sunt: quis enim vtetur, si non habeat? Sensus passionum Domini mentes nostras afficiat, & sentiamus in nobis quod & in Christo IESV; virtutesque, quibus par est vti in hoc certamine singulari, reconditæ esse debent in animis nostris: eas habeamus ad manum, & funda iaciamus, & in aduersarij frontem infigamus. Quinque iam nominauimus, easque pæne generales omnes; vel quia omnia peccatorum genera persequuntur, vel quia virtutum omnium honestatem complectuntur. Pœnitentia vitia oppugnat omnis generis; nullumque est, quod acuto hoc lapide iustitiæ vindicatiuæ non conterat ac comminuat. Obedientia vt legum omnium ac præceptorum obseruantissima est; ita, quidquid aduersatur ijsdem, odit ac detestatur. Caritas finis est omnis legis, virtutum omnium mater, vitiorum omnium fortissima profligatrix: nullius sceleris consortium admittit; pugnat tamquam pro aris & focis pro Dei gloria conseruanda. Iustitia verò cum iniquitate pugnat; non modò vbi inæqualitas rei alicuius adest, sed vbi vel Deo, vel homini, vel sibi infertur iniuria. Vltima virtutum particularis est: vitiumque illud oppugnat, cui ex diametro opponitur; vt superbiam animi demissio, libidinem continentia, sobrietas intemperantiam.

Philip. 2.

184. Quinque lapides hi limpidissimi, de torrente, quem bibit Dominus, sunt desumpti; ex quo vim omnem suam ac puritatem hauserunt. Sed quamuis Dauid habuerit quinque, vnico tantùm vsus est, & suffecit. Nos quoque ad feriendum aduersarium hisce quinque vti possumus, & habere necesse est: sed vnica caritas sufficit ad omnia vitiorum genera destruenda; & quidem ictu maiori, quàm si quaque virtute vitio contraria quispiam vteretur. Hoc lapide vsa est Magdalena, ideoque dictum est: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm.* Istud argumentum, quia pluribus prosecuti sumus superiori libro, producere supersedeo. hoc tantùm addam: virtutes illas, quas commemoraui, vel in caritate contineri, vel cum ea commercij habere plurimum.

Vnus lapis, vel vnica virtus, nempe caritas, sufficit ad vincendas omnes tentationes.

Luc. 7.

Virtutes generales ferè easdem esse cum caritate.

mum. nam pœnitentia, quæ reconciliationem cum Deo quærit, caritas est, & amicitiæ adipiscendæ studium: obedientia verò, quæ amici voluntatem exequitur, caritatis pars est præcipua, quæ non tantùm beneuolentia ducitur, sed & amico mandanti promptissimè obsequi parata est; ideo à Doctoribus caritas obedientialis nominatur: iustitia denique virtus vniuersalis ea est, qua iusti dicimur; at verò sine caritate nemo iustus est. Quia nihilominus caritas à singulis forma distinguitur; si quid in alijs sit, quod ad vitia destruenda valeat, illud ipsum accersit, & tamquam telum aut clauum, quo fortiùs feriat, vsurpat. Ferit verò fortissimè, vt primo ictu vitam non modò vni vitio, sed & toti corpori concupiscentiæ viuenti tollat, & quasi magnam molem carneam euertat. quod euidenter accidit in hominis iustificatione; quæ etsi fide, spe, timore, ac pœnitentia paretur, acquiritur tamen caritate, quæ vltimam quasi formam importat.

Caritas obedientialis quæ.

185. Quòd si tanta vis est vnius iactus, vt immanem gigantem viuentem, armatum, fastuosum, & victorijs quasi insolentem prosternat; quid putamus futurum, si centies eundem mortuum, reliquias, inquam, eiusdem vitij, conterat victrix reginaque caritas? Secundo profectò ictu profligaret deleretque omnia, nisi diuina iustitia ad exercitationem luctam hanc nobis relinquere decreuisset. Sed pugnemus audacter; omnes Philisthæi casu huius portentosi gigantis perterriti aufugiunt: tantùm, ne maculam in victoria gloriaque nostra relinquamus.

186. Expedit ergo caritatis gladio hunc hostem truncari, aut solo, aut certè virtutum aliarum coniuncta acie. Exemplo res fiet clarior. Auaritiæ ac cupiditatis radicem oppugnaturus, mane propono tota die in idipsum incumbere, & coram Deo id statuo; omnia item diei illius opera Deo dedico ac consecro, eo maximè fine, vt illi placeam: & quia in me sentio quidpiam, quod arctam cum Deo amicitiam impedit, nempe auri cupiditatem, siue orta illa sit à prauitate naturæ, siue à concupiscentia, siue inducta sit consuetudine, illam detestor, doleoque ex animo me hanc tyrannidem mea culpa incurrisse; & liberalitatis captus pulchritudine, totis viribus in eam feror, Deum per sacra omnia rogans atque obtestans vt mei misereatur grauissimi peccatoris; peccata ætatis præteritæ, & prauam illam cupiditatis propensionem, quam vt pestem execror & abominor, funditus delere ac radicitus exstirpare, eique liberalitatis virtutem substituere dignetur, per merita Domini nostri IESV Christi. Formulam huius generalem ponemus inferiùs.

Iungendi virtutum actus cum caritate. Ratio euellendi prauos habitus.

187. Meminisse verò illius oportebit, quod antè monuimus; [a] vt à capitali seu principali peccato, à quo nempe potissimùm cetera dependent,

a A capitali peccato exercitiũ expulsionis vitiorum inchoandum.

dent, exercitium instituamus: id enim est fundam in caput gigantis infigere; quo quassato, immane corpus ruit; quo prostrato, totus Philisthinorum exercitus funditur fugaturque.

Nec est quòd quispiam arbitretur abunde sibi prospexisse, si quinque habeat lapides in pera animæ suæ, si manum non mittat in peram, si operi manum non admoueat, si non iaciat funda. Stabit profectò Goliath, & te mole opprimet sua. Magna industria est, hostem præuertere, celeritate vincere, percutere citiùs, ne te percutiat; illi occupationem dare, ne te tentatione vel inuoluat, vel etiam opprimat. Hæc sanè ratio est grauissimas tentationes euadendi: dum enim arma paras, & hostem quæris, non est quòd tibi scelus aliquod inopinatò obtrudat; sed ei satis est, si conatus tuos impediat, auocet nimirum ab oratione, à suscepto proposito, ab exercitio hoc, quo videat vires suas debilitari; existimans se nullum facturum operæ pretium, quàm diu in hoc pugnæ genere virtutis studiosus operam ponit.

Ratio grauiores tentationes euadendi.

Multo minùs nos aggreditur, dum, superatis prauis habitibus, virtutibus augendis diligentem operam nauamus. vt enim is, qui forti exercitu alienam patriam inuadit, hosti occupationem dat, qua impediatur oppugnantis prouinciam impetere; nec vallis fossisque arx munitior hosti potest vlla obijci, quàm infestus exercitus, patriam eius deuastans: sic qui acquirendæ PERFECTIONI, destruendis prauis habitibus, virtutum præsidijs acquirendis incumbit, alienam prouinciam inuadit, diaboli regionem exagitat, hoc præsidio interea munit suam; satisque est dæmoni, ne hoc feruore non tantùm sibi, sed & multis alijs prosit, impedire, & à paruis quibusdam officijs auocare, quæ etsi prætermittantur, nihil adhuc militi Christi periculi imminet.

Apta similitudo.

Et hoc est, quod aliquando docuit Eusebius, vir ille sanctissimus, de quo scribit Theodoretus. Hic enim cùm semel in agricolas arantes curiosiùs oculos defixisset; in seipsum ita animaduertit, vt ferreo col-
„ lari ceruicibus iniecto, catenaque ad renes alligata, caput semper te-
„ nere depressum cogeretur: in quo supplicio quadraginta totis annis
„ durauit; quibus numquam se erexit, numquam cælum vidit. Cùm
„ autem quæsitum esset ab eo cur ita faceret, & quam ex eo vtilitatem
„ quæreret; hanc respondit, quòd satanam hostem à magnis prœlijs, vt
„ de libidine aut superbia, ad illa parua traduceret; in quibus etiamsi vin-
„ ceretur, non magnum esset damnum; sin vinceret, eo maius fore sata-
„ næ probrum, qui ne in paruis quidem posset esse superior. Præclarum dictum, & spirituali sanctoque homine dignum: quod idem in eo, quod nunc agimus, valere debet; vt ostendatur, ideo PERFECTIONIS amantes longè abesse à præceptis Dei violandis, grauioribusque tentationibus, quoniam maiora quæque sponte sua, vbi minor est obli-

In hist. Religiosa, seu SS. Patrum.

obligatio, ad Dei obsequium tanto studio obeunt.

188. Quæ autem de caritatis iactu diximus, etsi vera sunt, vt sunt verissima; nihil obest tamen propria quaque virtute internum hostem aggredi atque impugnare: nec id sine fructu futurum confido; nam singularum virtutum actus meritorij sunt, & contrariam propensionem minuunt, eandemque virtutem augent. Nihilominus perfectiores sunt caritatis actus, quòd à nobilissima Deoque præ ceteris gratissima virtute procedant; magisque meritorij, etiamsi sine coniunctione alterius virtutis eliciantur: si verò ex imperio caritatis virtutes ceteræ imperentur; eo maior vis erit, tamquam ab hasta amentata, ad destructionem vitij illius, cuius molimur interitum.

Caritas præ ceteris valet ad interitum vitiorum.

CAPVT XXXI.

Industria sexta & septima: primum inter alia Negotiationis spiritualis officia locum tenere studium diuinæ gloriæ quærendæ; cui plurimùm opitulatur diuinissimæ Eucharistiæ vsus frequentior.

189. ETSI vtilissimum sit (vti modò diximus) statim primis initijs propositum ordinem sequi; hoc est, incipere ab alicuius prauæ inclinationis euulsione, antequam acquisitioni virtutum animum adijciamus: quia tamen, qui recenter interno huic exercitio se dedunt, imbuti adhuc sunt spiritu huius sæculi, planeque frigidi; è re ipsorum erit, (quæ sexta industria est) primùm omnium diuinum spiritum colligere, ac feruorem aliquem acquirere, hoc studio ac conatu, vt in omnibus soli Deo placere intendant; suaque omnia, antequam opus aliquod aggrediantur, breuiter illud quidem, sed suauissimè, ac quàm fieri potest pijssimè, actu Deo offerant; iuxta formulam quam suo loco subijciemus.

Studium diuinæ gloriæ in omnibus actionibus adhibendum.

Rationes huius optimæ sunt. hostis enim nomine non singuli milites tantùm censentur, sed & totus exercitus: & quamuis temerarium videretur, vnum hominem vniuersum exercitum aggredi; vti inconsultè faceret, qui primo quoque tempore singula vitia vellet extirpare; nihil vetat tamen, initio, ad hauriendum spiritum nouum, & concipiendum peccatorum odium, muniendumque sese, in id incumbere, vt spiritum mundi, qui mentem imbuit, affectumque exuamus. etsi

Probatur rationibus.

I.

enim statuerimus Deo seruire, à peccatis abstinere, quærere PERFECTIONEM; remanent tamen nescio quæ opiniones honorum, diuitiarum, amicitiarum sæculi huius, studia item plena vanitatis, propensiones ad iocos, irrisiones: &, quod caput est, hi homines fortè fines numquam sibi proposuerunt virtutum; imò semper res inanes spectauerunt; etiamnum optima quæque detorquent ad curiositates; denique tota eorum intentio, proprij iudicij ac voluntatis, passionum ac desideriorum constitutione nititur: quare foret admodum vtile, si huic tanti mali radici securis admoueretur; imprudentes enim in his frequenter peccamus, defectu animaduersionis. *Simile.* Proditores facilè in vrbem ingrediuntur, & quidem multi & varij, si ad portas aut vigiles non sint, aut certè poculis aut lusui intenti non obseruent. Multa quoque cogitationum affectionumque genera in mentem, in voluntatem peruadunt, quæ non videntur: quia nullus obseruat, quòd quisque proprio amore trahatur atque occupetur.

2. 190. Accedit, sancto hoc puræ intentionis diuinæque gloriæ studio animam sensim purgari & disponi, vt capacior sit nouarum gratiarum atque virtutum: nihil enim sic Deum allicit ad gratiam suam communicandam, vt renuntiatio omnis sinistri amoris, & cura beneuolentiæ eiusdem conciliandæ.

3. Adde, id ipsis initijs esse facillimum tironi imperito, & hoc vnico facilique præcepto ipsum sine multo discursu leuari: nihil enim facilius est, quàm vt eum ames, eius memor sis subinde, qui te infinito amore complectitur, tuique numquam deponit memoriam; *Psal. 33.* *cuius oculi super iustos, & aures eius in preces eorum.*

4. Summi præterea meriti est hæc exercitatio, vtpote quæ ab excellentissima virtutum procedat, qua Deus proximè ac nobilissimè attingitur. Non deest interea benignissimus Dominus animæ purè ac sincerè quærenti se; & præuenit gratia, benedictione, ac consolationibus, quibus tamquam calcaribus incitata, pergat & currat viam consiliorum Domini, & apprehendat, sicut & ipsa à IESV Christo apprehensa est.

5. Huc maximè facit, quòd in studio PERFECTIONIS summo *Rom. 8.* præsidio sit, magno spiritu duci. *Siquis* enim *Spiritum Christi non habet, hic non est eius.* eum namque Christus Dominus dedit suis Apostolis *Ioan. 20.* post resurrectionem suam, cùm insufflauit in eos, dicens, *Accipite Spiritum sanctum*; & vnicè ante discessum promisit, in die verò Pentecostes copiosissimè contulit: quo vno beneficio omnia complexus est, cetera omnia cumulauit; imò nulla meritò putanda forent, quæ Dominus IESVS fecerat, si nos Spiritu sancto destitutos reliquisset. Alterum è duobus reperiri in nobis necesse est, aut Spiritum Dei, aut spiritum mundi:

mundi: non enim hi duo Spiritus ſe patiuntur ſimul eſſe, eademque in anima cõmorari. nam vt vas aliquod pretioſo vnguento pleniſſimum, aërem excludit; fuſo verò vnguento, illico irrepit ac ſuccedit aër: ita vſu venit in animis noſtris; aut enim in ijs diuinus Spiritus ineſt, aut vanus; ſi diuinum effundas, ſuccedit illico ipſi mundanus. Quòd ſi qui ſint gratia Dei præditi, qui reliquias ſpiritus mundani foueant, illi vel breui in grauia ſcelera ruent, vel certè numquam ad eminentiam PERFECTIONIS aſſurgent. *Simile.*

De hoc argumento multa diximus ſuperiori libro, capite de vita ſpirituali: quo oſtendimus omnia ſpiritualia mala ex defectu ſpiritus prouenire. Atqui hac exercitatione quærendæ diuinæ gloriæ omnibus in rebus, hauritur ſpiritus, imbuitur animus, & accenditur: fieri enim non poteſt, vt tot aſpirationibus ardentiſſimè emiſſis ſpiritus non attrahatur; cùm Deus non minùs ſit liberalis in ſufficiendis animæ noſtræ rebus ſpiritualibus, quàm largiendis corpori neceſſarijs. Aſpiranti verò animali Deus aërem non ſubtrahit, ſed quodque animal omni loco & tempore aërem paratum inuenit. Si quis ergo ad Deum aſpiret, ſi Deum inuocet, veniet profectò in eum ſpiritus ſapientiæ; qui ad fores, ad portas ciuitatum, ad compita, imò omni loco & tempore ſpirat, tantumque expectat donec obſtaculum auferatur, vt peruadere poſſit, animoſque replere. Nemo dicat ſe non poſſe eſſe feruentem, ni velit redargui. Fac habeas ſpiritum, quo ferueas: ſi velis, ille ſpiritus flabit, & fluent aquæ. ſpiritum non habes, quem tamen habere potes, ſi reſpirare volueris; ſuffocaris, quia os non aperis: in corde enim tuo latet calor, qui tua viſcera depaſcitur; & non reſpiras? *Cap. 26.*

191. Vltima ratio deſumitur ex induſtria eorum, qui plurimum valent ſcientia militari: cùm enim obſidentur, ſi ciuitas omni ex parte non ſit munita, vt machinarum impetum ſuſtinere poſſit; primùm omnium id ſtudent, vt noti proditores capiantur, ſuſpecti vrbe pellantur; tum infirmioribus, tum alijs locis pluteos, antemuralia, loricas murorum, medias (vt vocant) lunas, aliaque munimenta conficiunt, rati tutiſſimum pugnæ genus non in hoſtem irrumpere imparatos atque imbecilliores, ſed egregiè primùm ſe munire; non defore deinde modum nocendi aduerſario, cùm is nocere non poterit. Nos obſeſſi ſumus vndique; foris pugnæ, intus timores: cùm verò initio maximè infirmi ſumus, & à virtutum vallis minimè ſepti; antequam pugnemus, & impetum faciamus in hoſtem, vtile erit, ad menſem vnum vel alterum recollectioni operam dare, & in noſipſos inquirere. Intus haud dubiè proditores ſunt. ſi ignoti, per exercitium hoc intentionis purgatioris ſe prodent: capiantur illi, vt primo quoque tempore examinata cauſa trucidentur. ſi qui motus ſuſpecti ſubinde erumpant, non admittantur: *6. Apta ſimilitudo.*

valletur etiam animus caritatis muris, arcibus ac turribus ardentiorum desideriorum; vt hosti nocere liceat, nobis verò obesse hostis non possit.

Obseruationes vbi cum vno solo vitio concertandum.

192. Postmodum perduelles aggrediamur; non quidem omnes simul, sed antesignanum vnum aut plures: contingit enim aliquando vt duo, tres, aut etiam plures sint, ob variam complexionis compositionem, & inueteratam consuetudinem pluribus prauis affectionibus seruiendi.
1. Tam diu verò spiritualis miles cum vno congrediatur, donec eum, cum iudicio directoris, aliqua ratione domuisse ac exegisse videatur;
2. vt cum vtilitate ad aliud pellendum tutò possit accedere. Si passio vehemens, aut consuetudo violenta, diutius; si res facilè possit superari, tum breuiori spatio inhærendum.
3. Dum aliud vitium exagitamus, sic intermittatur cura præcedentium, vt diligenter aduertamus an motus exurgant; & quàm acres, aut quàm remissi.
4. Licebit verò ad idem iterum postliminio reuerti, cum fructu, & sæpius.

Eadem ratio est de virtute inserenda. id autem dupliciter contingit: aut enim ea cum destructione vitij inducitur; quod maximè fit, cùm destruendo vitium vnum virtutem contrariam appetimus; aut etiam cùm de ea sola, sine vitij contrarij exagitatione, exercitium instituimus, proponendo virtutem aliquam adipisci certo temporis spatio, immenso desiderio in virtutis cupitæ honestatem intendentes, & à Deo postulantes eius incrementum; quo magis ei placere valeamus, & ad eius obsequium paratiores inueniamur. hæc omnia ex formula subiecta distinctè cognoscentur.

Index omnium vitiorum & virtutum, quæ in examine particulari tractantur.

193. Hîc locus esset, indicem omnium vitiorum & virtutum, quæ in Negotiationem spiritualem veniunt, texere; sed id nimis longum est. Quisque nosse debet vitia defectusque suos. examina præterea conscientiæ scripserunt multi, ex quibus vnusquisque, quod sibi videbitur proprium, desumet. vtiliter quoque de ratione vitiorum destruendorum scribi posset, vti & de virtutum Praxi, in particulari; sed primùm generalia præcepta tradenda fuerunt. Interea initio prioris libri posuimus virtutes præcipuas Christi Domini, exemplaris nostri: ad cuius similitudinem vt secundùm interiorem hominem formati sumus; sic & in nobis lumina illa exprimere, si exemplar, quod nobis in monte monstratum est, imitari velimus, necesse erit. Præterea vtile est Paradisum animæ Alberti Magni de virtutibus sibi reddere familiarem, vnamque è virtutibus, singulis septimanis aut mensibus, suo tempore & ordine, ad exercitium seu Negotiationem hanc adferre: quod fiet cum fructu, si modò diligenter & continenter fiat.

Cap. 2.

Industria 7.

194. Gladius Dauidis, quo Goliath caput abscidit, prætermitti non debet; & verò aliam industriam huic adiungendi nobis occasionem ille

ille ſuppeditabit: eum namque Dauid fugiens Saulem reſumpſit, aſſe- *1. Reg. 21.*
uerans hoc gladio nullum eſſe meliorem. Quid, quòd in ſanctuario *Euchariſtiæ & gladij Goliath comparatio.*
poſt ephod, quod erat ex lino albo confectum, pallio inuolutus eſſet repoſitus? Vera ſunt, quæ de caritatis vſu, ad vitiorum eliminationem, virtutumq́ue acquiſitionem, diximus: ſed quid, ſi vires deſint, ſi animus languidior, ſi Saulis perſecutio vrgeat, ſi triſtitia infirmum abſorbeat, ſi mundus ſolitudini noſtræ inopiæque inſidietur? profectò pane ac refectione opus eſt. Quid ergo? gladium comedemus? Ita ſanè, ſi modò gladius ille ſit panis. Recordare quid liber Iudicum de Gedeone re- *Iudic. 7.*
ferat. *Videbatur mihi*, ait quidam, *quaſi ſubcinericius panis ex hordeo volui, & in caſtra Madian deſcendere: cumq́; perueniſſet ad tabernaculum, percuſſit illud, atque ſubuertit, & terræ funditus coæquauit. Reſpondit is cui loquebatur: Non eſt hic aliud, niſi gladius Gedeonis.* Panis ſubcinericius fuit gladius, delensq́ue caſtra Madian: an igitur potiori ratione panis Angelorum non erit gladius nutriens animam, confortans cor hominis ad bellandum, aduerſariosq́ue vſque ad internecionem delens? arma denique potentiæ noſtræ à Deo, ad deſtructionē omnium munitionum? Dicat Regius Pſaltes quid de hac re ſentiat. *Paraſti*, inquit, *in conſpe- Pſal. 22.*
ctu meo menſam, aduerſus eos qui tribulant me. Si menſa propoſitionis panum gladius fuit aduerſus hoſtes; quanto magis menſa Domini! Eſt ergo Chriſtus IESVS panis & gladius.

Notandum tamen eſt, Dauidem gladio Goliath vſum non fuiſſe, *Vſus Euchariſtiæ vtilis cum ſtudio mortificationis.*
niſi cùm quinque lapides de torrente collegiſſet, repoſuiſſetque in pera paſtorali, & eorum vnum ſaltem funda ieciſſet. Ita quoque nobis vſu venire par eſt. Sacramentorū frequentatio prodeſt plurimùm ad vitiorum deſtructionem, ſi modò lapides comparemus, fundaque iaciamus; ſi interno ſtudio prauos habitus ac paſſiones deſtruamus. Euerti debent gigantes hi ſublimes, vt caput eorum excelſum petamus: quò pertingere non poſſumus, ſi ſtent; aut certè altos perfectosq́ue admodum nos eſſe oportebit. hinc Deus Auguſtino: *Cibus ſum grandium; creſce,* *Lib. 7. Conf. cap. 10.*
& manducabis me. Creuimus, ſi paſſionibus ſimus ſuperiores; & tum maximè idonei ſumus ad gladium hunc frequentiùs vſurpandum ac verſandum: magni ſumus, ſi peccata nobis ſubiecimus, ſi gigantes calcamus. *Eleuabunt nos*, ait Auguſtinus, *ſi fuerint infra nos.* ſi verò nobis *Serm. 3. de adſcenſ. Domini, in fine eſt in edit. Plant. in appendice 58.*
illi fuerint ſuperiores, nos parui ac imbecilles gladium eorum vel corripere, vel eorum capita amputare non poterimus.

195. Goliath exprobrabat populo imbecillitatem, & quaſi victor in gladio ſuo gloriabatur. quod dęmon multo magis fecerat proſtrato genere humano; ſed quo gladio? vtique carne noſtra, quæ gladius dæmoni fuit, quo mundum vniuerſum debellauit, cùm *omnis caro corrupe- Gen. 6.*
rat viam ſuam; quo quinque ciuitates circa Sodomam & Gomorrham *Gen. 19.*
per-

percussit; quo infinitos homines etiam sapientes cecidit: hoc protoplastum Dei manibus conditum, ac omni sapientia præditum, de supremo sapientiæ gradu deiecit, Salomonem gloria diuinaque scientia inclytum infatuauit, fortissimum Samsonem fregit, sanctissimum Dauidem infecit. Diu multumque immanis hic Philisthæus exprobrauit agminibus Dei. Tandem aliquando descendit paruus Dauid, vnicoque lapide turrim illam disiectam proprio ipsius gladio truncauit. gladio, inquam, eius: assumpsit enim carnem nostram, & in ea conflixit, feliciterque hostem euertit, contudit, iugulauit. In tanti facinoris memoriam caro hæc seruatur perpetuò in templo, inuoluta accidentibus albis panis consecrati.

Gladij vis maxima in diuinitate latente residet; illa verò humanitate nostra, velut vagina, absconditur. Vtraque inuoluta est pallio sacratissimarum specierum post ephod; in tabernaculo nempe, quod ex linteis mundissimis sæpe conficitur. vnde quod infanti Christo in vtero matris delitescenti Ioannes è matrice, in persona Sponsæ ad Sponsum suum acclamantis, admirabundus dixit, vsurpare & nos possumus: *En ipse stat post parietem nostrum, respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos. En dilectus meus loquitur mihi: Surge, propera amica mea, columba mea, formosa mea, & veni: iam enim hiems transijt, imber abijt & recessit; flores apparuerunt in terra nostra; tempus putationis aduênit.* Vox est humilis animæ, amantissimum Dominum magna fide cernentis, interpellantis, & firma fide profitentis in sacrosancta Eucharistia præsentem esse: qui etsi pallio inuolutus sit post ephod, hierothecisque ac tabernaculis conclusus esse videatur; nos nihilominus videt, nos alloquitur, & ad amputanda superflua vitis nostræ internæ hortatur ac inuitat.

Cant. 2.

Hortatio ad sacrosanctam Eucharistiam sumendam.

196. Nunc ergo qui aggrederis singulare certamen cum dæmone, cum peccatis, cum prauis propensionibus, scelerata consuetudine roboratis, ánne inermis procedes? Agè, quinque torrentis lapides spirituales, passionis Christi merita, tibi suppeditant. *Cucurrit Dauid, iacto lapide, & stetit super Philisthæum, & tulit gladium eius, & eduxit eum de vagina sua, & interfecit eum, præciditque caput eius.* Vade, & tu fac similiter: magno ardore dæmonem ac vitia tua aggredere & persequere; arripe simul gladium aduersarij tui, carnem Christi IESV Domini nostri reuerenter sume. Non est huic similis ad fragilitatem relabentium amputandam, ad prauas consuetudines extirpandas, ad domandam cupiditatem: non est huic similis ad triumphum de hostibus reportandum, ad trophæa referenda, ad virtutes comparandas atque augendas: denique non est eo melior ad PERFECTIONEM capessendam, ad perseuerantiam obtinendam, ad brauium supernæ felicitatis promerendum.

1. Reg. 17.

Effectus sacratissimæ Eucharistiæ.

CAPVT

CAPVT XXXII.

Industria octaua: in Negotiatione spirituali rationem dati & accepti esse exigendam. Additur formula collationis spiritualis, continens Praxim Negotiationis.

197. IN Negotiatione omni rationem dati & accepti interuenire necesse est; alioquin & institores desunt officio, & errores magni irrepunt, & plerumque vsu venit, vt, qui in subducendis rationibus negligentiores sunt, fortunis euertantur, & foro etiam cedant. In re ergo tanta, quæ inter Deum & nos geritur, tamquam partes contrahentes, meritò rationem à nobis exigimus; ne fides nostra vacillet, factaque retractemus, aut etiam omnino à pactis recedamus. *Necessitas examinis particularis secundi.* 1.

Res magna est, quam gerimus; Deum habemus cooperatorem, & pecunijs meritisque IESV Christi Domini mercamur; pretium verò minus non est regno cælorum; & qui dixit, *Negotiamini dum venio*, rationem traditæ pecuniæ, nostræque Negotiationis exiget in die extremi iudicij. Præcipua quæ de hac ratione dici possunt, iam explicata sunt in duplici examine, generali nempe & particulari: quæ præsenti instituto propria sunt, nunc paucis exponemus. 2. *Luc. 19.*

198. Ratio hæc in eadem tria tempora, quæ in examine particulari constituimus, distribuitur: matutinum nempe; quo proponitur res quam in Negotiationem adducere toto diei decursu statuimus; meridianum, & vespertinum, quibus quid vtiliter, quid perperam actum sit, quídve omissum ex re mane proposita, discutimus. Concurrunt enim illis duobus temporibus, eâdem opera, tria examina. Generale, quo de peccatis illo die admissis inquirimus: particulare, quo vitium aliquod ex condicto exterminare nitimur; tertio verò, quid neglectum sit propositi matutini, reputamus. Quare non repeto quæ singulis attribui: qui enim in ijs se exercuerit, ei difficile non erit & tertium his iungere, & de omissione neglectæ Negotiationis iudicare; imposita etiam sibi pœna, si fortè delictum sit, ne aliàs irrepat negligentia. *Quæ in ratione dati & accepti obseruanda.* 1. *Tria examina in vnum simul concurrere.*

199. Præter tria hæc tempora Negotiator spiritualis sæpius ad se redeat, feruorem intepescere non permittat: singulis saltem horis, dum eæ audiuntur, breuissima recognitione statum animi sui consideret; sibi suóque se reddat Creatori, si fortè vel ab animi puritate deflexisset, vel propositum neglexisset. Quoties denique aliquid acturus est, quod sit alicuius momenti, illud non incipiat, quin Do idipsum offerat ac 2. *Ad mentis arcanum sæpius recurrendum.*

commendet, addita ſimiliter deteſtatione peccati quod deſtruere intendit, aut deſiderio virtutis quam geſtit acquirere. Talia eſſe poſſunt, primarium aliquem conuenire; cum mulieribus verſari; tractare cum aliquo de eius ſalute; rem ex obedientia præſcriptam implere; obire ſacra; hominem iracundum & malè affectum compellare; ſtudia inchoare, & multo magis orationes; confeſſiones item excipere; concionari; hortari peccatorem; ſubditum aliúmve ex caritate corripere. Denique facturus ea, quæ Deo ſingulari cura mane commendauit, eadem perficiat eo ſpiritu quo propoſuit.

3. *Statis temporibus ad ſe eſſe redeundum.*

Tertiò vtile eſt, certa quædam tempora deligere, ſibique præſcribere, quibus pius animus in ſe redeat, quinquies aut ſexies in die: vt cùm redit ad cubiculum; cùm menſam accedit; poſt refectionem, & hominum liberaliorem vel longiorem congreſſum; poſt ſtudia. Denique quo ſæpius quiſque cum Deo internè conuerſabitur, quo ſæpius ardentes caritatis actus eliciet, eo plus meriti acquiret. Diſcuſſio ſanè facilior reddetur, quia homo perpetuò in excubijs eſt. Nec difficile erit delicta inuenire, cùm propter aſſiduam vigilantiam, tum maximè ob teneritudinem puriſſimæ conſcientię, quæ, vt oculus non minimam ſtipulam, ſic nec næuum leuiſſimum ſine graui ſenſu admittit; qui & primo quoque tempore, quo quis ad Deum accedit, occurrit, & mentem quietam, donec dolore ſublatus fuerit, non relinquit.

4. *Bonis conſiderationibus & orationibus negotiatorem ſpiritualem excitandum.* a *Matth. 16.*

Memor ſit quiſque eorum quæ præcedentis libri capite finali ſcripſimus de gratiæ ac virtutum augmento, quanta ſcilicet iactura ſit in tanto lucro eſſe negligentem: vtque maius tanti lucri deſiderium excitet, reuocet in memoriam ſibi eſſe moriendum; cælos ipſos penetret, & videat quem locum ſibi paratũ cupiat: a *vnicuique* enim *reddet Dominus ſecundùm opera eius*. Nos pœnitebit in exitu vitæ ſocordiæ noſtræ, prætermiſſique officij; quòd nempe, cùm permulta exiguo labore nanciſci poſſemus, maluerimus nugis atque inanibus nænijs omnem noſtram ætatem terere, quàm æternis diuitijs cumulandis inſiſtere. Aſſuetudo plurimum poteſt. Poſſunt mercatores intendere dies & noctes, & quidem continenter; relaxationem atque intermiſſionem exiguam aut nullam admittunt; ſpes lucri à dolore capitis, à tædio, ab otio facilè vindicat; &, quamdiu lucrandi opportunitates adſunt, eas numquam prætermittunt; ſi abſint, quærunt magna cura ac ſtudio: quid ni æquè nos moueat ſpes æterni ac beatiſſimi regni, gloriæ incomparabilis, felicitatis perpetuò duraturæ?

Oratio mane recitanda, & interdiu repetenda; qua ad Deum actiones noſtras referimus, ad eius beneuolentiam promerendam.

200. Clementiſſime Domine, ac pijſſime Pater, ecce adſto coram tua

tua Maiestate, & Curia tua cælesti, & fateor tibi me omnia debere: idcirco offero me, meaque omnia, & ea consecro ac dedico diuinæ clementiæ tuæ, corpus nempe, animam, vitam, cor, desideriaque omnia mea, & quidquid hodie facturus sum, & in omnes æternitates; eo maximè fine, vt tibi super omnia placeam; quia tu solus amor meus, spes mea, finis & intentio mea: præter te nihil volo, nihil cupio, nihil desidero. Testor etiam atque etiam, me nulla ratione, nullo vmquam tempore, vlli motui inordinato aut cogitationi peruersæ acquieturum, imò ne auditurum quidem; & quidquid occurrerit, vel operibus meis sese immiscuerit, legi tuæ aut beneplacito repugnans, omni quo possum studio animique contentione protestor id omne esse contra voluntatem meam. Tu me, amantissime Domine, conserua; fuga aduersarium, & motus omnes rebelles comprime, vt te vesperi laudem, gratiasque referam, & deinceps in sæcula sæculorum. Amen.

Ita breuiùs:

Domine, quid mihi est in cælo? & à te quid volui super terram? Defecit caro Psal. 72. *mea, & cor meum: Deus cordis mei, & pars mea,* imò & totum meum, *Deus in æternum.*

Vel:

Dilectus meus mihi, & ego illi. Cant. 2.

Orationis pars altera, ad cupiditatem aliquam euellendam.

201. Quia verò in me multa video, Domine Deus meus, quæ arctam tecum contractam amicitiam obscurant, imminuunt, atque impediunt, qualis inter cetera inanis gloriæ *(vel N.)* cupiditas; siue illa orta sit ex concupiscentia, siue ex naturæ ac complexionis prauitate, siue inducta consuetudine: eandem inuisam cupiditatẽ detestor, doleoque ex animo, me culpa propria in eam seruitutẽ incurrisse; totus verò virtutis humilitatis *(vel N.)* pulchritudine captus, ardentissimis votis in eam feror, teque per omnes miserationes tuas rogo, obsecro, atque obtestor, vt, euulsa radicitus inanis gloriæ *(vel N.)* cupiditate, optatissimam humilitatis *(vel N.)* virtutem animo meo inserere, augere, stabilireque digneris, meritis Domini nostri IESV Christi, cui honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Ita breuiùs:

Iniquitatem odio habui, & abominatus sum; legem autem tuam dilexi. Psal. 118.

Orationis pars tertia, ad virtutem aliquam particularem acquirendam.

202. Et quia, ô summe amator hominum Deus, delicias asseris tuas Prou. 8. esse, vt sis cum filijs hominum, templumque tibi in eorum cordibus delegisti;

 legisti;

legisti; vnicè doleo, in eo ornamenta, quæ præsentiam tuam deceant, desiderari. Quare te etiam atque etiam rogo, benignissime Domine, vt, quia ex me inducere non valeo, ea tecum adferre, omniumq; virtutum decora atque venustatem importare digneris. Præ ceteris verò virtute humilitatis *(vel N.)* indigere me fateor, & ea quidem ad promptissimè tibi obsequendum ac diligendum maximè necessaria. Eam ideo ex animo desidero, & ex intimis præcordijs concupisco; eo præsertim fine, vt tibi perfectè obediam, atque in tuos complexus, in quibus & perpetuò immorari, & etiam immori exopto, ardentissimè ruam ac conquiescam, tibi laudes dicturus in sæcula. Amen.

Ita breuiùs:

Cant. 1. *Trahe me post te, curremus in odorem vnguentorum tuorum.*

Formula seu Praxis collationis spiritualis: ἀνακεφαλαίωσις Negotiationis spiritualis, seu examinis particularis; ad vitia destruenda, & virtutes inserendas.

Quoniam verò conferentiarum seu collationum spiritualium fecimus initio mentionem; subijciam hîc pro coronide formulam, quam, qui velit, possit imitari. Conueniunt multi, parati ad quærendum de dubijs spiritualibus, quæ cupiunt sibi explicari. Ex his proponitur vnum, vel plura, prout quisque sibi optat satisfieri, & patitur tempus.

Collationis spiritualis formula & partes.

Præest aliquis peritus & exercitatus, vt & perspicuè resoluat dubia proposita, & defectum eorum, qui proponere nesciunt, suppleat; proponatque ipse, de quo à singulis iudicium exquirat, si minùs ipsi in proponendo sufficerent; & auditis omnibus, vel etiam singulis, rem totam resumat, discutiat, explicet, nodosque omnes reconditos euoluat.

Magni faciat ipse quidquid singuli dixerint, eliciatque mel de petra, oleumque de saxo durissimo: enimuero qui dicunt ex spiritu, quantumcumque rudes, Præsidi egregiam materiam discursus spiritualis alicuius suppeditant. Sed ad conferentiam veniamus, & instituatur quæstio de Praxi atque vsu Negotiationis iam explicatæ.

Collationis quæstio prima.

Proposito ergo atque explicato argumento, à Præside quærit primus, quænam ad praxim Negotiationis iuuandam facere posse videantur. Respondet Præses, multa præcepta tradi posse, quæ tamen facilè ex dictis colligantur; & inter cetera illud apprimè fore vtile, vt, qui securè in hoc negotio velit procedere, arbitrum exercitationum suarum peritum deligat. Etsi enim vnctio Spiritus & necessaria sit, & vehementer negotium hoc promoueat; non vacat tamen periculo, viæ duce carere, adeò obscuræ, totque dæmonis illusionibus expositæ, qua de

Præceptum 1. Magistrum in exercitijs spiritualibus peritum, esse necessarium.

dere copiosè Cassianus. *Etenim*, ait, *cùm omnes artes ac disciplinæ humano ingenio repertæ, (quæ & nihil ampliùs quàm vitæ huius commodis præsunt) licet manu palpari queant, & oculis peruideri, rectè tamen à quoquam sine instituentis doctrina nequeunt comprehendi; quàm ineptum est credere hanc solam non egere doctore, quæ & inuisibilis & occulta est, & quæ non nisi corde purissimo peruidetur; cuius error non temporale damnum, nec quod facilè reparetur, sed animæ perditionem parit, mortemq́ perpetuam!* Hæc Cassianus. Accedit, vtilissimam esse de rebus spiritualibus sermocinationem cum fido aliquo amico, cui liberè ac confidenter teipsum aperias. Sed cum quo securiùs aut liberiùs quàm cum conscientiæ tuæ arbitro conferes? à quo certiùs ac veriùs lucem ac directionem accipies? nec id modò ratione eruditionis atque experientiæ qua pollet; sed quia Deus propter humilitatem tuam, & ratione paternæ prouidentiæ, amorisq́ue in filios sui, eidem suggeret, vnde lucem ac directionem optatam haurire possis. Hoc in primis præceptum necessarium est. *Collat. 24. c. 16.*

Necesse est deinde, vt constituat quisque quoties per diem velit & possit redire ad sese, excutere animum, & factorum rationem à se exigere: potest enim id omni loco & hora fieri; hominibusq́ue internè degentibus id semper fuit familiare. Nec adeò id molestũ censeri debet, cùm breui spatio illud fieri expediat. Nonnulli itaque certas horas designant, (ad Regis pijssimi imitationem, qui ter, mane nempe, meridie, & vespere, aut certè septies in die, Deum laudabat) distributis videlicet pro cuiusque commoditate temporibus. Alij horis singulis (quarum pulsu se moneri sentiunt) colligunt animum; alij quoties cubiculum ingrediũtur, quoties ad rem aliquam notabilem accedunt, & tempus suppetit, siue inter eundum, siue dum mora aliqua interuenit. Quisque ergo deligat quod fieri potest per occupationes. quo frequentiùs, eo melius. Ex professo verò ad minimũ bis fieri oportet, & attentiùs & prolixiùs; nempe circa meridiem, & vesperi ante quietem. *Præceptum 2. Recollectio diurna quàm frequens esse debeat.* *Psal. 54.* *Psal. 118.*

Ab hac discussione omnis leuitas & inconstantia eliminanda est; & quidquid statutum ac propositum fuerit, illud inconcusè ac inuiolabiliter, quantum ratio permittit, obseruandum est. Hîc radix infructuosæ arboris designanda, ad quam securis correctionis admoueatur. *Præceptum 3. Propositi constantia seruanda.*

Quæstio secunda.

Secundus proponit & petit, quanto tempore, qui vitium aliquod euellendum vel virtutem inserendam deligit, in ijs singulis occupari debeat. Respondet Præses, multa vna proponi quæstione; atque primùm de vitio exterminando, deinde de virtute inserenda agendum esse: status præterea hominum esse diuersos, quorum vnicuique conuenienter respondendum est. Alij nempe incipiunt, proficiunt alij, alij

alij denique perfecti censentur. & quidem quorundam vitia altiùs radices egerunt, quædam verò nulla adhuc consuetudine vel deprauata naturæ complexione roborantur.

Exercitium 1. Rectitudo intentionis in incipientibus.

His suppositis, illud initio statuendum est, vt, qui incipit, (ab ijs enim, qui incipientes appellantur, inchoandum est) aliquot mensibus sese in rectitudine intentionis exerceat; quærens in omnibus Deo placere, super omnia, propter ipsius singularem bonitatem; addito generali odio, persecutione, ac detestatione vitiorum omnium, vt fusè superiùs explicatur.

Singulis verò mensibus vertentibus consideret attentè quantum profecerit, & an expediat mensi iam lapso alium adiungere in eodem exercitio. Idipsum Deo commendet, & lumen desuper postulet. Si post orationem sentiat detrimentum fore si diutius continuet, aliud aggrediatur, eo modo quo deinçeps dicturi sumus. Si verò nimiùm properando de soliditate virtutis existimet detractum iri, hæreat quantum cum suo profectu & cõsolatione in dicto exercitio se versari posse confidit.

Eius duratio.

Arbitror verò quemque in exercitio rectæ intentionis duos trésve menses vtiliter positurum operam. Interea sub finem cuiusque septimanæ de profectu decursæ illius hebdomadis inquirat diligẽter, puniat culpas, negligentias morasque castiget. Nullo modo parcat, si aliquid sinistra intentione fecerit, aut minùs bona: si nulla intentione ac perfunctoriè res gesserit, nec hoc ipsum impunè abire permittat.

Quæ illud iuuent.

Vt autem in hoc de rectitudine intentionis, & in alijs sequentibus exercitijs finem assequaris, (qui est inordinati affectus destructio, & caritatis aliarumque virtutum incrementum) necesse est omnes animi neruos contendas, cum absoluta resignatione ac voluntate faciendi quod in te est; & ad hoc orationes, pœnitentias, confessiones, communiones, votorum renouationes, & quidquid laudabile comminisci potes, adhibeas. Certè reperies breui tempore, te non frustra laborem hunc subijsse. Hoc ergo primum sit exercitium, & ijs quidem, qui incipiunt, propositum.

Exercitium 2. Oppugnatio præcipui defectus.

Alterum est: Vbi mensibus aliquot is, qui incipit, (præsertim si è salebris mundi recenter emergat) rectæ intentioni assueuerit, deligat deinde præcipuam è prauis naturæ suæ vitiatæ propensionibus, eique bellum indicat, eo modo quo superiùs explicatum est, iuxta consilium Cassiani; seruato nihilominus etiam cum eodem augendę caritatis exercitio: nec enim quidquam impediet id, cùm ad finem eiusdem virtutis omnes actus boni referri possint. Detestaris nempe superbiam, fugis auaritiam, persequeris ignauiam, vt Deo placeas. sic reliqua vitia oppugnabis, vt præclaram illam PERFECTIONIS ac caritatis margaritam assequaris.

Collat. 5. c. 14.

Hoc

Hoc etiam facies aliquot mensibus, & sub finem cuiusque, re Deo commendata, dispicies an diutius in eiusdem imperfectionis destructione te hærere oporteat. Post duos demum trésve menses (vt videtur) aliud vitium conuellendum assumes. Et hæc quidem omnia cum eodem feruore atque animi contentione prosequenda erunt, quo primùm de caritate augenda per rectam intentionem antè diximus. Nec facilè cuiquam transeundum ordinariè erit ab vnius vitij exercitio ad aliud, quamdiu circa huiusmodi defectum occupatio inueniatur. *Eiusdem duratio.*

Caueat tamen sibi à latente socordia, quę ad vitandam molestiam ac laborem noui exercitij, nouorumque conceptuum, sub quietis perniciosæ latebris solet delitescere. *Negligentia cauenda.*

Obseruet idem in hisce omnibus diuersos motus à varijs spiritibus prouenientes, discatque bonos à malis discernere, ac dignoscere quid à natura, quid ab animi perturbatione, quid ab hoste veternoso proficiscatur. hîc namque immanis pugnæ occasio summa dabitur: agitur enim de pelle exuenda, non externa quidem, sed interna; deque toto homine veteri deponendo atque abnegando, vt nouum, qui secundùm Deum creatus est, induat. Assumet haud dubiè natura, iuris sui tenacissima, formas omnes, omnem industriam exacuet, vt se intra limites suæ libertatis contineat. Subtilissimæ oborientur tentationes, quas nouus miles difficulter cognoscet. Deinde, cùm in medio virtus consistat, & sæpe extrema vitia virtutum laruam ac simulacrum assumant; iudicio opus est, ac spirituum discretione, iuxtà & generoso animo, cùm ad artes ac impetus aduersariorum dignoscendos ac sustinendos, tum ad eosdem prosternendos. *Motus animi varij, & acris pugna interni hominis.*

Quapropter vtile admodum erit, in aduersaria referre capita exercitationum istarum, quotidiana proposita, studium menstruum ac hebdomadarium, visitationes cælestes, pugnas grauiores superatas, lumina superuenientia; quæ omnia suo tempore vsui erunt ad profectum spiritualem proprium, aliosque in simili discrimine adiuuandos. *Quæ scripto annotanda.*

Quæstio tertia.

Proponit tertius: Dum contra vitia contendo, nónne simul opus erit vt interea de aliqua virtute acquirenda sim solicitus? Respondet Præses, neminem oppugnare vitium, quin simul virtutem aliquam intendat, & verò attingat: oppugnationes namque illæ, virtutum actus sunt. Vt igitur sileam in primis augeri caritatem omnibus virtutum actibus, quales sunt ij, quibus vitia detestamur; incredibiliter præterea caritas augetur, dum in eius finem omnes actus isti interni actualiter referuntur. Denique cùm detestamur vitiosam inclinationem, eius contrarium appetimus: vt qui persequitur superbiam, tamquam humili- *Qui vitium oppugnat, virtutem acquirere.*

militatis, quam appetit, hostem iuratum, humilitatem auget, eiusque gradus sensim accumulat. quod de ceterarum virtutum actibus statui potest.

Quæstio quarta.

Duratio. Quartus sciscitatur, quamdiu contra huiusmodi domesticum eumque primarium hostem confligendum sit. Respondet Præses, quo ferocior fuerit, altioresque radices egerit prauus ille habitus, eo constantiùs ac diutius eum esse persequendum. vt enim qui fundamenta iacere velit, omnia rudera, arborum radices, versamque ac submotam olim terram eruit, donec natiuam inueniat, super quam fundamenta ædificij constituat; ita nobis agendum est, si solidè fabricam spiritualem stabilire velimus: nihil antiquæ terræ veterisque Adami remanere, omnia passionum rudera, omnes peccatorum fibras erui conuenit; alioquin ædificium virtutis non stabit, & flante tentationum vento facilè corruet: quia inordinatæ animi affectiones potentiam hominis, humanarumque actionum fundamentum planè debilitant, concutiunt, ac conuellunt. quare vbi consuetudo naturæ corruptæ accesserit, aut aliàs, prauus habitus vires habet potentiores, fortiusque ac diutius laborandum est; non item vbi exigua est oppositio, & vitium cedit imperio voluntatis.

Simile. Praui habitus fundationem virtutum impediunt.

Eadem ratio erit de ceteris defectibus ac perturbationibus animi exterminandis; quæ vicissim iuxta leges iam positas nunc per menses, nunc per certas hebdomadas, simili conatu conterendæ erunt. Dico, vicissim; quia monuimus cauendam esse confusionem, sigillatimque defectus esse impetendos statis temporibus; faciliusque vnum aduersarium sterni, quàm plures, quorum vires & alterius accessione roborantur, & detractione debilitantur.

Sigillatim vitia omnia destruenda.

Simile quid olim contigit in concertatione Horatiorum Romanorum ex vna parte, & Curatiorum Albanorum ex altera, qui de obtinendo imperio decertabant: cùm enim pari robore frequentibus prœlijs vtrique comminuerentur; misso in compendium bello, Horatijs Curatijsque tergeminis hinc atque inde fratribus, vtriusque populi fata commissa sunt. Anceps & pulchra contentio, exituque ipso mirabilis.
» Tribus quippe Curatijs vulneratis, duo Horatij super alium alius expi-
» rantes corruerunt. Superstes tertius fortè integer fuit; vt vniuersis so-
» lus nequaquam par, sic aduersus singulos ferox. Ergo, vt segregaret
» pugnam eorum, fugam capessit; ita ratus secuturos, vt quemque vul-
» nere affectum corpus sineret. Iam aliquantum spatij ex eo loco, vbi
» pugnatum est, aufugerat, cùm respiciens videt magnis interuallis se-
» quentes; vnum haud procul ab sese abesse. in eum magno impetu redit:

Iul. Flor. gest. Rom. lib. 1. c. 3. Tit. Liu. lib. 1. ab Vrbe condita.

&

& dum Albanus exercitus inclamat Curatijs vti opem ferant fratri, „ iam Horatius cæso hoste secundam pugnam petebat. Priùs itaque „ quàm alter, qui nec procul aberat, consequi posset, & alterum Cura- „ tium conficit. Itaque æquato Marte singuli supererant. Horatius de- „ nique Curatio malè sustinenti arma gladium iugulo supernè defigit. „ Sic (rarum aliàs decus) vnius manu parta victoria est, addito nempe „ ad virtutem dolo. Qui in proposita nostra spirituali pugna magnę pru- „ dentiæ atque industriæ argumentum est: sic enim aggregata vitia non expugnabis, segregata facilè vinces.

Quæstio quinta.

Quintus subiungit: Quid si subinde labar in defectum aliquem, de quo non est quæstio? non licebit illum statim in examen particulare inducere, ne fortè hæream in luto, aut etiam in alium grauioré incidam? Respondet Præses: Etsi difficilius sit duos prosequi quàm vnum, necesse est tamen subinde id admittere. *Quotidiani defectus notabiles exagitandi.* Fures duos nocturnos aggrederis, non vnum tantùm, ne alter fugiat, (si vtrumque capere possis) præsertim si is qui fugit, fortior effectus, iugulum tuum petiturus putetur. Peccata nostra latrunculi nocturni sunt, & iugulum petunt: capi debent, quotquot teneri possunt. *Similia.* 1. Similiter, quamuis facilius sit vnum, cui insides, equum ducere, quàm duos; fit tamen, & sæpe multi longo 2. agmine loris vincti abducuntur. Sic, etsi vni vitio domando sufficiat incumbere; cùm necesse est tamen, non vnum tantùm, sed plura trahimus, nec adeò incommodè, si illa imperio voluntatis ac vinculo caritatis constringantur. Denique, quemadmodum duos ephebos insolentes, vel malefactores, simul flagellare difficile est; 3. si tamen simul nudos alliges, æquè facilè in duos propemodum scuticam contorquebis, atque in vnum: sic & quotidianos defectus deprehensos ac detectos, in ordinario exercitio colligatos, tamquam malefactores, ad satietatem cædere poteris, cùm voles: vtrumque enim potes detestari, & vtriusque detestationẽ ad eundem caritatis finem referre; & id quidem ad vnum saltem aut alterum diem, donec menti tranquillitas restituta sit, & sanctissimo iustitiæ vindicatiuæ zelo satisfactum. Hactenus de incipientibus; de proficientibus modò dicendum est.

Quæstio sexta.

Petit sextus, an eadem ratio sit proficientium, quæ incipientium; & *In proficientibus.* quanto tempore proficientes in hoc studio, seu in vtroque exercitio iam explicato, occupari debeant. Respondet Præses, vtrisque doctrinam hanc esse communem; & vbi cetera paria sunt, etiam tempus. illa differentia potest intercedere, quòd, qui profecerunt, minora forsan habeant impedimenta. Hoc tamen obseruatione dignissimum: in- *Nota.*

terdum viros admodum virtute eminentes, & gratia, grauissimas à complexione peruicaci vel praua consuetudine difficultates experiri; imperfectissimos verò nonnullos tantam in se malaciam ac pacem obtinere, vt multùm laborent in inuenienda passione aliqua, aut etiam peccato veniali, quod confiteantur. non ideo tamen sunt perfectiores.

Proficientes in defectus suos debere animaduertere.
Duratio.

Si ergo à natura remoræ huiusmodi erumpant, eæ comprimendæ sunt; & sic eadem ratio est, quæ incipientium. De tempore nihil aliud constituo, quàm quod in alijs præcedentibus statuimus: vt nimirum singulis septimanis ac mensibus quisque cum Deo dispiciat, an è re spirituali sua sit, hærere diutius in eodem exercitio. Quòd si accedat directoris iudicium, id sequatur: nihil enim certi constitui potest, quando summa varietas solet incidere.

Quæstio septima.

Cum ijs qui tentationes non sentiunt, quid agendum.

Vrget septimus: Quid in complexione temperata, in qua mollissima sunt omnia, nullæ rebelliones, vix vllæ tentationes erumpunt? Respondet Præses, eiusmodi persæpe periculosè laborare; & sub placidæ naturæ vmbraculis non exiguos defectus abscondi, qui produnt se oblata occasione. Nihilominus consideret, quicumque ille sit, quid ipse in alijs obseruet, quid in se ab alijs reprehendatur: videat quemadmodum se erga Deum ac diuina habeat; quàm minimè sedulus in suis, quàm insolens in alienis; denique quàm parum internè conuersari assueuerit, quàm omnia sua faciat perfunctoriè, & per modum naturæ. qui defectus exigui censendi non sunt. Et ne talis vel nihil faciat, vel tempus terat inutili indagine, aut tædio afficiatur, inani velitatione ignotum aduersarium impetens; expediet illum ad virtutum exercitium admittere: sic enim vitium contrarium ei magis innotescet; &, dum virtutis ambiet pulchritudinem, hostem in insidijs latitantem, ac tum demum deprehensum, proteret & conficiet.

Quæstio octaua.

Proponit octauus, quanto spatio proficienti in vitiosorum habituum euulsione sit immorandum, antequam ad virtutum stadium admitti possit. Respondet Præses: Ordo naturæ postulat vt purgatio præcedat, illustratio & exornatio sequantur, quarum aliàs splendor sordium permixtione fœdaretur. Quapropter, quamdiu ea impedimenta vigent, quæ virtutum insitionem non admittunt, aut notabiliter impediunt, tamdiu vis nobis inferenda est, vt ea pellamus ac propulsemus. hoc verò quisque in animo suo reputabit, & cum directore constituet. Quamquam illud iterum repetendum est, non omitti studium insitionis virtutum, dum vitia euellimus: cùm enim odi peccatum,

amo

amo & quæro virtutem, cuius causa contrarium abominor; sicque vitiosus habitus minuitur, crescitque virtus contraria. Hactenus de proficientibus.

Quæstio nona.

Petit nonus, quid perfecti circa vitiosos habitus agere debeant. Respondet Præses: Certè si nullos habeant, non est quòd sint soliciti: si habeant, non omittant euellere, atque ad id opportuna remedia quærere. Illud profectò verum est, paucos esse qui sine peccato sint, & quorum animis nullæ fibræ prauorum habituum adhærescant; quæ non rarò erumpunt, non sine insigni eorum dolore & confusione. *De perfectis.*

Illud etiam perfectis fatendum, temerarium fore, ne dicam perniciosum, si sibi persuadeant, ac credant, nullos se habere defectus. concupiscentia enim, quæ vitia omnia complectitur ac fouet, dentes retinet: & licet non iugulet omnes, latrat tamen, & mordicat; mordet sæpe incautos, & præfidentes sæpe sauciat. ideoque iusto Dei iudicio permittuntur haud rarò labi in minimis, vt lapsus timeant grauiores; menteque retineant adhuc viuere in se aduersarium, tamquam rabidum canem, catenatum quidem, sed longè ferocissimum; ad quem si accesseris, vel lorum timoris Dei, quo ligatur, remiseris, tuo sanguine rictum suum imbuet ac cruentabit. Videat ergo quisque quid in se reliqui veteris hominis viuat; & sic, credo, non deerit, ne perfecto quidem, optima exercitationis materies. *Perfectos non carere defectibus.* *Simile.*

Seruient etiam lapsus quotidiani; quos eo studiosiùs persequetur, quo recentiora adhuc eorum sentit vulnera: & iungi poterunt cum penso hebdomadario aut menstruo, siue de rectitudine intentionis, siue extirpatione alicuius prauæ inclinationis; vel certè per dies aliquot soli illi in exercitium erunt vocandi. Hactenus de vitiosorum habituum distinctione incipientibus, proficientibus, & perfectis proposita; nunc de palæstra virtutum aliquid dicendum restat.

Quæstio decima.

Decimus itaque petit sibi aliquid explicari de eminenti illa ratione, qua virtutes ac ipsa PERFECTIO acquiruntur: &, vt ordinatè respondeatur, tria proponit. Primum est, quid in hac disciplina de virtutum exercitio sit maximè obseruandum: alterum, quibus hæc palæstra pateat: denique, quamdiu in ea sit commorandum. Respondet Præses, arduam ac difficilem rem postulari, multa tamen hac de re toto de Negotiatione tractatu esse tradita, quæ repetere minimè deceat. *a Notabilia quædam in virtutum exercitio.*

a In cuiusque verò virtutis Negotiatione (quæ prima fuit inter quæstiones modò propositas) multa considerari possunt; atque illud in primis, singulis virtutibus sigillatim suum tempus, suum exercitium esse *1. Sigillatim virtutes exercendæ.*

esse tribuendum: cauenda est enim in omni disciplina confusio. Singularis etiam cuiusque virtutis disquisitio & notitiam magis distinctam, & ampliorem intentioremque habitum (id enim est quod quærimus) animo ingenerat.

2. *Notitia virtutis præmittenda illius acquisitioni.* Operæpretium deinde fuerit, virtutis, quam quis cupit adipisci, ante omnia cognitionem aliquam consequatur, studiumque nonnullum præmittat: nemo enim fertur in incognitum; reique notæ venustas ac pulchritudo, intuentis oculos rapit, & animum occupat. Quare necesse erit libellum aliquem habere familiarẽ, ex quo cognoscat sapientiæ studiosus quid sit illa virtus, quod obiectum materiale, siue qui sint actus virtutis illius; quæ ratio formalis, quæ dignitatem, bonitatem, ac splendorem omnem actibus illis tribuit, & in quam tendit ac respicit agentis intentio; quanta illius virtutis pulchritudo, quæ honestas, vtilitas, effectus; quæ vitia habeat opposita, quæ extrema; in quo medium eius consistat; quæ virtutes eidem affines & coniunctæ; quæ denique eius partes. hæc namque cognitio vehementer amplificat ac promouet virtutum acquisitionem, quam tractamus: sæpe enim, quid appetamus, nescimus; & in quo virtutis honestas consistat, ignoramus. Ponamus exemplum. Misericordia virtus est, qua miseriam alterius ex cordis animique visceribus subleuamus. Eius actus ac partes sunt opera misericordiæ, alia corporalia, alia spiritualia. Ratio formalis est subleuatio miseriæ proximi, modo quodam Christiano & ex spiritu profecta. Id honestum, vtile, ac fructuosum esse, nihil attinet hîc explicari. Vitia opposita sunt, hinc immisericordia, crudelitas, & despectus miserorum; inde profusio in largitionibus: in medio extremorum latet virtus misericordiæ, quæ benignè confert, prout miserentis facultas & miseri necessitas postulant.

3. *Quæ virtutum forma.* Illud potissimùm curandum est, vt omnes internæ actiones in actu signato (vt loquuntur) eliciantur, ob finem & rationem formalem cuiusque virtutis. *Fidei.* Credo (verbi gratia) Christum IESVM venturum iudicem viuorum & mortuorum. cur ita? quia Deus prima veritas idipsum reuelauit. *Spei.* Lubenter laboro ad defatigationem vsque; quia laborantibus æterna quies ac beatitudo promissa est. *Obedientiæ.* Iudicium meum (etsi aliter sentiam) submitto; quia Superiori id ita videtur, quem loco Christi habeo: ei in omnibus pareo; quia mandat, quia præcipit. *Humilitatis.* Deprimo meipsum humilitatis studio; quia vilis sum, & abiectus. hæc enim in hisce virtutibus ratio formalis esse dignoscitur; in cuius appetitione ac progressione virtutis pulchritudo efflorescit.

4. *Omnes virtutes quærendæ.* Nec satis esse videtur aliquot dumtaxat virtutes nobis reddamus familiares, ceteris prætermissis: sunt enim omnes colligatæ, &, si vel vna desit, tota harmonia corporis spiritualis dissoluitur.

Libri

Libri autem qui opitulari possunt ad hanc notitiam delibandam, sunt, Paradisus animæ Alberti Magni, Peraldus de virtutibus, Rossignolius de PERFECTIONE Religiosa, & similes. 5. *Libri idonei.*

Iuuabit quoque, de huiusmodi virtute, cuius nonnullam iam notitiam adeptus es, aliquot feruentes meditationes instituere, & lumen à Deo petere ad Praxim exercendam; notare deinde lumina quæ hauseris, siue in meditatione, siue in Praxi vsuque virtutum. 6. *Meditationes præmittendæ acquisitioni virtutum.*

Quærenda erit occasio multa opera exercendi, quæ propria sunt virtutis huius, & singula sub eadem forma ac fine exequenda erunt. 7. *Exercēda opera eiusdē virtutis.*

Obseruabis diligenter internos spiritus, motusque singulos, & eos à vitiorum extremorum motibus discernere conaberis; sollertiam naturæ, atque importunitatē, vitiosæque inclinationis contumaciam considerans: cui nihil erit indulgendum; sed forti animo obuiam ibis, ne importunis precibus, re parua obtenta, ad maiora te cogat procedere. 8. *Discretioni spirituum incumbendum.*

Ex frequenti vsu ac pugna interna formabis tibi comparationes, quibus sagacitatem peruersæ naturæ, gratiæ item vires, ac virtutis illius pulchritudinem bene concipias, conferens spiritualibus corporalia, æterna temporalibus. Ex quo fiet, vt & collectus quàm diutissime maneas, & facilitatem internè spiritualia tractandi acquiras. 9. *Comparationes maioris cognitionis gratia.*

Consideret quisque quid obseruet in alijs circa virtutis illius Praxim atque eminentiam, coneturque imitari; non modo quodam externo ad plausum, sed totum bene imbibere primùm in interiori homine, deinde illud exteriori opere modo condicioni cuiusque congruenti exprimere. 10. *Imitatio.*

Non oberit interdum ad eiusdem virtutis acquirendæ (vt etiam vitij destruendi) exercitium postliminio reuerti, interrupto etiam aliarum ordine: ipsa namque repetitio intermissæ virtutis suo fructu ac voluptate non caret, & maiori lumine ac facilitate suscipitur. 11. *Eiusdem rei repetitio vtilis.*

Quæ de virtute acquirenda iam dixi, pleraque obseruari quoque possunt in vitiosorum habituum extirpatione; contrariorum enim eadem est disciplina; & si malitiam peccati, si damna quæ importat, si turpitudinem, si virtutis oppositæ interitum, si molestias quas quotidie peccantibus adfert, perspecta habeamus, longè ampliùs illud oderimus, maiorique conatu proteremus. 12. *Vitiorum notitia plurimùm iuuat eorum destructionem.*

Ex his facilè conijcere licet, quî fiat vt nonnulli per plures menses, ne dicam annos, in vitio aliquo exterminando, vel virtute acquirenda, occupentur: multæ enim fibræ ex vna radice prodeunt; multi rami in vna densantur arbore; ideoque multæ partes circumstantiæque considerandæ, immutandæ, amputandæ, vt nullus proficiendi sit finis. Profectò, antequam clarè & perspicuè medium virtutis inuenias, agnoscas- 13. *Virtutis acquirenda difficultas.*

noſcasque, & in illud ſtudio feraris, optatumque finem obtineas, hoc opus, hic labor eſt.

14. Nihilominus non expedit vltra menſes aliquot, idque primis initijs maximè, exercitium vnius virtutis, vt diximus, prorogare, niſi valde copioſa profectus materia ſeſe obijceret: lexque eadem ſeruanda erit, quæ de vitij deſtructione poſita; vt videlicet ad finem cuiuſque menſis conſideretur an tempus prorogare expediat. Cauendum enim eſt à ſocordia, quæ facilè irrepit, dum tempori nulli limites aſſignantur; præſtatque aliàs vtiliter ad idem iteratò reuerti, quàm negligentiæ ac remiſſioni habenas laxare. Hactenus de prima quæſtione.

Quamdiu immorandum in quaque virtute.

Quæſtio vndecima.

Inſtat vndecimus, vt explicetur quinam idonei vt ad hanc virtutis eximiam arcem admittantur: quod ſecundo loco monebatur. Reſpondet Præſes, id in particulari ſtatuere, eſſe difficile: quamdiu enim aliquid euellendum remanet, (quod rarò aliter contingit) negligi aut prætermitti ſtudium vitiorum eliminandorum haud facilè debet, vixque ex toto deponi; vel quia adhæret ſemper aliquid praui habitus, vel quia lapſus quotidiani prolixè exercitio materiam ſuppeditant.

Qui ad virtutum exercitiũ admittendi.

Fieri tamen omnino neceſſe eſt; atque ij in primis nullo modo repellendi, qui cum matris vbere ſimul lac virtutis hauſerunt, & inde à

1. teneris annis ſeſe diuino obſequio manciparunt, vſum rerum cæleſtium quodammodo in naturam conuertentes; adeoque puri atque integri ſunt, vt & ſtolam baptiſmalem reſeruaſſe, & nullum cum mundo & vitijs commercium habuiſſe videantur.

2. Secundo loco admittendi ſunt, qui naturam à perturbatione & prauis affectibus liberam gerunt: quales non paucos ſæculum noſtrum produxit; qui ad virtutem nati, in virtutis ſtadio ſine vllis quaſi impedimentis decurrunt; optima complexione naturali præditi, & inſignibus gratiæ muneribus exornati. *Vnuſquiſque* enim *illorum* (vt ſcribit Ezechiel) *coram facie ſua ambulat*; &, *vbi eſt impetus ſpiritus, illuc* nulla mora *gradiuntur*. *Ezech. 1.*

3. His accedunt, qui magno feruore ac ſpiritu vitia ſua proſequentes, nihil ſibi ab eorum venenato morſu formidant.

4. Denique vbi ſtrenuus Chriſti pugil, decurſo iam ſtadio in oppugnatione vitiorum, ſuique victor, iudicio præſertim ſui directoris, ad hanc ſublimiorem palæſtram putauerit accedendum; aut quia ſingularem profectum ſperat inde conſequi, vel illic minùs deinceps ſe proficere poſſe animaduertit.

Quæſtio duodecima.

Duodecimus & vltimus cuperet aliquid determinari de huius exercitij

citij duratione: quæ postrema quæstio proposita erat. Respondet Præses, finem huius exercitationis esse, vt, explosis vitijs, virtutes augeamus, & PERFECTIONIS lauream acquiramus. Atqui virtutum habitus, quamdiu spiramus, augeri possunt, sicut & merita; & ipsa PERFECTIO, quam viatores quærimus, nullum admittit terminum: quamdiu ergo spiramus, intermitti hoc studium non debet, donec ad metam perueniamus. illic demum brauium accipiemus: quod cùm infinitis spatijs merita nostra exuperet; nemini timendum est, ne cursui laborique nostro, quem maximi facimus, præmium ac compensatio minimè par respondeat. *Profectus spiritualis nullus in vita terminus. Ratio 1.*

Corpora humana vbi adoleuerint, & certam ætatem attigerint, crescere desinunt, non animi, qui seipsis maiores cum ætate efficiuntur. Et quercus quidem centum annos crescere, totidem in perfecto statu vigere dicuntur, sed tertio centenario consenescunt atque intereunt: iustorum verò vita tamquam lux splendet, crescitque vsque ad perfectum diem; illum, inquam diem, qui nescit occasum. 2.

Naturæ deinde vita præditæ sine alimento consistere nequeunt. Animis verò suus spiritus est, sua vita, longè nobilior: at virtutis exercitium cibus animæ est; qui si desit, ipsa denique intereat necesse est. 3.

Sed quis est qui dici velit, Deum à se nequaquam vt patrem diligi? Sanè, qui alium diligit, ei pro virili complacere conatur. At in nullo adeò diuinæ bonitati gratificamur, atque in ardenti PERFECTIONIS prosecutione. *Hæc est enim* (ait Apostolus) *voluntas Dei, sanctificatio vestra.* Intermitti ergo non debet vllo tempore hoc præstantissimum studium, donec euocet is, qui vnicuique reddit prout gessit in corpore, siue bonum, siue malum. 4. *1. Thess. 4.* *2. Cor. 5.*

Pœnitebit certè, dum è corporis huius domicilio nos egredi contigerit, pœnitebit, inquam, vel vnius gradus gloriæ iacturam fecisse: quem beati tanti faciunt, vt nulli labori parcerent, si illum rursus possent promereri. 5.

Admirandum illud est, quod pius iuxtà ac eruditus quidam auctor refert de dæmonis cuiusdam responso. Rogatus enim quid pati vellet, vt sibi ad beati Dei visionem aditus pateret; dixit se paratum esse tor- „ menta omnia, quibus æternis ignibus destinati cruciantur, siue ij dæ- „ mones sint, siue homines, in se vnum congesta vsque in extremi iudicij „ diem perpeti, modò Dei videndi vel breuissimo tempore potestas fiat. „ *Thomas à Cantiprato lib. 2. cap. 57. n. 67.*

Illud quoque memoria dignum, quod Coloniæ in Ecclesia B. Petri, qui scripsit, se præsentem vidisse & audisse testatur. Spiritus enim nequam de suo ad speratam gloriam reditu interrogatus respondit: Si columna quædam ferrea, eaque ignita, nouaculis acutisque calamis vn- „ dequaque instructa, atque illa eadem machina à terra ad cælos vsque „ *Cæsar. lib. 5. cap. 10.*

per-

» pertingens, ſtaret; ego, corpus humanum nactus, in eam inſilire, vol-
» uique ac reuolui non formidarem, reperemque laniandus, quà aſcen-
» ſu, quà deſcenſu, & perpetuò ad finem vſque ſæculi extremum memet
» in illas acies induerem, dummodo reditus ad eum ſtatum, à quo excidi,
» ſpes aliqua affulgeret.

Verùm quid faceret miſer? nondum enim erat beatus, quamuis Dei præſidio eſſe potuerit, & beatitudinem ſperare. Caueret ille omnino deinceps ne in locum illum delaberetur tormentorum, à quo nuſquam patet exitus. Hoc primum. Deinde partem cum beatis Angelis æmularetur in cælis. Denique locum etiam ſuperiorem non ambitione, ſed humilitate quæreret. Nos modò prudentiores, alienoque exemplo cautiores, conſulamus nobiſipſis. Serius erit neglecti officij pœnitere, vbi pœnitentiæ nullus erit relictus locus.

Verùm, ne quid deſit hiſce documentis, vię huius ducem nobis proponamus, qui præeat, quique doctrinam hanc non verbis prædicet, ſed moribus exprimat. Expreſſit profectò P. Thomas Sanchez, Cordubenſis, quem ante vnum annum Deus ad laborum præmia euocauit, vir, dum viueret, domi nobilis, humilitatis laude & iuris vtriuſque ac Theologiæ eruditione illuſtris: qui cùm adoleſcens à Societate noſtra, cuius ingreſſum ſummis votis expetebat, ob linguæ impeditę defectum excluderetur; fuſa ad B. Virginem prece, à qua recedere noluit, donec ipſa ſe voti compotem feciſſet, minimè ſpe ſua fruſtratus eſt, ſoluto linguæ impedimento: & ad Societatem admiſſus perpetuum ſe magnæ Matris cultorem atque imitatorem exhibuit; cùm multis religioſarum virtutum ornamentis, tum integerrima vitæ ſanctitate ac columbina ſimplicitate amabilis. Idem à Clemente octauo Pontifice maximo, ob illa celeberrima de Matrimonio ſcripta, eximiè laudatus; omnibus cuiuſque ordinis, ob excellentem paupertatē, incredibilem abſtinentiam, indefeſſosque labores pro ſancto habitus, venerationi fuit. Hic ergo tantus vir hanc noſtram Negotiationem cum ſummo vitiorum odio, virtutiſque amore ſingulari, ſic coluit atque exercuit, vt omnem dicendi docendique rationem exceſſerit: &, ſi libri deficerent, meritò ex eius vita ac moribus tota hęc noſtra doctrina deſumi reuocarique poſſe videretur. Quotidie, quæ Negotiationi ſubijciebat, proponebat mane, & in libellum ſecretiorem referebat: decurſu diei exercebat, quæ propoſuiſſet: certis denique temporibus à ſe rationem exigebat incredibili lucro, atque eo profectu, qui ei ſanctitatis famam ac venerationem peperit. Educam è libello rationum ſpiritualium eius, quæ manu propria annotabat ad Praxim, quæque, poſt eius obitum reperta, noſtro propoſito admodum hîc opportunè reddentur, atque in primis his verbis: *Vita mea quotidiana atque vniuerſa ſimilis eſſe debebit Negotiationi ſpiri-*

P. Thoma Sanchez Virtutes.

B. Virgo Maria oranti ſoluit linguæ impedimentum.

Negotiationis materia.

ſpirituali; nec non mercatori cupido, & ad omne lucrum intento: ac primò omnium circa caritatem, mea commoda alienis poſthabebo; diſrumpar potiùs quàm aliena referam aut diuulgem delicta; neque alijs eadem, quamuis leuia, & ioco referentibus aurem præbebo. Conabor omnibus modis cogitationes fouere ſublimes. Hæc de fraterna caritate. 1. *Caritas.*

De pàtientiæ exercitio ſubiungit: *Negotiatio mea verſari quoque debet in omni patientiæ exercitatione. Benignè feram, ſi contingat mihi neceſſaria deeſſe, & ex obliuione ea mihi minimè ſuppeditari. Hoc vnum maximè curabo, vt ei omnium accuratiſſimè ſeruiam, qui me maiori moleſtia & vexatione affecerit. Quando ex cubiculo egrediar, me ad hoc comparabo, atque etiam optabo, vt aliquid aduerſi mihi inferatur. Quòd ſi quem aliquid petiturus accedam, Deum precabor vt id mihi denegetur, aut certè minimè tribuatur ſaltem ex errore aut obliuione; vt ita perpetiendi materia mihi non deſit.* Hactenus eius verba: quibus adeò prolixè re ipſa reſpondebat, vt præ magnitudine factorum nulla aut certè obſcura verba eſſe videantur.

Adijciamus quæ domandarum perturbationum ſenſuumque ſtudio atque cuſtodia exercebat. *Non minor*, inquit, *hoſtis ero voluptatum ac deliciarum, quàm ipſius cacodæmonis.* Ex quo capite ſenſibus aut vix vtebatur, aut dumtaxat quando opus erat: numquam florem naribus admouiſſet: res nouas nec audiebat, nec ab aduenientibus fratribus aliiſve quidquam ſciſcitabatur. Sed ipſum in hoc argumento progredientem audiamus. *Si quando*, ait, *congregatos aut circumſpicientes videro, non ſubſiſtam; nec contuebor vt quid fiat videam. Per domum ita defixis in terram oculis incedam, vt dumtaxat tranſeuntium vultus agnoſcam, honoris exhibendi gratia; præterea nihil. In triclinio ſingulari vtar modeſtia; non modò benedictionis, aut gratiarum actionis, ſed & toto refectionis tempore. Ne lancem ipſam quidem adſpiciam, niſi quando oblata à me ſumenda erit.* Hactenus ſcripta. Taceo corporis flagellationes, ieiunia, guſtus mortificationes, quibus iuſtum volumen impleri poſſet: redeo ad beati viri leges atque obſeruationes. *Quidquid*, inquit, *mihi oblatum fuerit, eo ſolo veſcar, nullo adiecto aut oleo, aut aceto, ſale, aut condimento: neque toto vitæ meæ decurſu certis ciborum generibus vtar, quòd meo palato mirum in modum arrideant; etiamſi nudo pane tunc temporis contentus eſſe debeam. Illud omnino intactum relinquam, in quod appetentia mea fertur ardentiùs. Me mortificabo in ferculis ex farre compoſitis, in artocreis, ſaccaro, aut melle conditis. Si contingat menſæ miniſtrum alijs, me prætermiſſo, inſeruire; hoc à Deo petam, vt mei penitus maneat immemor. Circa potum aliquid relinquam, quantumuis neceſſitati naturæ ſatisfactum non ſit.* 2. *Mortificatio internorum & externorum ſenſuum.*

De ſilentio, quod diligentiſſimè ſeruabat, hæc ſibi præſcripſit: *Extraordinarium mihi ſilentium indico: daboq́ operam, vt in omni conuerſatione mea aliquid de Deo loquar; neque hoc tantùm cum domeſticis, ſed etiam cum* 3. *Silentium.*

externis, vt ij aliquid de diuinis à me acceptum domum referant.

4. *Paupertas.* De paupertatis studio sequentia asscripta erant: *Paupertatis amator ero maximus; cibisq; dumtaxat vtar, quibus vesci Religiosos pauperes decet. In itinere nihil mecum, quod delicias sapiat, deferam; nec puluillum, aut vestes non necessarias.*

5. *Humilitas.* De proposito humilitatis exercendæ sic habet: *Vt nouitium primi anni semper me geram; & vt pro tali habear, & vt talis ab omnibus agnoscar, efficiam. Neque aliquid, quod in laudem meam redundet, dicam aut faciam; neque vt quis me doctum aut prudentem reputet, annitar. Quoties absque censura nouissimum obtinere locum in Refectorio potero, lubens occasionem captabo.*

6. *Obedientia.* Addamus aliquid de obedientiæ virtute. *In obedientia*, ait, *accuratissimus ero, etiam littera inchoata relicta. Folium arboris in horto non contingam: non decutiam vel vnum persicum. Filum vnum absque facultate aut tribuam aut accipiam numquam.*

7. *Oratio.* De studio orationis, quam rebus omnibus, & maximè studijs (quæ ad duodecim horas extendebat quidem quotidie ad vesperam vsque ieiunus) adhibebat, dicendum esset: sed sufficiet instituto nostro, si sola eius verba adferamus. *Omnis*, inquit, *cura mea & solicitudo erit, Sanctissimum Sacramentum,* IESVS *Crucifixus, Virgo Maria, erga quam singulari studio afficiar. Ad illam vt matrem in omnibus necessitatibus, difficultatibus, studijsq; recurram: per eam Deo gratias agam pro quouis opere facto in Dei obsequio: per eam veniam precabor pro quouis defectu admisso: per eam illos Deo commendabo, qui mihi molestiam aliquam exhibuerunt.* Hæc ille. Gestabat verò verba illa, *Sanctissimum Sacramentum,* IESVS *Crucifixus, & Virgo Maria,* pietatis causa, in Breuiario: & ad horum verborum pronuntiationem omnis infestatio ac molestia, si quæ superuenisset, abscedebat. Certè circa hæc contigerunt miracula quædam præclara, quæ referre non est huius loci: vnicum addam, antequam finiam; mensibus ac septimanis singulis solitum fuisse modò in huius, modò in illius virtutis acquirendę studium incumbere. Examinabat se circa finem mensis aut hebdomadæ, notatis erroribus; hac Praxi. *Mense Aprili* (qui fuit vitæ eius postremus) *Sanctissimo Sacramento plurima deuotio & caritas: Christo Crucifixo multa patientia: Beatæ Virgini exactum silentium. Prima hebdomade nihil: secunda, impatientia exigua: tertia, tres paruæ: quarta, duæ paruæ.* Addidit & illud in reuerentiam sanctissimi Sacramenti: *Quotidie illud quinies visitabo; diebus Iouis octies, adhibita vna verberatione, & gestatione cilicij, cum continua tanti mysterij recordatione, & adhibita singulari cura lucri spiritualis. Octo diebus ante sollemne illius festum, & totidem post, quotidie Litanias recitabo, disciplinam faciam, cilicium gestabo, solitis orationibus vnius præterea horæ spatium adijciam, singularem curam adhibebo me ad tantum festum disponendi; hisce verò diebus octies illud visitabo; in profesto*

festo sacrum vnum audiam, duas horas ampliùs solito in oratione impendam. IESV Crucifixo faciam diebus Veneris, quod die Iouis dixi me facturum: idem die Sabbati in honorem Diuæ Virginis. Diebus octo ante quodlibet festum Christi Domini, aut Dominæ nostræ, item in profestis, sic me præparabo, vt de ipso sanctissimi Sacramenti festo superiùs dixi: idemq; præstabo octo diebus ante Pascha, Pentecosten, ac sanctissimam Trinitatem. Hactenus ex eius manuscripto. Parum esset, nec admodum admiratione dignum, si in solo proposito rerum agendarum huius sancti viri PERFECTIO statueretur: facile enim est proponere; sed qui proposuerit & exercuerit, hic magnus vocari meretur in regno cælorum. Id certè ceteris admirabilius; quòd totis quadraginta-tribus annis, quibus in Religione vixit, imò & ante ingressum, numquam animum in quouis prædictorum exercitiorum vel minimùm remiserit, aut aliqua intermiserit, quibusuis impedimentis, ijsque multiplicatis, interuenientibus. Quantumuis grauem personam appositè dimittebat, vel audito pulsu ad orationem, vel cùm instabat exercitiorum eius distributio.

Ex his videre liquet, quantum meritorum cumulum secum in cælum detulerit hic vigilans mercator spiritualis, quósve adinuentionum suarum fructus inibi comedat, iuxta frequentem repetitionem illorum verborum ab ipso factam: *Dicite iusto quoniam bene, quoniam fructum adinuentionum suarum comedet.* *Isaiæ 3.*

Pauca sunt, quæ hactenus dixi de proposita quæstione, pro rei dignitate. Et verò ea nulla eloquentia exprimi possunt: hæc enim ignota, abdita, recondita, planeque spiritualia, fugiunt sensus humanos, nec videri possunt sine cælesti lumine, & ampliùs à Praxi quàm à magistris dependent ac capiuntur. Deus verò magnus artifex est; & magna operatur, qui potens est. Ideo inter fructus præsentiæ diuinæ vnus anonymus positus est, & quidem præcipuus: quia interna cum Deo conuersatio eos fructus parit, qui noti sunt solis beatis, Deum miraculorum laudantibus, qui per infirma mundi admirandas virtutes suas operari non dedignatur. Ipsi gloria in sæcula. *Conclusio.* *Luc. 1.*

CAPVT XXXIII.

Virtutes Theologicas opportunas admodum esse Negotiationi spirituali, & omnino necessarias; fidem in primis, cuius rationes in Praxi debent humanis præponderare.

Virtutes Theologicæ vtilissimæ sunt Negotiationi spirituali.

203. NEGOTIATIONI spirituali virtutes Theologicis vtiliores nullæ sunt; nullæ certè familiariores esse debent: & in primis caritatē ipsam PERFECTIONEM esse statuimus, ac Negotiationis finem; cuius Praxis in singulis actibus necessaria est. de hac multa diximus, tamquam prima ordine dignitatis: quamquam & primum locum tenere debuit in hac tractatione, cùm & ipsi sapientia primas tribuat. *Ego*, ait sapientia, *mater pulchræ dilectionis, & timoris, & agnitionis, & sanctæ spei.* Dilectio ac timor, qui sunt fratres germani ex eadem matre insita nempe caritate exorti, primi nominantur; deinde agnitio, quæ fidei est; denique sancta spes vltima collocatur. Nec est, quòd quis miretur fidem caritati postponi, aut etiam spem: agimus enim hîc de viuente negotiatore, qui dispositione fidei ac spei non indiget ad iustitiam acquirendam, quam modò adeptus est; agimus de animæ vita ac forma, quæ fidem præsupponit, & spem accendit. quis enim speret efficaciter æternam compensationem, qui nondum Dei amicitiam (quæ condicio est negotiatori necessaria) consecutus est? Præcedit ergo fides in genere causæ efficientis; generat enim cum spe & timore, pulsis fugatisque quasi peccatorum tenebris, caritatem: sed in genere causæ formalis caritas præcedit, quæ ceterarum virtutum forma est, & informes meritò sine ea vocantur. sic sapientia, quæ caritati congenita est, verè affirmat se esse matrem agnitionis, ac sanctæ spei; quia fides & spes formatæ, à caritate generantur, vitamque accipiunt. Verùm à fide ordiamur.

Eccli. 24.

Quis ordo seruandus inter Virtutes Theologicas.

Fidelibus hactenus locutus sum, & ijs quidem qui interna amicitia cum Deo copulati: ideo pauca dè fide tractaui; cuius tamen vsus adeò necessarius est, vt, si desit, spiritus & vita nostris operibus etiam desit omnino, & Negotiatio spiritualis planè concidat: *est* enim *sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium.* Vocatur substantia, quòd omnibus & virtutibus & operibus substernatur; nec sperare diuina, nec amare, nec quærere sine ea liceat. nam sicut in radice arboris nulla prorsus apparet pulchritudinis species; & tamen, quidquid est in arbore

Necessitas Praxis fidei.

Heb. 11.

Fides quid sit.

Simile.

bore pulchritudinis vel decoris, ex illa procedit: sic ex fidei humilitate quidquid meriti, quidquid beatitudinis anima susceptura est, ex fidei fundamento procedit. hæc enim radix obscura & occulta argumentum est rerum non apparentium: non quòd rami & fructus bonorum operum non videantur; non quòd argumenta quibus credibilia ea fiant, quæ credenda proponuntur, obscura sint; non ita: euidentissima enim illa sunt, nimirum sanctitas eorum qui fide excelluerunt, antiquitas veræ fidei, successio Romanorum Pontificum, miraculorum gloria, fidei vnitas, aliæque notę similes; hæc etenim arguměta res fidei credibiles esse persuadent, sicut ait sanctus Rex: *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis.* nihil enim euidentius, quàm fidei documenta digna esse quibus totus orbis fidem adhibeat: vt meritò non modò cæci sint, qui tantum solem non intueantur; sed etiam (quia tanti splendoris est, vt & cæci videre possint; possunt enim hæc argumenta lumine naturali videri ac cognosci) oculos suos praui homines, ne hîc solem aspiciant, claudere videantur. Non sunt tamen hæc argumenta credulitatis, quibus fidei veritas, quæ maximè obscura est, appareat; sed tantùm credibilitatis, vt loquuntur Doctores scholastici. Fidei actus præcipuus est credere: credere verò non est scire; sed rei non visæ, non cognitæ, assensum præbere. Non enim credimus Deum esse trinum & vnum quia hoc antiquitas docuit, quia idipsum miraculis testatum est; sed quia Deus reuelauit Ecclesię suæ. Hoc argumentum est rerum non apparentium, obscurum, absconditum. *Aufer hinc argumenta*, ait Ambrosius, *vbi fides quæritur: in ipsis gymnasijs suis iam Dialectica taceat. Non creditur Philosophis, creditur piscatoribus: non creditur Dialecticis, creditur publicanis.* D. item [a] Gregorius: *Diuina operatio si ratione compreheditur, non est admirabilis; nec fides habet meritum, cui humana ratio præbet experimetum.*

Fidei obscura cognitio est.

Psal. 92.

Apud D. Thomam 2. 2. q. 1. a. 1.

De fide, ad Gratianum Augustum, lib. 1. cap. 5. in fine.

a Hom. 26. in Euang. in principio.

204. Est ergo fides obscurum argumentum; & cùm credimus, id quod credimus, non videmus: scimus tamen certissimum id esse, & certius quàm si cognosceremus intellectu, vel visu comprehenderemus; quia falli possumus sensibus, Deus verò, qui reuelat arcana sua, falli non potest, nec fallere.

Fidei certitudo.

Hoc iacto fundamento, quasi subsistentia actionum nostrarum, firmiter secureque incedimus; & sine dubitatione aut hæsitatione non modò progredimur, sed ad infinita agenda trahimur, quasi funiculo quodam; vixque consistimus, donec ea, quæ fide concepimus, ad finem perduxerimus. Peccato namque commisso, (verbi gratia) sciens me ab arbitro supremo fuisse visum, meritò contremisco, ipsum accedo, defleo peccatum perpetratum; nec quiescam, donec cum eo rediero in gratiam. Certò item & firmiter credo in Eucharistia IESVM Christum contineri: cur non ergo demissè ac reuerenter eum adorem,

alloquar, ac ſupplicem, & à calamitate aliqua liberari poſtulem? cur ob immenſam eius Maieſtatem fide conceptam atque apprehenſam quodammodo ad inferos vſque animo me non demittam?

D. Bonauent. 25. Memorial. in 22. tomo 7. folio 17.

Præſentiæ diuinæ conſideratio quantam vim habeat.

Videamus quid D. Bonauentura ex vnico hoc præſentiæ diuinæ articulo agendum ſuadeat, & quomodo ad eadem perficienda quaſi filo quodam deducat. *Solutus*, ait, *ab omnibus creaturis, tanto mentis conatu deſiderijq́ue feruore circa tuum creatorem intendas, vt, (quaſi omnium inferiorum oblitus) quidquid agas, vbicumque ſteteris, & quibuſcumque negotijs impliceris, die ac nocte, ac omni momento & hora, Deum ſemper habeas in memoria, credens & cogitans te eſſe veriſsimè coram eo, & ipſum cogitans vndique te aſpicere. Hæc autem cogita cum magna reuerentia, ac timore pariter & amore, & cum magna diſcretione; nunc ante pedes immenſæ Maieſtatis eius proſtratus, corde amariſsimo, peccatorum veniam poſtulando; nunc ſacratiſsimæ paſſionis Filij Dei gladio compaſſionis coram eius cruce vulneratus, cum eo lacrymoſus & flebilis apparendo; nunc totius vitæ illius decurſum obliquitati tuæ velut rectitudinis lineam præponendo; nunc inenarrabilia & immenſa Dei beneficia mente pertractans, gratiarum actionibus inſiſtendo; nunc ſtimulis ipſius amoris ardentiſſimè punctus, ipſum in creaturis omnibus intuendo; nunc potentiam, nunc ſapientiam, nunc bonitatem & clementiam eius attendens, eum deuotiſſimè in cunctis operibus ſuis collaudando; nunc deſiderio patriæ cæleſtis attractus, ad ipſum gemebundis ſuſpirijs anhelando; nunc circa nos viſcera inæſtimabilis caritatis eius aſpiciens, lætabunda quadam exceſſiua admiratione corde ac animo in ipſo deficiendo; nunc te præcipitem, nunc te fugientem, nunc te ruentem, nunc Deum te timentem ſubleuantem, retinentem, & attrahentem, nunc Deum te ingratum per omnia concernentem conſiderans, ineffabilibus diuinæ miſericordiæ viſceribus tibi patefactis, nimio in eo caritatis ardore te conferens, totum te fletibus reſoluendo; nunc verò occultiſſima, profundiſſima, & ſummè arcana, nimiumq́ue ſtupenda iudicia iuſtitiæ eius diligenter attendens, eum in omnibus fidelis & conſtans cum ſummo amore, ingenti quoque timore ac tremore, diſcretus, ſupplex & humilis venerando; præ omnibus autem continuam & viuam memoriam ipſius ſacratiſſimæ paſſionis in animo & corde tuo ferens.* Hæc Bonauentura, & verò hæc omnia ex vnici articuli conceptione colligens. Si enim Deum credamus vbique præſentem, & fides hoc nobis potenter obijciat; quis omni conatu nos voluntati ac beneplacito eius conformari oportere, eum demiſſiſſimè venerari, complecti, omnia amoris atque obſeruantiæ ſigna edenda eſſe, non iudicabit?

Qui fide vtantur, paucos eſſe.

1. Beati.

205. In cælo fide opus non eſt: beati non credunt, ſed Deum vident facie ad faciem; & in eo omnia, quibus abunde ſatientur, diuinamq́ue voluntatem cognoſcant, conſpiciunt.

2. Damnati.

In inferno fides diuina nulla eſt; naturalis eſt aliqua, quæ argumentis

tis quibusdam ac coniecturis nititur: *dæmones* enim *credunt, & contremiscunt*. *Iac. 2.*

Pueri & amentes Christiani, etsi habitum habeant fidei, fide tamen diuina non vtuntur; quia in intellectu & iudicio fundatur, quo vti non possunt. *3. Pueri & amentes.*

Hæretici, & alij infideles, nec habitum habent fidei, nec fide vtuntur diuina, sed fides eorum humana planè est; quia ratio, cur credunt, non est diuina reuelatio, sed eorum sensus & persuasio: credunt enim quæ volunt; quæ nolunt, minimè credunt. Caluiniani credunt quædam dogmata quæ tamen reuelata non sunt: materia autem fidei est reuelatio, seu quidquid reuelatum est diuinitus, siue immediatè à Deo per Prophetas, siue per Scripturam, siue per Christum IESVM, siue per Ecclesiam in Concilijs, siue per Dei Vicarium. non tamen, quicumque hæc credunt, fidem habent: nam si hæc credantur quia ita videtur credendum, hæreticorum modus hic est; forma enim & anima fidei est credere quia ita Deus reuelauit. Fide ergo hæretici ac ceteri infideles non vtuntur, quia non credunt ideo quòd Deus ea omnia reuelauit. *4. Hæretici & infideles.*

Minùs verò athei ac quidam politici: qui in hoc ab hæreticis differunt, quòd illi multa reuelata suo modo credant, sine forma quidem debita credendi; hi, credendi forma irrisa, nihil planè credant rerum reuelatarum: simulant tamen se credere ea quæ politiam promouent; & vnam religionem necessariam esse docent, non quia Deo (quem verè nullum in animo admittunt) honorem deferendum existiment, sed quia sine religione plebs coërceri non possit, nec regi: religio enim timorem incutit, Dei minas, iudicia, suppliciaque intentans. quæ dum rectores Reipublicæ inculcant, inconditam atque indoctam multitudinem sub Principum manu arbitrantur in officio posse contineri. *5. Politici.*

Politici hi sunt, quos si non noueris, tibi videbuntur viri spirituales, humano fastigio sublimiores, vitijs omnibus superiores, omnibus exculti virtutibus, Deum in ore perpetuò habentes, de Dei prouidentia multa denuntiantes, multa de patientia, de humilitate, (quas virtutes ex composito præ se ferunt) ad cælos vsque extollendo, disputantes. quamquam, si vitam moresque eorum discutias, in hisce duabus virtutibus nonnihil suspectos haberi posse reperies. In templis, vt in aulis, primi videri volunt. Pietatis id argumenti in eis obseruabis, quòd in pietate insensibiles sint: & licet optimè Magnatibus loquantur; Deo tamen, & Sacerdoti secreta audienti, infantes, ignari, mutique apparent. Cum omni hac pietate pro libro spirituali terunt Macchiauellum dies noctesque: inde spiritum hauriunt, & religionem omnem *Politicorum simulatio detegitur.*

suam, quam in Praxim redigunt diligentiùs quàm Euangelij doctrinam; occultè id quidem, non humilitatis causa; vt Christiani, (qui virtutem suam occultatam cupiunt) sed ne hypocrisis illorum detegatur: adeò vt nullus perfectus esse iam censeatur, nullus idoneus, eorum iudicio, qui res magnas tractet ac gerat, nisi familiarem sibi habeat Macchiauellum, sicut alterum Thomam à Kempis de imitatione Christi.

Horum minor fides, quàm dæmonum; hi enim aliquam habent, illi verò nullam: &, si habeant aliquam, (difficile enim est, lucente ratione, συντήρησιν diuinosque subinde lancinantes motus extinguere, atque omnino opprimere) sic tamen agunt, ac si non haberent; eosque motus comprimunt pro virili, ne eorum sentiant aculeos. visitant templa, sequuntur diuinissimam Eucharistiam, vt canes dominos suos; spe nempe frustuli panis, quod externa cærimonia emendicant: ecquid enim regna & imperia illis præter panis frustulum conferunt? Ideo

1. Tim. 6. Apostolus: *Nihil* (inquit) *intulimus in hunc mundum, haud dubium quòd nec auferre quid possumus: habentes autem alimenta, & quibus tegamur, his contenti sumus.*

206. Vbi ergo fidem inueniemus? & quis locus veræ intelligentiæ?

Luc. 18. Certè *Filius hominis veniens putas inueniet fidem in terra?*

6. *Christiani.* Christiani, Baptismatis vndis lustrati, fidei habent habitum; in quo ab infidelibus differunt, infantibus, & fatuis: in hoc conueniunt, quòd plerique ea pæne non frequentiùs quàm illi vtantur; & rariùs vterentur, nisi à Deo nouis illustrationibus impellerentur.

Argumenta quibus cognoscimus homines fide non vti. Hæc quàm vera sint, singuli de se statuant. Veritatis huius argumenta atque indicia sunt, [a] vita nostra; quæ longè alia foret, si à fidei norma dirigeretur: [b] deinde studium rerum humanarum, amor diuitiarum, honorum ac dignitatum consequendorum cura insatiabilis; [c] sed & neglectus diuinorum; fastidium virtutis, & salutis capessendæ; [d] consilia & sermones varij de rebus inanibus, ne dicam sceleratis & impijs. id verò præ ceteris arguit remotissimum à nobis fidei commercium, quòd, quæcumque agimus, non fidei rationibus, sed humanis tantùm causis, & fortè etiam imaginationibus, fulciantur. Non intendo quidem hîc iudicium humanum, prudentiam, rationesque conuellere aut excludere; sed alienationem à lumine præstantiori, & in tenebris huius mundi planè necessario, rarioremque eius vsum reprehendo. hunc enim defectum cùm turpe sit in aulis Principum, Regum, Imperatorum reperiri; tum in ijs turpissimum, qui professione purioris vitę Christianæ statum PERFECTIONIS ac condicionem sectantur ac profitentur.

a 1.
b 2.
c 3.
d 4.
5. *Homines in rebus agendis, neglectis fidei rationibus, solo ingenio aut etiam phantasia reguntur.*

e *Exemplis declaratur.*

1. [e] Bellum indicendum est: quibus causis? iisne ex fide deductis? si sic fiat,

fiat, bene habet, res ad Dei honorem & Reipublicæ bonum succedet; sin minùs, sæpe accidit quod quidam poëta expressit:

Quidquid delirant Reges, plectuntur Achiui.

Si pax concilianda, & rationes fidei interueniant, habita in primis Dei religionisque consideratione, durabilis hæc erit, & solida; sin humanis tantùm & labilibus fulciatur columnis & persuasionibus; Deus non irridetur. Si qui Rempublicam Macchiauelli potiùs quàm Christi legibus regant, florebunt fortè ij quidem ad tempus, & glorioso nomine potientur; sed falli non potest is, qui regit omnia, & potentibus potentior est. *Nescitis longas Numinis esse manus?* In infamiam omnis gloria, & splendor in putredinem, commutabuntur. *Memoria* enim *iusti cum laudibus, & nomen impiorum putrescet.* 2. *Prou. 10.*

Si filia collocanda in matrimonium, & solis humanis respectibus mouearis, opum nempe fauorisque flatu spem magnam adspirante; nescio quem exitum res sit habitura: ceterùm si impius ille sit, si deprauatis moribus, si impuræ religionis, si parentibus perduellibus, aut etiam hæreticis; qualis macula nomini tuo adhærescet, quid filia tua patietur, tu videris. Humanas rationes secutus es: quod intriuisti, exedendum erit. 3.

Vult alius Religionem ingredi: non quia ad PERFECTIONEM aspirat; panem tantùm (vt vulgò) impetrare nititur. Quòd si hic euadat inobediens, Religionis osor, libidinosus, apostata, quid huius ruinæ ansam attulit? attulerunt profectò rationes humanæ, quas taceo, quibus ad ineundam Religionem inductus est. 4.

207. Quàm verò perniciosum sit, in rebus agendis, promiscuè & indifferenter hisce rationibus insistere, luctuosus orbis casus, salutisque omnium interitus facilè ostendit. cùm enim primus parens fructum vetitum comedisset, non attulit Deo expostulanti aliam causam, quàm humanam. *Mulier,* ait, *quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, & comedi.* Deus bone! sciebas, ô Adam, agi de te, tuaque tota posteritate; de mundi ruina atque occasu: hæcne ratio sufficiens erat, vt Dei Creatoris tui, summique benefactoris, parentis optimi, mandatum transgrederere? *Lapsus Adami ex humana ratione.* *Gen. 3.*

Abel obtulit Deo de pinguioribus gregis sui ouibus, fructibusque melioribus. Hoc fratri displicuit illiberali. Morte moriere Abel; quia liberalior es quàm Cain. Ratio hæc humana est, quamquam & humanitatis leges omnes violet; dum propter humanas rationes trucidare fratrem, eumque innocentem & iustum, oporteat. *Cain. Gen. 4.*

Simeon & Leui, filij Iacob, fratres Dinæ, contra pacta ac fidem datam Hemor, eiusque filio Sichem, eos perfidè trucidarunt; masculos ciuitatis interfecerunt; oues eorum, & armenta, & asinos, cunctaque *Simeon & Leui. Gen. 34.*

vastantes quæ in domibus & in agris erant; paruulos quoque eorum & vxores duxerunt captiuas; vrbem denique ipsam depopulati sunt: cur ita? *In vltionem stupri* à Sichem Dinæ sorori illati. At grauior vltio hæc post iustam compositionem & compensationem: sed quid? humana hoc facit ratio.

Fratres Ioseph. Gen. 37. Venditur Ioseph in Ægyptum à fratribus, innocens, tenellus, percarus patri, frater optimus: quid meruit? in quem deliquit? quæ ratio est ita sæuiendi? humana: quia videlicet à patre plus ceteris amabatur.

Idololatria Israëlitarum. Exod. 32. Populus Israël, quem Deus ex Ægypto per inaudita miracula prodigiosè eduxerat, vitulum conflatilem erigunt, adorant, eiqúe applaudunt, dicentes: *Hi sunt dij tui, Israël, qui te eduxerunt de terra Ægypti.* Quid vos mouet, ô Iudæi; ô summi Dei selecte popule? Hoc, inquiunt, quòd nesciamus vbi sit Moyses; qui ferè à quadraginta diebus, conscenso monte, nobis visus non est. Humanarum rationum molimina hæc sunt.

Saul. 1. Reg. 20. 1. Reg. 18. Persequitur Saül Dauidem innocentem, mansuetum, patrem patriæ, qui gentem suam ab immani tyrannide Philisthinorum liberauerat: quid mali fecit? *Filius mortis est*, dicit Saül. qua ex causa? quia, cùm reuerteretur à cæde Goliath Philisthæi, virgines obuiæ ei occinebant: *Percußit Saül mille, & Dauid decem millia.* Sensit id Saül, & exclamans ait: *Quid ei superest, nisi solum regnum?*

Salomon. 3. Reg. 11. Salomon ędificauerat templa & altaria vxoribus suis, & concubinis; cum iisdem deos veneratur orbis sapientissimus: quid ita? amores & delicias contristare noluit, humanitate in nefarium sacrilegium degenerante.

Herodes. Matth. 2. Herodes timens successorem, dum verum Regem opprimere nititur, infantes innocentes trucidauit. Humanæ hic affectus rationis est.

Iudæi in Christum. Ioan. 11. Sed & Iudæi Christum Regem, Dominum, ac Deum suum interficiunt: quibus de causis? *Quia hic homo multa signa facit. Si dimittimus*, inquiunt, *eum sic, venient Romani, & tollent nostrum locum, & gentem.* & Caiphas: *Expedit vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat.* Quid, ô Caipha? quid? (inquam) si hic, qui tibi reus sistitur, culpa careat, reum esse mentieris? adiudicabis morti, in crucem ages, nulla seruata iuris forma?

Exhortatio, ne humanis rationibus ad operandum moueamur. 208. O quicumque hæc legis, quæso, considera quæ sint rationes, ob quas Dei respuimus amicitiam, & fœdissimè nosipsos in peccati lutum immergimus: hæ nempe, vel similes, quas aut cacodæmon aut natura fallax suggerit: Ne, ô homo, (homo enim es, & humanum est peccare) ne, inquam, hoc alienum ab homine putes: occasio sese offert, quam num-

numquam recuperabis. Iuuenis es, non religiosus: diu idipsum optasti: locus adhuc erit pœnitentiæ. Id amico petenti gratum erit. Alius verò, Vlciscar, ait, quod ille rogatus petenti rem mihi gratam atque optatam non concesserit; quòd mihi honorem non detulerit, minùs, quàm par sit, de me honorificè locutus fuerit: denique rem aggrediar; ita enim placet, volupe est, id mihi bonum esse reputo. O incredibilem dementiam! sunt hæ rationes adeò potentes, vt virum, & eum subinde sapientem, eruditum, vel in dignitate constitutum, è cæli vertice, vbi nomen eius descriptum est, deturbet? deturbat te, & sæpe. quòd si futilibus hisce rationibus opposuisses rationes fidei, non cecidisses. Quas? Deus, peccatorum vindex, præsens me intuetur: eius perdam amicitiam, si hæc fecero. Quid si illico moriar? quis mihi pollicebitur longiores dies, senectutisque tempora? ergóne excludar ab æterna vita? ergóne æternis ignibus pro breuissima voluptate cruciabor? *Fidei rationibus nitamur.*

Præponderant sanè rationes hæ & præstant firmioresque sunt præcedentibus; quas si pueri post delictum parentibus obtruderent, acerbè ab ijs vapularent: sed *maiorum nugæ*, ait Augustinus, *negotia vocantur; puerorum autem, talia cùm sint, puniuntur à maioribus.* *August. lib. 1. Confess. cap. 9.*

Considera etiam quibus actiones mortalium ceteræ rationibus nitantur, quid spectent diuites, quid ij qui alijs præsunt, quid mercatores, quid vel ij qui Deum in patrem sortemque suam elegerunt. Ingrediatur quisque conscientiam suam, & videat quoties sibi fidei rationes obijciat in rebus agendis domesticis, ciuilibus, politicis, in hominum societate, in contractibus. quid humanis dico? videat num & diuina inanibus huiusmodi basibus non fulciat. Si diligenter attendimus, videbimus sanè nos non ad rationes diuinas abripi, sed diuinas ad nostras pertrahi; nosque parum solicitos quàm rectè res geratur, modò quæ nostra sunt curemus & obtineamus.

CAPVT XXXIV.

Fidei Praxis, eiusq́; necessitas, sanctorum Patrum auctoritate rationibusq́; ostenditur.

Vsus fidei quàm nobis esse familiaris debeat, ex Patribus declaratur varijs similitudinibus.

209. QVAM familiaris fidei vsus nobis esse debeat, sancti Patres multis expresserunt: atque in primis Clemens Alexandrinus vult fidem non minùs nobis esse cõmendatam, quàm omnium elementorum vsum. [a] *Vt enim*, inquit, *absque quatuor elementis non licet viuere; ita nec absque fide licet assequi cognitionem*. Neque enim spiritualium rerum notitiam assequemur, nisi fide familiariter vtamur; & æquè quidem familiariter atque aqua & igni, aliisve elementis, quibus corpori necessaria comparamus.

1. a *Lib.2.Strom. sect. 4.*

2. *Conc. in cap. 5. Matthæi, tomo 2. Biblioth. SS. Patrum.*

Fidem nocte lucere ambulantibus.

D. Chromatius comparat opera nostra ambulationi nocturnæ: quam nisi lumen præcedat, periculo nos magni casus erroris que exponimus. *Lucerna*, ait, *corporis, sensus mentis, & fides cordis intelligitur: quæ si in nobis pura & lucida fuerit, sine dubio omne corpus nostrum illuminat. Idcirco autem lucerna in comparatione fidei ponitur, quia sicut lucerna incedentium in nocte gressus illuminat, ne aut in foueas, aut in offendicula quæque ambulantes incurrant; ita & in hac sæculi nocte splendor fidei omnes vitæ nostræ gressus, præeunte lumine veritatis, illuminat, ne aut in foueas peccatorum, aut in offendicula diaboli incidamus.*

3. *Serm. 12. de Græc. affect. cur. in princ.*

Theodoretus comparat fidem radici arboris; ex qua rami prodeunt ac nutriuntur: item acquisitioni scientiæ; quæ non prodest, nisi ei qui vti velit. *Sicut*, inquit, *arbores suis radicibus innituntur, & ab eis alimentum percipiunt; & iterum rami, folia, fructus ornant radicem; & radix inutilis esset, nisi hæc adessent: ita fides semper ornanda est operibus. & sicut qui picturam vel sutoriam artem perdiscunt, non solùm, vt earum rationem teneant, dant operam; sed vt multo magis suis manibus exerceant: sic moralis philosophia, hoc est, Euangelica doctrina, non tantùm discenda est vt eam sciamus, sed verbis, moribus, & vita exprimamus.*

4. *Hom. 17. in epist. 1. ad Tim.*

Chrysostomus vult nihil salutare inueniri posse, nisi fidei operatio concurrat. *Neque enim*, inquit, *si quis clausis oculis quærat, inuenire quid poterit; sicut item, si apertis illis seipsum humo obruat, auersatusq́; solem ibi inquirat, inuenire aliquid nequaquam poterit. Adeò sine fide nihil inueniri potest, eaq́; absente pugnas nasci necessariò contingit*. Hæc ille. vt, qui quærit scientiam, si iudicio suo solo procedat, superbiam fastumque potiùs quàm veram scientiam inueniet: qui honores quærit, si fidei subsidium non adhibeat, ambitionis æstu abripietur: si quis quærat diuitias, & rationibus

nibus suis fidem non adiungat, in auaritiæ laqueos incurret, *& in deside-ria multa inutilia & nociua, quæ mergunt homines in interitum.* *1. Tim. 6.*

Duo alia emolumenta Praxeos virtutis huius adfert auctor Operis imperfecti: alterum, quòd artes dæmonis detegantur; alterum, quòd quasi ex eminenti loco eius machinas euertamus. *Sicut*, inquit, *in turri consistentes duo bona consequuntur; & hostium irruptionem ipsi facilè nonpatiuntur, & hostes de turri facilè conterunt: sic & qui in fide Christi consistunt, vel in lege Dei, & dæmones super illos irruere non sinunt, & spiritualibus bonorum operum sagittis eos facilè vulnerant.* 5. *Homilia 40. in Matthæum.*

Denique Ambrosius vnico fidei exercitio victoriam contra hostes adscribit. *Citò*, ait, *fides inexercitata languescit, & crebris otiosa tentatur incommodis. Remissas excubias callidus insidiator irrumpit, assuctum autem bello virum externa fraus instruit, & gloriosæ prouehit palma victoriæ.* Pax *ergo fidei, corruptelæ materia est.* 6. *In Psal. 118.* Beati immaculati; *in octonar. 11. ad Vers.* Omnia præcepta tua veritas.

210. Accedit ratio, quòd impossibile sit tentationibus resistere sine gratia Christi: nullum verò opus ex gratia Christi efficitur sine fide, quæ mentem eleuat ad cognitionem supernaturalem: sine ea ergo vincimur, turpiterque ab hoste fugamur. *Ratione probatur fides Praxis.* 1.

Nullum quoque meritum operibus nostris attribuitur, quod non procedat à motu aliquo supernaturali: atqui motus omnis gratiæ oculum lumenque fidei requirit, vt videat homo quid agat, quo fine, qua ratione: sine fide igitur impossibile est quemquam mereri, nedum beatitudinem consequi. 2.

Accedit, quòd virtutum operibus beatitudo promittatur: fides autem ea est, quæ opera ipsa perficit, vt de caritate loquitur Apostolus. *In Christo* IESV, ait, *neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides quæ per caritatem operatur.* Beatitudo ergo æterna sine vsu fidei obtineri non potest. 3. *Gal. 5.*

Optima quoque est hæc D. Augustini ratio, quòd fides ex sua etymologia non tantùm assensum sonet, sed maximè actionem. eius sunt ista verba: *Credere in Christum fides vocatur. Difficile est vt malè viuat, qui bene credit. Credite ex toto corde, credite non claudicantes, non hæsitantes, non contra ipsam fidem humanis suspicionibus argumentantes. Fides appellata est ab eo, quia fit quod dicitur. Duæ syllabæ sonant, cùm dicitur fides: prima syllaba est à facto, secunda à dicto. Interrogo ergo te vtrùm credas. Dices: Credo. Fac quod dicis, & fides est.* Hæc Augustinus. Si profectò facimus quod credimus, numquam fides nostra erit otiosa. 4. *Serm. 237. de Tempore, qui est 2. Dominicæ 19. post Trin.*

Adde, omnia opera naturalia, si ad finem supernaturalem non referantur, inidonea esse, minusque proportionata vitæ æternæ: fides verò illa est, quæ eleuat potentiam, vt ad talem finem opus referatur, fiatque supernaturale ac meritorium: ex quo patet, si mereri velimus, 5.

necesse esse vt ad omnia fide, tamquam cælesti quodam oculo, vtamur. Id autem non tantùm verum est in rebus naturalibus, sed etiam in quibusdam operibus quæ natura sua supernaturalia sunt: quæ si naturalibus tantùm viribus fiant, naturalia tantùm erunt; qualia sunt, loqui linguis, eleemosynam largiri, dare corpus suum ita vt ardeat: eleuari enim mens debet virtute quadam, naturam excedente; quæ virtus si desideretur, non excedet effectus causam suam, nec consequenter finem illum eminentem meriti gratiæ & gloriæ poterit attingere.

6. *Simile.* Huc facit, quòd vbi Deum non intuemur, sed naturæ soli innitimur, vanitas illico in intentionem nostram irrepit. Mola quædam est anima nostra: si bonum frumentum non inferas, terit se, aut quidquid inieceris: similiter, si rationes in animum operantem inducas diuinas & æternas, optimam farinam educes, diuinas sanctasque operationes: si negligas, quæret se natura & conteret nullo fructu, magno suo damno; aut certè irrepet vanitas, error, aliaque incommoda magna; nihil verò vtilitatis defluet, etiamsi ab aurora ad vesperum gyret cogitationum mola.

In quibus operibus fide vti oporteat. 211. Quantum ergo vires ferent, danda opera est [a] vt in diuinis agamur impellamurq; fidei lumine. Non stupidi & insensibiles ad orationem accedamus, sed præmisso fidei actu, quo nos sistamus diuinæ præsentiæ.

[a] 1. Quoties item fidei aliquis articulus occurrit, vel effigies Saluato-
2. ris, B. Virginis, aut aliorum Sanctorũ, eleuata mente, veræ fidei actum eliciamus: augetur enim toties fidei habitus, & aptiores reddimur ad credendum diuina mysteria, eaque nobis cum voluptate ac fructu deinceps repræsentanda.

3. Idem vsu venire debet quoties actum alicuius virtutis exercemus, vt obedientiæ; rati non ab homine, sed à Deo mandatum prodire; in Superiore Deum ipsum agnoscentes, & interna reuerẽtia eum obseruantes. Si humilitatis exercitium occurrat, præcedat fides, quæ modum exercendi præscribat. Si desolati solatium quærimus, fide cælos conscendamus, à Deo postulaturi auxilium. Si fratribus denique pauperibus inseruiendum, fide illuminati in hisce omnibus virtutum illarum fines prosequamur.

4. 212. Vtinam & in domesticis, ciuilibus, ac politicis eam Praxim sequamur! profectò non tam sæpe, tam turpiter erraremus, si hac lucerna vteremur: negotia quoque nostra successum haberent; nam & à Deo dirigerentur, & Dei auxilium manifestè appareret. Hedwigis, Henrici Ducis Poloniæ vxor sanctissima, cùm hic captus esset in bello à „ Conrado Duce Cyrnensium, & armis cum sanguine repetendus foret; „ illa ad Ducem Conradum profecta est: qui vt eam conspexit, perinde „ ac si Angelum Dei vidisset, subito pauore corripitur, ferocem animum atque

Surius tomo 5. in Octobri, folio 771.

atque inflexibilem deponit, init concordiam, & Ducem Henricum „
dimittit. Quis, quæso, orator cum omni eloquentia sua, quod mulier „
fidei nixa præsidio, consequi potuisset? Rex Dauid hoc lumine opera
sua ac intentiones lustrabat, & (quod maius est) regnum suum eodem
administrabat. *Lucerna*, ait, *pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis* *Psal. 118.*
meis.

Aberrant grauiter, qui sine hac luce statum vitæ deligunt, qui testa- 5.
menta condunt, qui lites intendunt, qui familias regunt, qui ex suo iu-
dicio cuncta administrant, domos ædificant, thesauros recondunt,
amicitias iungunt, societates contrahunt: super arenam enim ædifi-
cant; flant deinde venti, flumina allidunt; ædificia verò, quia super
firmam petram ædificata non sunt, ruunt, soloque æquantur, & morta-
lium spes inanes concidunt.

Hi sanè agunt inconsultò: sed multo magis viri spirituales, qui, cùm 6.
desideria cordis sui sequi volunt, directoribus suis rationes humanas
obtrudunt, quibus agere ac dirigi cupiunt, non autem diuini Spiritus
aura; cumque à mundi flatu ac fastu longissimè abesse deberent, huius
sæculi hominibus volunt conformari, suisque rationibus regi. Ruunt
quoque omnia ædificia hæc, quia eorum fundamenta non super pe-
tram, sed in arena collocantur. Beatus Ludouicus Francorum Rex, ab *Corrozetus*
aulicis suis rogatus quonam gestorum suorum cognomine vellet in- *de dictis & fa-*
signiri, Victoria, inquit, Possiaca contra diabolum, dum baptizarer: vt *ctis Princi-*
enim prima, ita clarissima mihi obtigit. In hac sola glorior & trium- *pum Christia-*
pho: ab hac Ludouicus Possiacus denominari volo. Pluris faciebat » *norum.*
Sanctus Ludouicus vnicum religionis actum, quàm omnes res à se bene
gestas; quibus alioquin homines gloriosum sibi nomen comparare ac
gloriari solent: vnde frequens Possiacum adibat, magnaque animi sui
voluptate in victoriæ huius recordatione acquiescebat.

O mortales insensati, quid in iudicio vestro insano struitis? ædificate
in cælis; eò oculos conijcite: æterna illic sunt omnia, solida, & immobi-
lia. Deus æternis rationibus in rebus agendis nititur, quas euertere
nulla poterit humana industria. *Non enim cogitationes meæ, cogitationes* *Isaiæ 55.*
vestræ; neque viæ vestræ, viæ meæ, dicit Dominus: quia sicut exaltantur cæli à
terra, sic exaltatæ sunt viæ meæ à vijs vestris. Non enim est Deus quasi *Num. 23.*
homo, vt mutetur: nos verò mutabiles esse necesse est, quia fundamen-
tis mobilibus nitimur; Deus verò æternus *statuit ea in æternum & in sæ-* *Psal. 148.*
culum sæculi: præceptum posuit, & non præteribit.

213. Expedit ergo, vt studiosus PERFECTIONIS, inter prima *Fidei Praxis.*
Negotiationis exercitia, circa hanc virtutem versetur, ac animum ex-
colat, quo vtiliùs spiritualia concipiat atque apprehendat: est enim in-
strumentum commune, sine quo ceteræ virtutes nec haberi nec ex-
erceri

Heb. 11. erceri possunt; meritoque dixit S. Paulus, *Sine fide impossibile est placere Deo*. non tantùm vbi quis circa fidem hallucinatur, vel Christi fide caret; sed quia nullum opus, quod fide non nitatur, diuinum ac meritorium esse possit: crescit verò multiplicatis actibus lumen illud, & facilitatem spiritualia exercendi confert; &, quia opus supernaturale est, auget gratiam & caritatem; & quo frequentiùs eo vtimur, eo spiritualiores euadimus.

CAPVT XXXV.

Spem praeclarum instrumentum esse PERFECTIONIS, *ad difficultates magnas superandas, arduaq́ aggredienda.*

Spem necessariam esse ad magnas res gerendas.

214. INTER virtutes quibus caritas vtitur ad hostes suos expugnandos, ad difficultates superandas, ad ardua quæque aggredienda ac perficienda, spei virtus facilè primum locum obtinet. Sine ea languescit animus, vires labant, clypeum hastamque sæpe abijcimus. cùm enim sine Dei auxilio omnino nihil aggredi, ne dicam perficere valeamus; aberit haud dubiè auxilium, si spes abfuerit, quæ illud imploret: nec Deus dare consueuit, nisi imploremus, omnemque spem nostram in eum conijciamus. Hic gladius Gedeonis est, qui conterit castra Madian; rupes, ferrum, æs penetrat; nihil tam forte, tam inuictum, quod illa omnipotentis viribus non comminuat; nihil adeò inuium & inaccessum, quò non perrumpat ac peruadat. Vos, ô generosi ac inclyti Dei pugiles, inuito ad tantæ gloriæ ac Negotiationis societatem: magnæ vos opes manent, magna retributio. *Iudic. 7.*

Multa ijs patienda, qui pro Christo praeclara quæque aggredi cupiunt. Iudic. 7. Deut. 20.

215. Moneo tamen viam esse difficilem, arduam, multis laboribus obnoxiam, periculis septam, calamitatibus obuijs vallatam, hostium telis vndique obsitam. multa enim toleranda sunt, cùm in corpore & animo, tum in fama, honore, bonisque omnibus. Si qui meticulosi, si qui molles sponsarum amatores, si qui degeneres animi, ab hoc certamine remittantur domum. hostes nostri magni, formidandi, horrendi sunt: si tamen animus non desit, non deerunt vires, quibus illi ipsi cædantur, aut in turpem fugam vertantur.

Solatia non deesse ijs qui strenuè pro Christo laborant. Rom. 8.

Hoc in primis vobis animos addat, non defore solatia; quæ expectatione præmiorum tanta sunt, vt eorum partem exiguam nulla mens, nulla vis ingenij, nulla eloquẽtia non dicam explicare, sed ne minimum quidem adumbrare valeat. *Non sunt* enim *condignæ passiones huius temporis*

poris ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis : & *quod in præsenti est momentaneum & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis. nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quod præparauit Deus ijs qui diligunt illum. Spes* quidem *quæ differtur, affligit animam*; & nonnullis durum videtur, præmia laborum in futurum reseruari, & solatia huius vitæ multis misceri doloribus. Ita quidem se res habet: sed momentanea sunt huius vitæ mala, nec suo solatio carent; certissima verò, quæ à Deo promittuntur. Augustinus hoc argumentum tractans, *Non te terreat*, inquit, *Christiane, quòd credita differuntur. Licet in abscondito sit promissio, in spe tamen perseueret oratio. Exercere operibus, cresce virtutibus. Dum fidei constantia probatur, gloria retributionis augetur.* & [a] alibi, *Securus*, ait, *esto accepturum te vitam ipsius, qui pignus habes mortem ipsius.*

2. Cor. 4. — *1. Cor. 2.* — *Isaia 64.* — *Prou. 13.* — *In Sententijs D. Prosperi, n. 93. Operum 8. Aug. tomo 3.* — *Spes futura retributionis certa solatur in tribulationibus.* — *a In expos. Psal. 96. sub finem.*

216. Nec terreri debemus horrore malorũ, quæ ingruunt ijs qui hanc palæstram ingrediuntur. Ita est: patiendum est. ita nos Christus monuit: *Mundus gaudebit, vos autem contristabimini: In mundo pressuram habebitis: Trahent vos ante præsides, ad custodias,* ad carceres: *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.* Nec putent pugiles nostri id in aëre tantùm sonare, sic vt in eorum capita fulmen hoc numquam detonare debeat. Sanè ita animo dispositi sint, vt, quod monemur euenturum singulis, sibi quoque euenturum certò constituant. quod si non eueniat, arbitrentur se ex dilectis Domini non esse, quos tessera beneuolentiæ suæ insignire solet: nam *tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio verò spem, spes autem non confundit. Oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam.* Hæc spei nostræ sunt fundamenta. si enim necesse fuerit Christum pati; viamque ad æternam felicitatem aliam non esse, sancti omnes suo exemplo testati sint; cur nos immunes esse velimus? In hoc spem nostram fundari vult Augustinus. *Factus est*, inquit, *Christus spes nostra. In illo vides & laborem tuum, & mercedem tuam: laborem in passione, mercedem in resurrectione. Sic ergo factus est spes nostra. habemus enim duas vitas: sed vnam, in qua sumus; alteram, quam speramus. In qua sumus, nota nobis est: quam speramus, ignota nobis est. Tolera in qua es, & habebis quam nondum habes.*

Ioan. 16. — *Luc. 21.* — *Act. 14.* — *Rom. 5.* — *Luc. 24.* — *In Psal. 60. tomo 8.*

D. Basilius, [b] *Iter*, inquit, *facientibus per asperrima quæque ac pæne inaccessa loca, tædium subleuat laboris, spes certò proposita cõmodioris hospitij:* [c] *vtq; maris periculo ausint se committere mercatores, facit cupiditas parandarum mercium:* [d] *& agricolis imminuit ac suffuratur labores spes futuræ fertilitatis. Eam ob rem, qui nostram omnium vitam in commune dispensat ac moderatur eximius doctor Spiritus ille veritatis solerti sapientia & artifici consilio initio statim mercedem ponit ob oculos; vt laboribus, dum in manibus sunt, veluti iam transmissis, tota mente ad bona, quæ in cælis reposita nobis sunt, auidiùs properemus.*

Hom. in Psal. 1. — *Similia.* b 1. c 2. d 3.

Lib. 3. de prouid. Dei, in initio, tomo 5.

4. Chryſoſtomus autem eleganter (vt ſolet) hoc argumentum proſequitur. *Dic, oro,* inquit, *ſi quis te ad regnum terreſtre & imperium vocaret, atque ante ingreſſum eius ciuitatis, in qua coronãdus eſſes, in ſtabulum diuertere neceſſe eſſet, vbi luti plurimum ac fimi, viatorumq́; tumultus eſſet, & latronum perturbatio, ſummaq́; preſſura & anguſtia; num ad illa triſtia cogitatione conuerteretis? an non illa omnia, quaſi nihil eſſent, gaudio & ſpe regni contemneres? perquam igitur ineptum & indignum eſt, terrenis mortalibusq́; rebus potiturum, nihil his, quæ interim inciderint, contrahi; æterni autem regni ſpe elatum & erectum, atque ad cælos accerſitum, per ſingula quæ in diuerſorio contigerint triſtia decidere atque perturbari.*

In parænetica epiſt. ad Valer. longè poſt medium.

5. In eandem ſententiã appoſitè Eucherius Lugdunenſis: *Dirigenda eſt omnis animi intentio in ſpem futuri; quam ſpem vt pleniùs & manifeſtiùs conſequaris, aperire eam etiam ſub alicuius exempli condicione non abnuam. Si cui aliquis quinque hodie ex ære denarios offerat, quingentos verò aureos in craſtinum ſpondeat; optionemq́; offerat, vtrùm æs ad præſens ſumere, an aurum mallet in poſterum; dubiúmne eſt quin præoptet grandia illa munera cum parua mora? Tu quoque, breuis huius atque æternæ vitæ condicione perſpecta, num eligas capere vilia, cùm ſperare poßis pretioſa? Non eſt tanti ſumpſiſſe parua, quanti eſt expectare quæ magna ſunt.* Hæc ille.

217. Futuræ ergo retributionis, & quidem certiſſimæ, ſpes animos vehementer accendit; futuræ tamen, non præſentis vitæ. Iuuat illam ſperare, non præſentem optare, ſi rem Domini agere velimus. Hîc lætari boniſque affluere, & in futura vita, non licet: alterum neceſſe eſt eligamus. Loquar confidenter incenſis amore Chriſti Domini pugilibus. Coronarũ, regnorum, gloriæ, voluptatis æternæ memoriam nonnihil ſeponamus: tempus retributionis veniet, cùm diuinæ videbitur bonitati; nunc verò ſibi quiſque dictum exiſtimet, quod Iacob Iudæ filio bene precando dicebat: *Catulus leonis Iuda; ad prædam, fili mi, aſcendiſti.* De bene merendo, de pugna, de prædis agendis, nunc quæſtio eſt, in quibus multa fortiter excelſoque animo toleranda. E mundo, è manibus diaboli, è carne noſtra prædæ ſunt captandæ & abigendæ: negotiandi tempus eſt, & de Domini noſtri lucro cogitandum, non de præmio; viderit ipſe, cuius cauſa negotiamur. Caritas præmium non quærit, ipſa ſibi præmij loco eſt. Spes multa patiendi, multa pro Domino noſtro perficiendi, inſignis theſaurus eſt: illum quæramus, illum inueniamus, & bene ſe res habet. Mandatum habemus ab illo: *Negotiamini, dum venio.* De ſpe itaque hîc agimus, non quæ quietem ſpectat, & retributionem; ſed quæ nos ad PERFECTIONEM aſſequendam, augendam, & illuſtrandam iuuat & promouet. Doctrina ſublimis, Negotium arduum, Praxis difficilis. Tradenda tamen hæc eſt, & quidem ſigillatim, facilique methodo, vt ab omnibus capiatur.

Gen. 49.

De conſolatione hîc non eſſe cogitandum.

Luc. 19.

CAPVT XXXVI.

Duo esse officia spei: alterum in sui diffidentia, alterum in Dei confidentia consistere: confidentiam verò rerum huius mundi plurimùm obesse rebus præclarè gerendis.

218. SPES duabus partibus perficitur: diffidentia sui, & confidentia Dei. qui enim ab alio opem quærit, necesse est fateatur imbecillitatem suam, quam ab eodem petit subleuari. Confidentia sine diffidentia propria, præsumptio est; diffidentia sine spe, desperatio. iunge vtramque, & quandā homini tribuis omnipotentiam. *Spes constat duabus partibus.*

Ex quo colligis, nos hîc de spe, quæ iustitia Deique amicitia destituta sit, non agere: caritas alioquin meritò queri posset; *Soror nostra parua, & vbera non habet:* pasci illa debet, nondum pascere; adhuc ianuam Sponsi pulsat, nondum ingressa thalamum, nondum ad complexus diuinos admissa est. multo minùs de spe eorum, qui Dei iustitiam beneuolentiamque minimè quærunt; sed in peccatis remanentes, multa nihilominus à Deo expectant, certoque sibi beatitudinem frustra pollicentur: interea iustos persequuntur; Dei sæpe causam oppugnant; voluptatibus suis, etiam fœdis, immerguntur; omnia sua ad honores & diuitias comparandas, augendas, conseruandas referunt; præterea finem alium sibi nullum proponunt. id verò quàm sapienter tuteque faciant, exitus comprobabit. De his tamen, ad consolationem constantiamque iustorum, quos ipsi (iusto Dei iudicio) persequuntur, aliquid dicendum est. *Quoniam spes impij*, ait Sapiens, *erit tamquam spuma gracilis, quæ à procella dispergitur; & tamquam fumus, qui à vento diffusus est; & tamquam memoria hospitis vnius diei prætereuntis*. Quæ omnia si consideres, admodum infida sunt, & breuia: quid enim bulla? quid fumus? quid memoria hospitis? & his quid breuius & inanius? in his tamen spes impij fundatur. *A verbis ergo viri peccatoris ne timueris, quia gloria eius stercus & vermis est. Sic viæ omnium*, ait Iob, *qui obliuiscuntur Deum, & spes hypocritæ peribit. Oculi impiorum deficient, & effugium peribit ab eis, & spes illorum abominatio animæ.* *Cant. 8.* *Spes impiorum contraria veræ spei.* *Sap. 5.* *Vana spes impiorum.* *1. Mach. 2.* *Iob 8.* *Iob 11.*

Mira de his hominibus refert Isaias, qui exprimit verba, quæ ipsi vel sermone, vel certè moribus proferunt. *Dixistis*, inquit, *Percussimus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum. Flagellum inundans, cùm transierit, non veniet super nos: quia posuimus mendacium spem nostram, & mendacio protecti sumus*. Quàm hoc verum est! tuentur enim homines *Isaiæ 28.*

nunc iniquissimas causas mendacijs; ijsque innixi, Deum, Ecclesiam, parentes, amicos, ceterosque oppugnant, & in eorum bona impetum faciunt. sed hæc non semper durabunt; addit enim Propheta: *Delebitur fœdus vestrum cum morte, & pactum vestrum cum inferno non stabit: flagellum inundans cùm transierit, eritis ei in conculcationem*. Nec proteget eos magni alicuius potentia atque auctoritas, versa iam fortuna, cuius rotam Dominus habet in manu. Imò puniuntur impij ijsdem sæpe auctoribus, quorum ope Deo hominibusque iniuriam intulerunt; aut certè eorum auxilio destituti, quàm vana fuerit potentium fides, quàm inanis stultè sperantium expectatio, ijdem ipsi re ipsa experiuntur.

Ibidem.

Spes in hominum potentia vana est.

Nec immeritò eis exprobramus, quod olim Rabsaces Ezechiæ Regi Iudæ. *An*, ait, *speras in baculo arundineo atque confracto, Ægypto; super quem si incubuerit homo, cõminutus ingredietur manum eius, & perforabit eam? sic est Pharao, Rex Ægypti, omnibus qui confidunt in se*. Pharao, Rex Ægypti, dæmonem, mundi huius tenebrosi principem, significat. Ille nobis multa promittit; vitam productiorem, sanitatem, opes, honores; quæ non præstat, eorumque loco multa mala infert: ac in primis fallit nos, & expectatione frustratur; manus nostras perforat, & operationes conuellit atque eneruat; prauaque consuetudine malè agendi, ad bonum nos ineptos reddit; vtpote manu seu animæ potentijs sauciatis.

4. Reg. 18.

219. Ex his negotiator spiritualis documenta duo colligit. alterum, eum qui ab impijs persecutionem patitur, parum debere esse solicitum: aut enim ij præualebunt, quòd viribus ijs polleant, quibus resisti non possit; & in hoc gaudeat IESV Christi miles, quòd Domini causa aliquid pati mereatur, ducatque id sibi magno honori, & emolumento maximo, denique ingentes Deo gratias agat: aut si expediat improborum conatibus resistere, idque Dei exigat gloria, forti sit animo; eorum arma instar telarum araneorum reputet, comparatione illius subsidij, quod à Domino veniet; & verò veniet cum internæ fortitudinis nouo sensu: quam quidem cum omni modestia testatam faciat Christi miles ad mortem vsque; nec facilè quidquam concedat impijs aduersariorum conatibus, quibus Deo auctore potest resistere.

Alterum est, vt diligenter caueat impiorum more prauis mundi huius consilijs, hominum fauoribus ac potentiæ confidere: hoc enim primum impedimentum est; & naturæ spei, quæ diuino præsidio innititur, planè repugnat: quod vt caueamus, sic hortatur nos D. Augustinus, & seriò inculcat: *Quanta tibi mundus post dorsum strepit, vt retro respicias, idest, vt in rebus præsentibus, nec præsentibus, (non enim dicenda sunt præsentia, numquam stantia) spem tuam ponas; & ab eo, quod promisit Christus,*

Sperantem in Domino decet cõtemnere spes hominum inanes.

Serm. 29. de Verbis Domini, cap. 5. & 6.

& nondum dedit, (sed, quia fidelis est, dabit) auertas animum tuum, & velis requiescere in mundo pereunte! Ideo enim Deus felicitatibus terrenis amaritudines miscet, vt alia quæratur felicitas, cuius dulcedo non est fallax: & de ipsis amaritudinibus conatur mundus auertere ab eo quòd intendis in anteriora, & retro conuertere. & infrà: *Quid strepis, ô munde? immunde, quid strepis? quid auertere conaris? Tenere vis periens; quid faceres, si maneres? quem non deciperes dulcis, si amarus alimenta mentiris?* Hæc Augustinus, & plura. Spes ergo mundi huius despicienda est, & auxilia repudianda; nisi Dei & auxilia & amicitiam perdere velimus. *Si* enim, ait [a] Regius Psaltes, *obliti sumus nomen Dei nostri, & si expandimus manus nostras ad Deum alienum; nónne Deus requiret ista?* Ad Dei namque gloriam spectat, vt ad illum, tamquam ad summum cunctorum malorum propulsatorem, bonorumque omnium originem, fortuna aduersa vrgente, manus supplices tendamus: quo fit, vt, quisquis in calamitatibus suis Dei oblitus, amicis, consanguineis, opibus, gratia, potentia nititur, is toties ad deos alienos manus suas quodammodo expandat; quod hic Propheta à se alienissimum esse demonstrat. *Allegoria idololatriæ.* a *Psal. 43.*

Hi non absimiles sunt ijs [b] qui turrim Babylonicã ædificabant; quorum studium ac spes in confusionem versæ sunt. Ita & hi, qui ab inundatione variarum calamitatum se suaque tegere ac liberare posse credunt, spe sua frustrantur, eorumque studia in confusionem aliquando tandem versa decidunt. hinc Isaias Iudæis: *Et confundentur* (ait) *ab Æthiopia spe sua, & ab Ægypto gloria sua,* in quibus spem suam & gloriam suam collocarunt; *& dicet habitator insulæ huius: Ecce hæc erat spes nostra, ad quos confugimus in auxilium, vt liberarent nos à facie Regis Assyriorum, & quomodo effugere poterimus nos?* & Ieremias: *Ab Ægypto* (inquit) *confundèris, sicut confusa es ab Assur.* *Turris Babylonica.* b *Gen. 11.* *Isaia 20.* *Ierem. 2.*

Longè certè Dauid aliud præsidium proposuerat, quod ex hoc vno testimonio cognosci potest: *Nolite confidere in Principibus; in filijs hominum, in quibus non est salus. Bonum est confidere in Domino, quàm confidere in homine. Bonum est sperare in Domino, quàm sperare in Principibus.* *Psal. 145.* *Psal. 117.*

220. Huc spectat inanis illa fiducia, qua homines diuitijs suis extolluntur: à qua D. Paulus diuites conatur deterrere. [c] *Præcipe*, ait, *diuitibus huius sæculi non sublime sapere, neque sperare in incerto diuitiarum, sed in Deo viuo. Qui confidit in diuitijs suis, corruet,* ait Sapiens; *iusti autem quasi virens folium germinabunt.* Denique Rex pijssimus quàm optimè: *Videbunt iusti, & timebunt, & super eum ridebunt, & dicent: Ecce homo qui non posuit Deum adiutorem suum, sed sperauit in multitudine diuitiarum suarum, & præualuit in vanitate sua. Ego autem, sicut oliua fructifera in domo Dei, speraui in misericordia Dei in æternum, & in sæculum sæculi.* *Spem diuitiarum esse quoque fallacem.* c *1. Tim. 6.* *Prou. 11.* *Psal. 51.*

Qui ergo vtiliter negotiari volunt, & lucrum reportare, in miseri-

cordia Dei ſperent. Cùm enim operum fructus à Deo manare debeant, à quo accipimus auxilium, ſine quo nihil poſſumus; ad illum neceſſe eſt confugiamus: quem ſi propter hominum fauorem ac potentiam, aut propter opum copias quibus nitimur, elati prætermittamus, & ſpes noſtræ concident, & vacui operibus bonis remanebimus.

CAPVT XXXVII.

Nimiam confidentiam pernicioſam admodum eſſe Negotiationi ſpirituali; hominesq́ illius cauſa grauiſsima ſalutis pericula incurrere.

221. IMPEDIMENTVM aliud eſt hominibus ſpiritualibus pernicioſiſſimum: quòd arbitrentur ſe ingenio, viribus, conſilijs multa poſſe; nec opus eſſe ab alio pendere, cùm in ſe ea præſidia habeant, quæ ſufficiant ad ardua quæque aggredienda ac perficienda. *Præſumptio vitium eſt enorme.* Confidentia hæc, virtus non eſt; ſed enorme præſumptionis vitium, omnis heroicæ, imò cuiuſlibet ſupernaturalis actionis tinea, peſtis, atque interitus.

Præſumptio ingratitudinis mater. Eſt namque præſumptio in primis mater ingratitudinis: qui enim ſine auxilio aliquid putat ſe poſſe perficere, cùm illud effecit, ſibi ſoli factum adſcribit. *Serm. 51. in Cant. poſt medium.* *Ingratitudo* verò, vt vult Bernardus, *inimica eſt animæ, exinanitio meritorum, virtutum diſperſio, beneficiorum perditio, ventus vrens, ſiccans ſibi fontem pietatis, rorem miſericordiæ, fluenta gratiæ.* Quis enim ſperat nouum beneficium accipere, qui ea, quæ à Deo accepit, ſibi ingratus attribuit, cùm tamen Deo accepta referre debuiſſet? Addit *Serm. 1. in capite Ieiunij.* Bernardus alibi: *Gratiarum ceſſat decurſus, vbi recurſus non fuerit; nec modò nihil augetur ingrato, ſed & quod acceperat vertitur ei in perniciem: fidelis autem in modico, cenſetur dignus munere ampliori.*

Filia ſuperbiæ. 222. Eſt præterea præſumptio filia ſuperbiæ; quæ impudentiſſimè furatur Dei honorem & gloriam, eamque ſibi adſcribit, & de ea tamquam de bonis proprijs gloriatur, quaſi potens in potentia ſua. *Iac. 4.* at *ſuperbis Deus reſiſtit, humilibus autem dat gratiam.* Peſtis autem hæc arrogantiæ ac ſuperbiæ, peccatum ſpirituale eſt: ideo oculis corporeis non videtur, ne quidem ſpiritualium; quia primùm oculos occupat, ac in ijs *Simile.* ſedem figit, ne videant. Facilè ciuitas occupatur, vbi à videndo & proſpiciendo ſpeculator impeditur. Eſt enim ſuperbia non tantùm in voluntatis elatione ac tumore, ſed in intellectu quoque magna ex parte reſidet;

residet; quem imbuit opinione virtutis, scientiæ, potentiæ, magnarumque virium, quas à se habere, aut certè suis meritis sese comparasse arbitratur.

Eo ergo maximè nocet arrogantia hæc, quòd hostis esse nesciatur, nec adesse conspiciatur. naturale quoddam vitium est singulis concreatum, à prauitate naturæ & complexionis cuique quasi impactum: & quia pauci oculos ita perspicaces habent, odiosum hominem non reddit, si pallio fictæ humilitatis tegatur. Ferunt etiam homines in alijs, quod in se probant, quodque ambiunt, & in bonis reputant. Quàm multi in honoribus beatitudinem suam constituunt! omni studio eos quærunt; in adeptis gloriantur ac conquiescunt; eos, qui in ijs excellunt, magni faciunt ac deprædicant. Opinio hæc excæcat oculos hominum, vt non videant Deo soli deberi gloriam; quam sibi non tribuerent, si damnum, quod ex eo capiunt, perspectum haberent.

Ex quo aliud sequitur, peccati huiusmodi infamiam coram hominibus non apparere, vnde superbi erubescant; quare, modò honorabiles habeantur, parum interna mouentur turpitudine, quæ in hominum oculos non ita facilè incurrit. hinc sancti Patres monent aliquando minus esse in corruptionem cadere, quàm in cogitatione tacita deliberata elatione peccare. Sed cùm minùs turpis superbia creditur, minùs vitatur: luxuriam verò eo magis erubescunt, quo simul turpem omnes nouerint. vnde fit, vt nonnulli, post superbiam in luxuriam corruentes, ex aperto casu malum culpæ latentis erubescant; & tum etiam maiora corrigant, cùm prostrati in minimis confunduntur.

223. Ex hoc capite illud dignissimum notatu accedit: Dominum persæpe permittere, ratione huiusmodi arrogantiæ, vt homines in grauissima quæque scelera labantur, quo videant quàm parum possint sine eius præsidio: quod ordinariè elatis euenit, & sapientibus huius mundi; & initijs quidem occultè, deinde superbiæ vindex Deus toti mundo spurcitias illorum patefacit, vt erubescant & confundantur: verùm quia superbia mentes eorum occupauit, clausitque oculos, frontem eis quoque meretriciam æneamque ceruicem impressit, ideo iusto Dei iudicio fit vt pertinaces maneant, tandemq; supremus Iudex in ijs potentiæ suæ gloriam ostendat; & ad confusionem illorum tantum fastum exibilari curet, atque ab hominibus, qui Dei obseruant iudicia, potentia quoque eius ac gloria deprædicentur. *Graues oriri casus ex superbia.* 1. *In mundi huius sapientibus.*

Multa de Philosophorum arrogantia ac confusione scribit [a] D. Paulus; de quibus quia priori libro copiosiùs, iam huic argumento non immorabor. Attexam dumtaxat D. Hieronymi sententiam vnicam, hæc Ecclesiastæ verba exponentis: *Labor stultorum affliget eos. Lege*, inquit, *Platonem, Aristotelis reuolue versutias, Zenonem & Carneadem diligentiùs* 2. *In Philosophis.* [a] *Rom. 1.* *In cap. 10. Eccle. ad verba:* Labor stultorum affliget eos. *tomo 5.*

tiùs intuere; & probabis verum esse quod dicitur, Labor stultorum affliget eos. Veritatem illi quidem omni studio quæsiuerunt; sed quia non habuerunt ducem & præuium itineris, & humanis sensibus rati sunt se comprehendere posse sapientiam, ad ciuitatem minimè peruenerunt, de qua in Psalmo dicitur: Domine, in ciuitate tua imaginem ipsorum dissipabis. Omnes enim vmbras & diuersas imagines atque personas, quas sibi in varijs dogmatibus induerunt, in vrbe sua Dominus dissipabit.

Psal. 72.

3. *In ijs quoque qui Virtuti student.*

224. Nec modò hæc omnia de Philosophis aut hominibus mundi huius statuenda videntur, sed & de multis qui virtuti dant operam, quos propter insignem animi superbiam (quamuis subinde latentem & ignotam) Dominus vel in grauissimas tentationes labi, vel etiam in turpiora quædam scelera ruere præcipites permittit. *Audeo dicere*, ait Diuus Augustinus, *superbis esse vtile cadere in aliquod apertum manifestumq́; peccatum, vnde sibi displiceant; qui iam sibi placendo ceciderant. Salubriùs enim Petrus sibi displicuit quando fleuit, quàm sibi placuit quando præsumpsit. Hoc dicit & sacer Psalmus: Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum, Domine.*

Lib. 14. de ciuit. Dei, c. 13. in fine. Matth. 26. Psal. 82.

Illud hîc adijciam, solere huiusmodi superbos non ex graui tantùm tentatione in parua aliqua delicta prolabi, sed subinde ex minima tentatione in deformia quædam peccata incidere: vt cùm puellæ aut etiam coniugatæ nobiles arrogantiores in graue honoris vel discrimen vel dedecus induci se patiuntur, ob leuem à parentibus aut maritis alienationem, vel offensionem, aut ex leui solicitatione; viri quoque & quidem graues in amores deformium mulierum ac vetularum, imò etiam scortorum exoletorum, morbisque infamibus detestandorum, (quæ remedium incesti amoris potiùs quàm incitamentum adferre debuissent) corruunt, à quibus tamen auelli non possint.

Simile.

Etsi enim arrogantiæ noxa nobis exigua esse videatur, Deo tamen incredibiliter displicet, magnam ipsi irrogat iniuriam, multorum bonorum fontem obstruit; & quia curari non potest, imò ne cognosci quidem, sine imbecillitatis nostræ manifestatione, permittit Dominus nos nostro aliorumque bono fœdari, vt ad puritatis auctorem discamus recurrere, & in eius potentia, non in nostris viribus, consistere.

4. *Ostenditur idem contingere in tironibus.*

225. Ob hanc etiam rationem Dominus tirones omnes, nullis pæne exceptis, initio variè tentari permittit; nec cum vllis ferè videtur in isto genere exercitationis dispensare, vt eos hac ratione in diffidentiam sui inducat, & hanc doctrinam sibi non fidendi, non arrogandi quidquam, altissimè eorum mentibus imprimat ac defigat: qui si sibi præfidant nimiùm, haud dubiè labentur; quòd si imbecillitate cognita ad Dei auxilium recurrant, sensim emergent, & ad profectum animabuntur. docent enim sancti Patres, eos, qui seruiunt Deo, à dæmone frequentiùs

varijs

varijs tentationibus agitari: tristitia & diffidentia de Deo, vt bona inchoata deserant, vt non perseuerent, vt existiment se Deo caros non esse, vt locum, societatem, rationemque viuendi seueriorem commutent, in qua nouit dæmon plura fore ad labendum pericula. His alijsque id genus tentationibus, spem boni præ se ferentibus, dæmon seruos Dei aggreditur: quos verò vincit? Eos (aiunt) qui plus æquo confidunt sibi. vnde vidimus multos magna virtute præditos, & testimonio aliorum probatos, quos malignus spiritus propter nimiam istam confidentiam egit præcipites.

Hoc enim vitium præsumptionis cùm in tumidioribus mundi filijs inuenitur, tum etiam in iuuenibus ac tironibus, qui feruore puerili multa comminiscuntur; quæ si attentarint, in varia præcipitia feruntur. qua de re scribens Caietanus in illud Lucæ, *Omnis qui venit ad me, & audit sermones meos, & facit eos, ostendam vobis cui similis sit; similis est homini ædificanti domum, qui fodit in altum, & posuit fundamentum super petram: Hic*, ait, *describi vides ruinam hominis, qui congeriem operum suorum ædificauit super non integrum seu non firmum, vsque ad intima cordis penetralia, propositum perseuerandi in omnibus, vel propositum non fundauit super Christum: sic enim fiducia eius non est innixa super Christum, sed super viribus proprij animi. vtroque enim modo deest verum fundamentum: propter primum enim deest profunditas, & propter secundum deest petra*. Hæc Caietanus. 5. *In tironibus tacitam arrogantiam inueniri.* *Luc. 6.*

D. Augustinus, errorem cognoscens, defectum hunc lamentabiliter deflet in Soliloquijs. *Fortissime magnipotens Deus*, ait, *credebam me fore aliquid, cùm nihil essem: cogitabam me esse prudentem, & deceptus sum: dixi quòd diues essem, & nullius egerem; & nesciebam quia pauper eram, cæcus, nudus, miser, & miserabilis: & video nunc, si quid boni est, parui vel magni, donum tuum est; & nostrum non nisi malum est: quia, nisi custodieris ciuitatem, frustra vigilat qui custodit eam. Credebam me aliquid fore ex me, existimabam me sufficere per me, nec percipiebam quoniam tu regebas me, donec aliquantulum te elongasti à me, & cecidi statim in me: & vidi & cognoui quoniam tu regebas me; & quòd cecidi, fuit ex me; & quòd surrexi, fuit ex te.* *Soliloq. c. 15.* *Apoc. 3.* *Psal. 126.*

226. Detestandum ergo vitium est arrogantia, nullaque ratione (si negotiari velimus) in animum admittenda; ita enim loquitur Scriptura:[a] *Qui confidit in cogitationibus suis, impiè agit*. &:[b] *Qui confidit in corde suo, stultus est*. Amentiæ enim genus est, molarem lapidem eleuare velle, sine alis volare, in aqua vel aëre ambulare. Tantundem agit, qui opus supernaturale eleuare proprijs viribus nititur, qui ad diuina assurgere, qui tentationes graues superare, qui denique assequi PERFECTIONEM. Is profectò amens ab Angelis censetur; sed eo magis, quòd Deo detrahat, sibique vsurpet, quod ad ipsum solum pertinet. a *Prou. 12.* b *Prou. 28.*

Ideo Ieremias talibus malè imprecans, *Maledictus*, ait, *homo qui con-* *Ierem. 17.*

fidit in homine, & ponit carnem brachium suum: erit enim quasi myricæ in deserto; & non videbit cùm venerit bonum, sed habitabit in siccitate in deserto, in terra salsuginis & inhabitabili. & Ecclesiasticus ita nos hortatur: *Non te extollas in cogitatione animæ tuæ velut taurus, ne fortè elidatur virtus tua per stultitiam, & folia tua comedat, & fructus tuos perdat, & relinquaris velut lignum aridum in eremo.* Superbiæ taurum comparat; cui cùm liberum ad nos operaque nostra accessum permittimus, nos allidit grauiter; &, si quos fructus aut herbas virescentes produximus, illas, quasi bos, cunctas depascitur, calcat, ac destruit, manetque cordis nostri solum infructuosum, exiccatum, incultum, desertum, sicut lignum in eremo.

Eccli. 6.
Simile.

CAPVT XXXVIII.

Tacitam præsumptionem, multis incognitam, ad res magnas gerendas aditum præcludere. Quæ eius indicia.

227. HIS, quæ diximus, etsi plura addi posse ad perniciem arrogantiæ detestandam meritò videantur; (nam pauca mihi pro rei indignitate dixisse videor) tamen, ne longior sim, ceteris omissis vnicum operæ pretium me facturum confido, si, quod in hoc genere lateat, è profundissimis latebris eruatur, & in lucem producatur. Quam enim arrogantiam altero capite descripsimus, positiuam, actualem, & exercitatis sat palpabilem, haud difficile cuiuis iam erit agnoscere: alij verò arrogantes esse non putantur, quòd nihil sibi arrogare videantur; imò cum Pharisæo Deo gratias agunt, quòd non sint sicut ceteri hominum; &, cùm Christiani sint, profitentur omnia à Deo proficisci; merita quoque Domini nostri IESV agnoscunt; alios non contemnunt; vtuntur iudicio naturali, & facultatibus sibi à Deo communicatis: tamen, quidquid agant, hos limites non excedunt; ad Dei præsidium non recurrunt, rati se optimè fecisse, cùm vtcumque ex animi sententia res succedunt. sæpe nihilominus & in his arrogantia non exigua cernitur; atque in primis, quòd ardua quæque aggredientes, solo suo consilio nitantur: quotusquisque enim in aulis Principum (nisi admodum pij sint) negotia etiam summi momenti confert cum Deo, illique commendat? quis etiam inter Ecclesiasticos promiscuè hoc consilio vtitur? quis inter Religiosos sic Deo nititur, vt eius ope indiget? & sanè ardua illa, quæ salutem animarum concernunt, quæ publicæ rei bonum spectant, vt bene fiant, non sine eius

Luc. 18.

Arrogantia tacita indicia.
I.
Ad Deum non recurrere, in rebus magni momenti saltem.

eius ope fieri possunt. si eius consilio non vtamur, meritò se prætermissum queri potest. Non vtêre calceis vicini tui, nec scopis quidem, quibus indiges, ni primùm illum consulas: multo minùs si sis in familia vbi licentia vel auxilio patris-familias pro aliqua re opus est. Si in curia existas, vbi Regis auctoritate atque præsidio indiges; Rege minimè consulto nihil aggredieris: imò etsi sigillum eius habeas, aut clauem auream triclinij, nihil vmquam sigillo munies, aut è triclinio educes; præsertim si consensus, notitia, & auctoritas eius concurrere debeant. At nihil sine Deo agere, nihil supernaturale, imò naturale proferre, non modò sine auctoritate, sed & sine concursu atque auxilio eius, possumus: qua ergo ratione res nostræ felicem exitum sortiri possunt, ipso non audito, nec consulto? Et quamuis lege ordinaria statuerit concurrere in operibus naturalibus, ac etiam supernaturalibus, cùm ex habitu virtutum procedimus; non promisit tamen optima semper quæque fore consilia, quæ tibi in mentem primùm occurrerint, aut infallibilem assistentiam, nullo ab ipso petito subsidio. Sicut ergo eum Nobilem sibi præsumere atque arrogare diceremus, qui propria auctoritate potentia Regis vteretur, quantumcumque Regem laudaret; nec pateremur ipsi res nostras pro cuiusque libidine vsurpari, nobis non consultis: ita pro genere quodam arrogantiæ Deus reputat, cùm in rebus, præsertim magni momenti, vix semel in anno dignamur ad ipsum (cuius nutu tamen ac voluntate fieri debent omnia, vtpote orbis vniuersi rectoris ac supremi dictatoris) accedere, ac res nostras commendare.

Similia.

Fiunt nostra quidem subinde non malè; sed quia sensu nostro fiunt, qui præsentia tantùm speculamur, futura non prospicimus, nec rerum inter se dependentiam, breui ea inter se conuelluntur, & ad nihilum rediguntur: quæ verò Deo auctore constituuntur, qui nouit rerum tempora, ordinesque, causas, ac consecutiones, ea sapienter ordinantur, & futuris sæculis vtilitatem, exemplum, admirationemque pariunt. O si cognosceremus quantum nobis detrimenti atque Reipublicæ adferimus, quantum de eius splendore, commodo, protectione detrahamus, hoc Dei præsidium negligentes! nemo mortalium nouit; nouere soli beati, & Deus maximè, qui semper præstò est, vt petentibus dona largiatur. Et cur mundus tot calamitates patitur? familiæ malè reguntur? tot bella infeliciter geruntur? tot prouinciæ ac regna non adeò secundo successu administrantur? quia homines humeris suis ea sustentare præsumunt, suis viribus, suopte ingenio; vltra hos limites non transgrediuntur; ideo confusio magna & singulos inuoluit, & communitates euertit.

228. a Alterum indicium arrogantiæ tacitæ est, quòd homines gloriam

a Indicium 2. Quòd homines non Dei, sed suam gloriam quærant in rebus quas faciunt.

 riam

riam suis è facinoribus reportare intendant; & verò ijs quomodocumque patratis extolluntur, ea persæpe commemorant, in tabulas publicas & annales referunt, suæque posteritati tamquam præcipuam hereditatem relinquunt: quæ tamen si discutiantur, erratis scatentia, multaque sæpe reprehensione digna inuenientur; & ideo maximè, quòd os Domini non consuluerunt, suamque, non Dei, gloriam quæsiuerunt: huius enim, non nostra, gloria quærenda est; de nostra ipse plus satis erit solicitus. hunc enim finem gloriæ Dei res omnes prospiciunt; ad eum naturali quodam pondere tendunt; quia Creatorem suum illum esse cognoscunt, suumque principium ac finem vltimum: refluunt ergo, vt bene eis sit, eò, vnde sunt profectæ. *Creauit Deus*, ait Moyses, *cunctas gentes in laudem, & nomen, & gloriam suam*. & Sapiens: *Vniuersa propter semetipsum operatus est Dominus*. Et meritò hanc gloriam exoptat Dominus, quia dignum & iustum est vt ei hoc reddatur; nec exigit aliud, quàm summè sibi debitum: sicut pater sine iusta reprehensionis causa exigit honorem ac obseruantiã sibi à filijs exhiberi. Quòd si quis honorem in se deriuare moliatur, Deo infert iniuriam: quod D. Augustinus optimè declarat. *Tuum*, inquit, *Domine, est bonum, tua est gloria: qui enim de bono tuo gloriam sibi quærit, & non tibi quærit, hic fur est & latro; & similis est diabolo, qui voluit furari gloriam tuam*. & scribens ad Aurelium, *Quod*, inquit, *accipitur laudis aut honoris, non propter se, qui totus coram Deo esse debet, & humana contemnere, sed propter illos accipiatur, quibus consulere non potest, si nimia deiectione vilescat*. expedit enim nos subinde honores admittere, non nobis, sed Deo, vt in seruis suis honoretur; & proximus vtilitatem accipiat, quando serui Dei huiusmodi honores sibi non quærunt, sed Deo & proximis. vnde D. Bernardus: *Fratres* (inquit) *nemo vestrûm velit laudari in vita ista; quia quidquid hîc fauoris captas, quod ad Deum non retuleris, ipsi furaris: tibi enim vnde gloria, putide puluis? tibi vnde? de vitæ sanctitate? sed Spiritus est qui sanctificat; Spiritus dico non tuus, sed Dei*.

Deut. 26. *Prou. 16.* *In Soliloq. c. 15.* *Epist. 64. ad Aureliũ Episc.* *Serm. 13. in Cant. post medium.*

Indicium 3. Quòd homines exponant se peccandi periculo.

229. Tertium indicium arrogantiæ ac præsumptionis tacitæ est, quòd homo sæpe se periculis peccandi exponat sine iusta causa: vt si quis castitatem profiteri velit, & excellere in ea, interea in conuiuijs frequens est, & in mensarum delicijs familiariter cum mulieribus conuersatur, subinde etiam leuioribus, & solus cum sola, & quidem in tenebris, somno atque otio sæpe indulget, vestium cultum atque mollitiem sectatur; hic si castus est, vel stipes est, vel certè Deus cum ipso in lege ordinaria dispensauit: quandoquidem viri eximiæ sanctitatis sobriè viuunt, seuerè in corpora sua animaduertunt, à vino abstinent, nisi necessitas cogat; duriùs dormiunt, & statis paucisque horis; sensus diligenter custodiunt; numquam soli, sine arbitris, mulieribus loquuntur;

tur;

tur; & tamen queruntur nullum molestiorem se pati aduersarium, quàm domesticum. Sed in die iudicij mira arcana detegentur, quæ nunc homines latent. Vlcus olim attigit Dominus IESVS, sed non omnino apertè, quando Iudæorum Principes vocauit *sepulcra dealbata, quæ aforis parent hominibus speciosa, intus verò plena sunt omni spurcitia.* *Matth. 23.*

Rutgerus quidam è D. Francisci familia, vitæ integerrimæ, numquam oculos conijciebat in feminas, etiam notas: à quo sciscitatus eius Pater spiritualis quid causæ esset, cur, cùm tanto puritatis dono præditus esset, vultum tamen auerteret à conspectu mulierum honestarum; respondit, quando homo facit quod in se est, occasionesque fugit peccandi, tum vicissim Deum facere quod in se est, hominemq; tueri; quando verò quispiam se temere conijcit in discrimen, tum meritò à Deo deseri, hominesque plus æquo sibi prȩfidentes facilè in peccatum labi: *qui* enim *amat periculum, peribit in illo.* *Lib. 1. Confor. S. Franc. parte 2. & lib. 1. hist. Seraph.* *Eccli. 3.*

Indicium præterea falsæ confidentiæ, seu tacitæ præsumptionis, est, quòd, qui rem arduam aggreditur, vel tentationi resistit, de qua victoriam reportare nititur, si contingat ipsum spe sua frustrari, vel in defectum prolabi, illico abijcit animum, nolens ampliùs conceptum decus persequi, aut victoriam de passione sua reportare; ratus rem esse vel omnino impossibilem, vel nimis arduam ac difficilem. non enim viribus humanis huiusmodi perficiuntur, sed Dei auxilio; quod non minùs paratus est nobis nunc conferre quàm antea, modò de viribus nostris diffidamus, & in eo confidamus. Idem iudicandum est de tristitia quæ casum illum consequitur: si enim is qui spe excidit, vel lapsus est in peccatum, graui tristitia afficiatur; quo maior ea fuerit, eo maius indicium confidentiæ propriæ est, quæ ob humiliationem & confusionem hunc mœrorem inducit. Qui rem minùs gloriosè gessit, aut qui cecidit; tristatur is quidem, sed omnis eius solicitudo circa reconciliationem cum Deo, vel augmentum diuinæ gloriæ, versatur; quæ spem non excludunt, sed augent: vt sicut sibi præfidētes non modò animum abijciunt, ac recedunt à prosecutione boni quæsiti, sed etiam à medijs salutis alienantur; (deserunt enim Sacramentorum remedia, solita pietatis opera) ita & de se diffidentes, Deique subnixi auxilio, eadem bene agendi desideria retinent, & primùm omnium ad salutis subsidia conuolant, Sacramentorum arma corripiunt, & operibus bonis Dei misericordiam & auxilium ad resurgendum beneque agendum sibi demerentur. *Indicium 4. Animi deiectio & tristitia.*

Quòd verò illa animi deiectio ac tristitia indicium sit præsumptionis, non confidentiæ diuinæ, ex eo maximè colligitur, quòd ea tristitia prȩfidentis nascitur ex eo, quòd contra opinionem de suis viribus conceptam videat illum casum aduersum sibi accidisse, nec posse deinceps

vlla ratione desideriorum suorum scopum attingere: non enim statuit aliter procedere quàm antea; id est, assequi votorum summa suis viribus, sibique gloriam de re bene gesta adscribere: at quia id non potest; &, si attentet, id frustra fiet, & cum eius ignominia; ideo tristatur.

Indicium 5. Quòd actibus virtutum nullis vtamur.

230. Quintum arrogantiæ tacitæ indicium est, quòd in re tanta, quæ geritur, quæq; nostram aut interdum etiam Reipublicæ salutem cõcernit, nullius virtutis vsus appareat: non fidei (vt antè diximus) quia fides rationibus supernaturalibus vtitur: non spei, quia hæc Domino innititur, ideoque fortitudinem induit. hi verò qui sic agunt, molles omnino sunt: & si minimum incommodũ occurrat, si de peculio eorum aliquid deducendum, si periculum vitæ adeundum, facilè se subducunt; gaudent verò si res prospere adueniant, suopte casu, secundaque fortuna: quod vbi euenit, sibi gratulantur, gaudent, sibique attribuunt, quasi ipsius rei gestæ causa extiterint. Ita est; ita mundus regitur, pessimeque se res persæpe haberent, nisi eos Deus, quos condidit, diligeret, eorum misereretur, eosdemque sua bonitate sustentaret, mundum regeret pro nutu & sapientia, ac de singulis misericorditer disponeret.

Deo displicere præsumptionẽ, exemplis ostenditur.

Re ipsa tamen voluit testari, nimiam hominum confidentiam sibi displicere, eorumque studia funesto exitu persæpe concludi. Filij Iacob vendiderunt [a] Ioseph in Ægyptum, suo quidem consilio; at Dominus, qui è malis hominum solet bona elicere, effecit [b] vt summo honori Iosepho ea venditio cederet, ipsis verò [c] ignominiæ & timori, vbi fratrem suum Ioseph eo loco conspexerunt, quo meritas ab eis pœnas posset exigere.

1. a *Gen. 37.* b *Gen. 41.* c *Gen. 45.*

2. *1. Reg. 13.*

Saul non consulto Domino sacrificium obtulit, cùm bellum ingrueret; aduenit denique Samuel, eique idipsum exprobrauit, dicens: *Stultè egisti, nec custodisti mandata Domini Dei tui, quæ præcepit tibi. Quod si non fecisses, iam nunc præparasset Dominus regnũ tuum super Israël in sempiternum; sed nequaquam regnum tuum vltrà consurget. Quæsiuit Dominus sibi virum iuxta cor suum, & præcepit ei vt esset dux super populum suum.*

3. *1. Reg. 15.*

Idem Sauli contigit in expugnatione Amalec: pepercit enim Regi Agag, & optimis gregibus ouium & armentorũ, & vestibus, & arietibus, & vniuersis quę pulchra erant. Sed quid secutum est? Occurrit Samuel, grauiq; sermone sic eum affatus est: *Nónne, cùm paruulus esses in oculis tuis, caput in tribubus Israël factus es? Pro eo ergo quòd abiecisti sermonem Domini, abiecit te Dominus, ne sis Rex.* Excusauit se Saul, quòd putaret fecisse quàm optimè, ad sacrificia Deo offerenda; sed idipsum contra expressum Dei mandatum: de quo si dubitabat, consulere Dominum priùs poterat, aut sapientes; quod prætermisit.

4. *Iudic. 20.*

Filij Israël, coacto exercitu quadringentorum millium, vt delerent filios Beniamin ob nefarium stuprum illatum vxori cuiusdam Leuitæ; dum

dum hostem adoriuntur, ceciderunt ipsi primo congressu viginti-duo millia virorum, secunda verò pugna ijdem & altera vice à filijs Beniamin è Gabaa egressis cæsi sunt ad octodecim hominum millia. Vix alia causa cædis huius colligi potest, quàm quòd fortitudine & numero confisi, hostes suos aggressi fuerint.

Iosue quoque egregiè deceptus est à Gabaonitis, simulantibus se è 5.
remota regione venisse, societatem amicitiamque postulantes. huius *Iosue 9.*
erroris Scriptura causam illam commemorat, quòd os consiliumque Domini super hoc negotio explorare neglexisset.

Iosephus & Azarias, Principes virtutis, audientes præclara Iudæ 6.
Machabæi facinora, voluerunt & ipsi sibi nomen parare. Occurrens *1. Mach. 5.*
Gorgias eos fregit, fugauitque vsque in fines Iudæ; *& ceciderunt* (ait Scriptura) *illa die de populo Israël ad duo millia viri, & facta est fuga magna in populo, quia non audierunt Iudam & fratres eius, existimantes fortiter se facturos.* Ita nobis accidit, cùm absque consilio cæcoque impetu in desideria nostra ruimus; meritasque damus pœnas temeritatis, quòd ab eo consilium auxiliumque minimè postulemus, sine quo hostes, siue corporales, siue spirituales, nullo modo vincere possumus.

CAPVT XXXIX.

Laus diffidentiæ propriæ, eiusque vtilitates.

231. DIXIMVS de præsumptione t[illegible]: vult enim Dominus vt *Maximã vim*
non tantùm reipsa scientes & volentes non præsumamus *spei pæne in sui*
de nobis, sed ne dissimulanter quidem; imò vt planè diffida- *diffidentia consistere, proba-*
mus de viribus nostris. In hoc maxima vis virtutis huius consistit; *tur 1. ex Scriptura.*
quod è litteris sacris colligimus manifestè.

Iosaphat enim fortissimos aduersarios Moabitas & Ammonitas de- 1.
uicit, hac precatione præmissa: *In nobis quidem non est tanta fortitudo, vt* *2. Paral. 20.*
possimus huic multitudini resistere, quæ irruit super nos; sed cùm ignoremus quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, vt oculos nostros dirigamus ad te. Placuit Domino diffidentia illa Iosaphat, eiusque orationem exaudiuit: atque hostes, in semetipsos conuersi, ingenti miraculo mutuis concidêre vulneribus.

Cùm Asa, Rex Iuda, diffideret se posse idola, quæ antecessores sui 2.
erexerant, destruere, timeret de cetero Dominum; egregiè excelsoque *2. Paral. 15.*
animo præstitit officium illud, animatus verbis Prophetæ Azariæ dicentis: *Confortamini vos, & non dissoluantur manus vestræ; erit enim merces operi vestro.*

Monet

3. Monet etiam nos Sapiens: [a] *Humiliare Deo, & expecta manus eius*. Qui
a Eccli. 13. enim indiget ope operaque alterius, necesse est vt eam demissè postulet; quod si fecerit, manum illius experietur adiutricem: quanto magis si Dei, tanti Domini, tanti Regis, opera opeque indigeamus!

4. Idem pæne Regius Propheta. *Sperent*, inquit, *in te, qui nouerunt nomen tuum; quoniam non dereliquisti quærentes te, Domine*.
Psal. 9.

2. Ex Patribus. Huc accedit sanctorum Patrum auctoritas, qui statuunt nec tentationes posse superari, nec quemquam ad PERFECTIONEM posse
1. pertingere, sine hac præuia scientia & Praxi diffidentiæ propriæ. Cassianus in hoc genere apprimè versatus, *Aiunt*, inquit, (Patres scilicet) *non posse ad purum quempiam carnalibus vitijs emundari, nisi vniuersum laborem suum atque conatum ad tantæ* PERFECTIONIS *finem intellexerit non posse sufficere, nec eam nisi miseratione Dei & adiutorio comprehendi*.
Lib. de instit. renuntiant. cap. 13. & 23.

2. Idem docet Richardus à S. Victore: *Impossibile est quempiam de seipso triumphare posse, donec experimento didicerit propria virtute se non posse obtinere triumphum*. Addit præterea: *Quantum fideles de se diffidunt, tantum in animo spei adiutorio confidunt; & quantum de se infirmantur, tantum fortes sunt & potentes in Deo*.
Lib. in Cant. cap. 21.

3. Idem D. Augustinus cõfirmat: *Nemo de corde suo præsumat, quando profert sermonem; nemo de viribus suis confidat, quando suffert tentationẽ: quia & vt bona prudenter loquamur, à Deo est, non nostra sapientia; & vt mala fortiter perferamus, ab illo est, non nostra patientia*. Cassiodorus in eandem sententiam explicans illud Psalmi, *Quoniam humiliata est in puluere anima nostra*, ait: *Magna contra diabolum arma sunt, in suis viribus fiduciam non habere; sed Deum rogare, qui aduersarium possit opprimere*.
Serm. de S. Vincentio.
Psal. 43.

4. D. Gregorius explicans illa verba Iob, *Si putaui aurum robur meum, & obryzo dixi, Fiducia mea; si lætatus sum super multis diuitijs meis, & quia plurima reperit manus mea: Sanctus vir*, ait, *nec aurum robur, nec sibi esse obryzum (id est, rudis auri molem) fiduciam credidit; quia spem ac delectationem suam in solius gratia Conditoris fixit. Quasi in aquis defluentibus fundamentum ponere est, in rebus labentibus spei fiduciam velle solidare: stante enim in perpetuum Deo, transeunt omnia. Priùs itaque curandum est ne quis temporalia diligat; ac deinde, ne in ijsdem temporalibus, quæ non ad delectationem sibi, sed ad vsum retinet, fiduciam ponat: quoniam coniunctus decurrentibus, mox statum suum animus perdit*.
Lib. 22. Moral. c. 2. in c. 31. Iob.

5. Huc accedit præclarum Serapionis dictum apud Cassianum, qui volebat passionis oppugnantis extinctionem à seruo Dei sibi diffidente spiritualiter & iugiter esse poscendam. *Impossibile namque est*, ait, *de qualibet passione triumphum quempiam promereri, priusquam intellexerit industria vel labore proprio victoriam certaminis semet obtinere non posse; cùm, vt valeat emundari, necesse sit eum diu noctuq; in omni cura & solicitudine permanere*.
Collat. 5. c. 14.

232. His

232. His ratio suffragatur. etenim gloria omnium bene gestorum & euentuum vni Deo debetur, vtpote bonorum omnium auctori; vult igitur, vt ij, qui aliquid agunt, ad se accedant, & se adiutorem auctoremque agnoscant, vt post rei successum non sibi adscribant, sed gratias Deo referant, gloriamque eius prædicent: atqui id fieri non poterit, nisi nos agnoscamus nobis deesse vires & facultates, diffisique de ijs, ad ipsum auxilij gratia recurramus: necessaria est ergo nostri diffidentia ad rem bene gerendam. *3. Probatur rationibus.* 1.

Accedit, tum demum Dei virtutem elucere, cùm, deficientibus humanis præsidijs, res arduas ac maximè difficiles diuinitus instructi superamus: vbi enim humana desunt, ibi demum adesse solent diuina præsidia; si modò tamen nos indigere cognoscamus, & de viribus nostris diffidamus. in quo genere delectari Dominus videtur, & occasiones quærere, cùm ad virtutis suæ illustrationem, tum ad superbos deprimendos; qui, virtute sua confisi, ab exiguo hominum numero aut exilibus viribus profligantur. 2.

Vnde cùm Gedeon magno exercitu bellum pararet, Dominus, *Multus*, ait, *tecum est populus, nec tradetur Madian in manus eius, ne glorietur contra me Israël, & dicat, Meis viribus liberatus sum*. Itaque trecentis hominibus Madianitas, Amalecitas, & omnes Orientales populos vt locustarum multitudinem, camelos quoque innumerabiles sicut arenam quæ iacet in litore maris, Gedeon territos vertit in fugam, immisitque Dominus gladium in omnibus castris, & mutua se cæde trucidarunt. *Gedeon. Iudic. 7.*

Idem Dauidi accidit; qui processurus contra Goliath gigantem, arma Saulis nobilissima reiecit, adferens tantùm baculum & fundam contra fortissimum immanemque gigantem, omni ex parte armis munitum: maiorque inde gloria Deo emersit, quàm si armatus vndequaque processisset. hinc Philisthæo improperauit Dauid: *Tu venis ad me cum gladio, & hasta, & clypeo; ego autem venio ad te in nomine Domini exercituum, Dei agminum Israël, quibus exprobrasti hodie, & dabit te Dominus in manu mea.* *Dauid. 1. Reg. 17.*

Benadad Rex Syriæ, congregato exercitu, ascitis deinde triginta Regibus in auxilium, cum incredibili equorum & curruum numero, Samariam obsedit, Achab regnante; cui Benadad amarissimè exprobrabat imbecillitatem. Primo prœlio superbus Benadad fusus fugatusque est per pueros Principum prouincialium, euersis curribus ac equitibus; Syriamque Achab, manu Dei fretus, plaga magna percussit: altero prœlio ceciderunt de Syris centum-millia hominum vno die; ceteri fugerunt in Aphec, cuius murus decidens viginti-septem alia hominum millia oppressit. *Achab. 3. Reg. 20.*

Miranda sunt hæc, & incredibiliter Dei magnitudinem, potentiam, gloriamque illustrant; sed multo magis, quòd per duodecim homines, humiles, ignaros, ignobiles, elingues, regna, principatus mundi, ac potestates Cruci-affixo subiecerit, Crucisque prædicationem, nouam religionem in vniuersum orbem inuexerit, dæmonum potentiam subiugarit. Esto enim, gloriosum sit, Deum Maiestatis orbem virtute sua quatere, exercitus debellare; Dei hoc opus est ac virtus: sed per imbecilles imbellesque homunculos, Dei virtute instructos, viribus mundum exuere, sub Crucem (*Iudæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam*) quasi sub iugum mittere, diuinæque legi subdere, ignominiosius id aduersarijs est, Numini verò gloriosius, quàm si per se quidlibet maximè gloriosum patraret.

Apostoli duodecim.

1. Cor. 1.

Hanc vincendi agendique rationem Diuus Paulus mirandum in modum extollit, scribens ad Corinthios. *Videte*, ait, *vocationem vestram, fratres: quia non multi sapientes secundùm carnem, non multi potentes, non multi nobiles; sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus, vt cõfundat sapientes; & infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia; & ea quæ non sunt, vt ea quæ sunt destrueret: vt non glorietur omnis caro in conspectu eius; &, qui gloriatur, in Domino glorietur*. & paulo antè: *Verbum Crucis pereuntibus quidem stultitia est; ijs autem qui salui fiunt, id est, nobis, Dei virtus est*. Hanc verò virtutem atque auxilium à nobis excludimus, dum viribus nostris nimiùm confidimus: nec facilè Deus superbo atque arroganti thesauros gloriæ suæ aperiet, atque virtutem hanc aliasque gratias communicabit credetque.

Ibidem.

233. Huc facit, quòd nonnulli arbitrati corporeas quidem commoditates à Deo mortalibus concedi, noluerunt tamen id de virtutibus fateri; rati quemque virtutis suæ esse auctorem, ideoque singulos pro benemeritis laudandos esse: ita enim ex sapientibus quidam. *Atque hoc quidem*, inquit, *omnes mortales sic habent, externas commoditates, vineta, segetes, oliueta, vbertatem frugum & fructuum, omnem denique commoditatem prosperitatemque vitæ à Dijs se habere: virtutem autem nemo vmquam acceptam Deo retulit; nimirum rectè: propter virtutem enim iure laudamur, & in virtute certè gloriamur; quod non contingeret, si donum à Deo, non à nobis, haberemus*. Malè & ad insipientiam sibi Philosophus hic ratiocinatur. Laudatur quidem homo propter virtutem: sed (quæso) à quo habet ipse virtutem? mentis cæcitate atque ignorantia multa prætermittit. Veram virtutis naturam ignorat, qui fidem ignorat: quid mirum, si sapientes isti, qui, etsi Deum lumine naturali cognouerint, euanuerunt tamen in cogitationibus suis, in errorum scelerumque præcipitia inciderint, cùm & ipsi Christiani, quamuis Deum auctorem rerum omnium esse fateantur, sic tamen viuant, ac si Deum ignorarent? Laudandus

3. Ratio.

Cic. lib. 3. de nat. Deorum.

dandus ergo Deus est, quòd auctor sit naturæ cuiusque, quam vel initio creauit, vel in tempore è causis secundis eduxit; nemo enim de origine productioneque sui potest gloriari: facultates habet à Deo, animam è nihilo conditam. Ignorabant Philosophi concursum Dei specialem cum causis secundis in omnibus actionibus naturalibus; multo magis in supernaturalibus. ignorauerunt illi: dedecet Christianos ignorare; &, si non ignorent, non recordari, nec gratitudinem exhibere. Cùm ergo constet hominem in rebus naturalibus & supernaturalibus sic Dei cooperatione atque auxilio indigere, vt sine eo ne mouere quidem quidquam aut cogitare possit; nónne meritò in omnibus de viribus suis diffidere quisque potest, præsertim in rebus agendis grauioribus, vel vbi tentatio molestior imminet, vrget, ac premit, cui frequentiùs etiam succubuimus? quare Cassianus ita concludit: *Euidenter monstratur non posse quemquam* PERFECTIONIS *finem ac puritatis attingere, nisi per humilitatem veram, quam primitus fratribus reddens, Deo quoque in penetralibus cordis exhibeat; credens sine protectione eius atque auxilio, per singula sibi momenta delato,* PERFECTIONEM *quam cupit, & ad quam magnopere currit, se penitus obtinere non posse.* Sed de hoc argumento toto priore libro egimus copiosiùs: eius enim finis eò maximè tendit, vt quisque cognoscat, omnia quæ ad PERFECTIONEM requiruntur, siue naturalia, siue naturam excedentia, à Deo rerum omnium auctore promanare; in nobis siue in corpore, siue in animis, præter morbos, vulnera, impedimenta, peccata grauissima, post primi parentis lapsum, laude dignum nihil esse reliquum. *Lib. 12. de instit. Cænob. cap. 23.*

234. Vltima ratio est, quòd qui ingenio potentiaque pollent, atque in ijs plus æquo confidunt, eam curam, studium, operam, sedulitatem rebus promouendis nequaquam adhibent, quam deberent; & sæpe securi in vtramque aurem dormiunt, dum ipsis esset adlaborandum, periculis maximè impendentibus: eo quòd, sua potentia atque industria freti, arbitrentur neminē parem esse, qui sibi obstare audeat; siquis defectus interuenerit, non deesse facultates ac modum ea restaurandi quæ exciderint; vires denique ac industriam maiores esse, quàm vt vel opprimi vel debilitari possint. Qui autem nihil sibi adscribunt, *omnia tuta timent*; &, *qui timet Deum, nihil negligit*. Tempore pacis, qui prudens est gubernator, arma parat, ciuitatis loca munit infirmiora, annona instruit, ne, inopinatò septus, commeatu necessario intercludatur. Idem contingit in interna ciuitate mentis: tentatione namque absente Deum Christianus miles inuocat, virtutes parat, Sacramentis se munit, à Deo impetrat vires, arma ac rationes resistendi motibus internis conquirit, verbum Dei audit auidissimè, carnem debilitat ieiunijs, corporisque afflictatione; vt calamitatis irruentis tem- *4. Ratio.* *Eccle. 7.* *Simile.*

pore, hoſtis, quâ ciuitatem peruadat, non inueniat. Et hi maximè auxilium Dei præſentiſſimum inueniunt, quòd opportuno tempore quæſierunt. Alij temeritatis ac præſumptionis pœnas meritò luunt, qui præfidentes ſuis viribus, rati ſe ſemper eſſe paratos, atque optimè inſtructos, nihil præparant; & cùm tempeſtas aduenerit, aut aliquid agendum fuerit, cui omnino impares ſint, confuſione ſuffunduntur, caduntque turpiter, tum vt nimiæ confidentiæ pœnam ſe ferre agnoſcant, tum vt ſe nihil ſine Dei auxilio poſſe, licet inuiti, fateantur.

Diffidens ſibi, ſperet in Deo.

235. Hæc in ſpei virtute pars vt difficilior, ita à nobis copioſiùs tractari debuit: ſi enim ex parte noſtra nihil deſit, non deerit ex parte Dei; qui propenſior paratiorque eſt ad dandum atque opitulandum, quàm ſimus ad petendum, aut etiam accipiendum. quare à diffidentia Dei, quaſi alio extremo, nobis cauendum; non ea, inquam, quæ infirmitatem noſtram concernit, (nam in ea virtutis laus eſt maxima, & humilitatis proles primogenita) ſed cauendum ne de Dei diffidamus bonitate, potentia, beneuolentia, quod ſine iniuria eius admittere non poſſumus. Tanta verò eſſe debet, &, ſi fieri poteſt, etiam maior, animi generoſi erectio in Deum, quanta fuerit in ſui opinione viriúmque imbecillitate depreſſio: quas partes ſi æqua lance libraueris, ſpem, excellens acquirendæ PERFECTIONIS inſtrumentum, conſequêris; vbi verò pondus inæquale eſt, & vel nimium nobis tribuimus, vel minùs in Dei bonitate ſtabilimur ac firmamur, perpetuò fluctuat animus, & modò præſumptionis vento attollimur, modò puſilli animi deſperatione deijcimur.

Deſperationis culpa ſpei contraria.

Hanc fluctuationem egregiè depingit D. Auguſtinus, ſimul remedium adferens. *Ex vtroque*, ait, *homines periclitantur, & ſperando, & deſperando; contrarijs rebus, contrarijs affectionibus. Sperando quis decipitur? Qui dicit: Bonus eſt Deus, miſericors eſt Deus; faciam quod mihi placet, quod lubet; laxem habenas cupiditatibus meis, impleam deſideria animæ meæ. Quare hoc? Quia miſericors eſt Deus, bonus eſt Deus, manſuetus eſt Deus. Spe iſti periclitantur; deſperatione autem, qui cùm inciderint in grauia peccata, putantes ſibi non poſſe iam ignoſci pœnitentibus, & ſtatuentes ſe ad damnationem ſine dubio deſtinatos, dicunt apud ſemetipſos: Iam damnandi ſumus; quare non, quod volumus, facimus? animo gladiatorum ferro deſtinatorum. Ideo moleſti ſunt deſperati: iam enim quod timeant non habent, & vehementer timendi ſunt. Iſtos deſperatio necat, ſpes illos. Inter ſpem & deſperationẽ fluctuat animus. Metuendum eſt, ne te occidat ſpes; &, cùm multùm ſperas de miſericordia, incidas in iudicium: metuendum eſt rurſus ne te occidat deſperatio; &, cùm putas iam tibi non ignoſci quæ grauia commiſiſti, non agas pœnitentiam, & incurras in iudicem Sapientiam, quæ dicit, Et ego veſtræ perditioni ſuperridebo. Quid ergo agit*

Tractat. 33. in Euang. Ioan.

Prou. 1.

Domi-

Dominus cum periclitantibus vtroque morbo? Illis qui spe periclitantur, hoc dicit: Ne tardes conuerti ad Dominum, neque differas de die in diem; subitò Eccli. 5.
enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te. Illis qui desperatione periclitantur, quid dicit? In quacumque die iniquus conuersus fuerit, omnes Ezech. 18.
iniquitates eius obliuiscar. Propter illos ergo qui desperatione periclitantur, proposuit indulgentiæ portum; propter illos qui spe periclitantur, & dilationibus illuduntur, fecit diem mortis incertum. Hæc Augustinus.

CAPVT XL.

Spem, quæ diffidentiam propriam complectitur, Deiq; nititur auxilio, difficillima quæque perrumpere; & maximè ardua non modò aggredi, sed etiam ad felicem exitum perducere.

236. QVÆ cùm ita sint; diffidentes de viribus nostris, de hominum ope ac potentia, de diuitijs diuitumque ac potentiorum fauore atque promissis, animos nostros in Deum leuemus, spei ancoram comprehendentes: cui adeò firmiter adhærescamus, vt nulla huius turbulenti maris procella nos auellat, aut fluctuantes de constantia deijciat. Hic vires nostræ, hic robur & fortitudo. Audeo dicere, D. Paulo auctore, diffidentem de se, Deoque erecta spe subnixum, non modò magna facturum, sed quandam omnipotentiam induere, & cum Deo omnipotente coëuntem, coalescentem, atque adunatum, omnipotentem euadere.

Diffidentem de se, & in Deo confidentem, omnipotentem esse; qua ratione.

Exprimunt id diuinæ Scripturæ: *Omnia possum in eo qui me confortat.* Phil. 4.
Qui omnia se posse dicit, nihil excludit. Sed quæ scala hominem adeò sublimem in Dei brachia deuehit? Spes. *Numquid nescis*, ait Isaias, *aut* Isaia 40.
non audisti? Deus sempiternus Dominus, qui creauit terminos terræ, non deficiet, neque laborabit: qui dat lasso virtutem, & his, qui non sunt, fortitudinem & robur multiplicat. Deficient pueri, & laborabunt, & iuuenes in infirmitate cadent: qui autem sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, assument pennas sicut aquilæ, current & non laborabunt, ambulabunt & non deficient. Quid clarius dici potest? si enim quærimus quibus Deus virtutem ac robur largiatur; Propheta asseuerat ijs non dari, qui se robustos arbitrantur, quales sunt iuuenes, qui valent robore: ijs verò largitur Deus, qui lassi; qui sibi ita esse videntur, quasi non sint. cui D. Paulus pæne ijsdem verbis respondet: *Infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia; &* 1. Corinth.

ea quæ non ſunt, vt ea quæ ſunt deſtrueret. Vires ergo hi ſibi non videntur habere, ſed vt laſſi, exhauſti, elumbes, tabidi, ac planè marcidi, tamquam exangues pelicani, à matre ſanguine ac vita refocillari poſtulant atque geſtiunt. *Qui ſperant in Domino, mutabunt fortitudinem*; Dei enim fortitudinem accipient, propria imbecillitate atque inopia abiecta: & qui ambulare non poterant, etiam volabunt; & quidem, inſtar aquilæ, in præaltas rupes abditiſſimæ ſcientiæ, ſolem ipſum intuentes oculis minimè palpitantibus. Et hæc quidem ad contemplationem ſpectant. Si ad pugnam veniendum, ſi in arenam deſcendendum; current infatigabiliter, vel hoſtem perſequentes, vel virtutem inſequentes; imò ſine labore, quod valde mirum eſt, cùm antè vix poſſent ſerpere aut repere. In progreſſu virtutum etiam ambulabunt conſtanter, adeoque & perſeueranter, vt numquam retro reſpecturi ſint, quia numquam in ambulatione deficient.

Quid hoc eſt, Deus bone? nónne hominem omnipotentem reddere qui tibi innititur, & ſpes omnes ſuas in te coniectat? quis hoſtis eum aggredietur in terra, cùm euolare poſſit vt aquila ad Solem vſque, & è loco ſublimi hoſtem opprimere, non ſua quidem, ſed tua virtute, qui *pluere facis ſuper peccatores laqueos, ignes, ſpiritus procellarum, partes calicis eorum?* — *Pſal. 10.*

Spei obiecta ſeu officia duo. Duo namque potiſſimùm ſpes negotiatoris ſibi proponit: alterum, vt hoſtes qui rationibus eius ſeſe opponunt, & quantum poſſunt impediunt, aut omnino deleat, aut certè viribus exuat, vel debilitet, vel à ſe procul amoueat; alterum, vt ex pecunia ſepoſita acceptoque talento lucrum faciat, ardua quæque pro Deo aggrediatur, etiam magno ſuo incommodo. — 1. *Hoſtes delere, qui impediunt.* 2. *Virtutes acquirere.*

Qui hoſtes. Hoſtes verò ſunt, [a] qui Eccleſiam Dei oppugnant, aut Rempublicā; item [b] qui iuſtos traducūt atque affligunt virtutis odio: illam enim mali videre non poſſunt, nec eos qui illa præditi ſunt; quòd ipſis ſudes ſint in oculis, ac reprehenſionis acrioris loco eſſe cenſeantur: ideo, cùm poſſunt, famæ eorum tenebras offundunt, in eorum bona impetum faciunt, ad tribunalia rapiunt, mendacijs & calumnijs onerantes; nec ipſi ſuis parcunt fratribus, modò, quod optant, aſſequantur. — a 1. b 2.

3. Graue genus perſecutionis hoc eſt; ſed longè grauius, cùm à bonis fieri contingit, aut certè ab ijs qui boni eſſe putantur; & contingit perſæpe. Cùm enim trahat ſua quemque voluptas; cumque verum ſit illud Pauli, *Omnes quærunt quæ ſua ſunt:* facilè ij prætextum accipiunt Dei ſeruos perſequendi ac deprimendi, velo iuſtitiæ tecti, ſuarum rerum conſeruandarum ſpecie, cùm tamen animo grauis odij ac vindictæ vulnere aut animoſitatis dolore ſauciati moueantur. Hi certè boni non ſunt; ſed quia putantur boni, eo grauiùs affligunt, quòd iuſtitiæ ornamento — *Phil. 2.*

mento contegantur. Displicuit Iudæorum simulata vestis hæc Christo Seruatori; qui, quòd iusti esse putarentur, in iustitiæ suæ opinionem plebeculam minimè oculatam, aliosque maleuolos, facilè pertraxerunt.

Sed & boni inuicem non rarò affligunt sese, (acerbum sanè genus afflictionis) dum se verborum aculeis pungunt subinde, & sententiarum studiorumq; diuersitate infirmos animos sauciant. Diuersa deinde in rebus agendis probandísve iudicia diuersas sententias affectusque generant; qui non exiguam afflictionis ansam sæpe suppeditant. Hæc etiam inter fideles Apostolorum tempore cernebantur, & Apostoli in Epistolis suis studiosè serpens malum curare conantur. 4.

At deterrimum persecutionis genus est, cùm ab amicis & domesticis, de quibus bene meritus fueris, calumniam pateris, ac persecutionem sustines: cùm filia matrem, filius patrem, frater fratrem traducit ac persequitur; vt quis meritò queri possit, *Filij matris meæ pugnauerunt contra me*. Persecutio Saulis dura crudelisque Dauidi visa est; sed immanis filij proprij Absalom, & Achitophel consiliarij. Christus Dominus Gentilium barbariem, peccata, ac superstitionem tulit acerbè; sed longè acerbiùs ingratitudinem Iudæorum, qui, domestici illius cùm essent, eum ad Crucem vsque persecuti sunt. *In die illa* (ait per suum Prophetam) *magnus erit planctus in Ierusalem; & dicetur ei: Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum? & dicet: His plagatus sum in domo eorum qui diligebant me*. Plura non addidit, quòd solius rei enuntiatio acerbissima sit, nec grauioribus verbis indigeat ad indignitatem illius exprimendam. 5.

Persecutionum domesticarum acerbitas. *Cant. 1.* *Exemplo Dauidis & Christi Domini.* *Zach. 12.* *Zach. 13.*

Inter ea tamen quæ benignissimum Dominum maximè vulnerarunt, fuit proprij discipuli inexplicabilis ingratitudo, Dominum suum, amore pecuniæ, iuratis inimicis post tot accepta beneficia venalem exponentis, prodentis, & tradentis; de quo sic conqueritur apud Dauidem, qui eius figuram prætulit: *Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem vtique; & si is, qui oderat me, super me magna locutus fuisset, abscondissem me forsitan ab eo. Tu verò homo vnanimis, dux meus, & notus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos, in domo Dei ambulauimus cum consensu*. Qui Psalmus ad litteram de coniuratione Achitophel cum Absalom intelligi videtur. Christus, vt veritas, figuram meritò vsurpauit, expostulans de Iuda domestico & quasi consiliario suo: ostendens verò quantum domestici noceant, sic de ijs loquitur, quasi præ illis alij aduersarij esse non censeantur. *Inimici, ait, hominis, domestici eius*. illi enim medullitus affligunt, & nocendi grauiùs potestatem habent ampliorem.

Psal. 54. *Matth. 10.*

Hactenus hostes exteriores: quibus inuisibilis cacodæmon adijcien- 6.

dus

dus est, cum turmis suis. Domesticos aduersarios nunc quisque numeret: intimos nempe carnis impetus, naturæ deprauatæ propensiones indomitas, passiones efferas, consuetudinum pondus immensum, ad vitium sectandum, virtutem calcandam, pertrahens. En, monstra hæc omnia obsistunt in via atque aditu terræ promissionis: gigantes præterea horrendi, qui omnino sternendi antè atque profligandi, quàm PERFECTIONEM assequamur. Terra insuper promissionis ad bonam messem coaptanda; seu ager cordis nostri excolendus, & vepribus sentibusque euulsis perpurgandus.

Alterum spei officium, nempe magna perficere.

At pace planè restituta ac stabilita, ardua quædam exstruenda sunt: templum in primis Deo vero, palatia summo Regi, ipso inclyto Salomone præcellentiori: omnia auro puro & obryzo sternenda, tegenda, ornanda in circuitu.

Sperantium in Domino potentia.

Psal. 17.

Exod. 32.

Allegoria Iacob.

Gen. 32.

Verùm dicet aliquis: Magna profectò exigis; cui ad ea tam ardua erit animus? Nulli certè qui vires suas consideret: at verò Christi athleta hæc omnia contemnit, horum omnium victoriam spe deuorat; nulla adeò ardua ac difficilia contuetur, quin maiora Dei causa aggredi ac superare desideret. Rex humilis & sanctus, *In te*, ait, *eripiar à tentatione, & in Deo meo transgrediar murum*. Quid? mirandum quod dicturus sum. Præualuerunt nonnulli contra Deum: nam oratio Moysis Deo manus constrinxit, vt coactus diceret, *Dimitte me, vt irascatur furor meus contra eos, & deleam eos, faciamq́ te in gentem magnam*. Iacob pugnans contra Deum victor euasit, non tamen antequã neruus femoris tactus emarcuisset: tum ei Dominus, *Nequaquam*, inquit, *Iacob appellabitur nomen tuum, sed Israël: quoniam, si contra Deum fortis fuisti, quanto magis contra homines præualebis!* Israël quoque, id est, præualens Deo, Dei athleta potentissimus euadit, vbi depressa carnis superbia, ac libidine, tamquam femoris neruo, infirmitatem agnoscit; & Dei fortitudine, non sua, nixus, contra aduersa omnia inualescit. Vt autem, huius argumenti quanta sit vis, cognoscamus, Celsi pueri diuinitus illustrati, nobisque in exemplum propositi, conceptam de diuina virtute & subsidio spem ac certamen contemplemur. Fecit puer hic, cælesti nixus auxilio, miranda; admiranda perfecit. Cùm enim Præses Martianus S. Iulianum, post diuersa tormenta, catenis oneratum per ciuitatem

Apud Surium tomo 1. in Vita S. Iuliani.

„ deduci iussisset, clamante præcone; Sic meritò plectuntur, qui se Deo-
„ rum ac Principum exhibent contemptores: venit tandem Iulianus ad
„ vicum scholarũ, in quibus Celsus puer, Martiani Præsidis filius vnicus,
„ erudiebatur. Is ad populi tumultum (vt fit) cùm è scholis cum condi-
„ scipulis erupisset, coniectis in Iulianum oculis, Rem, inclamat, stupen-
„ dam video: video, inquam, illum Christianum, quem ducunt, cum
„ candidatorum caterua colloquentem; atque eius capiti imminentem

coro-

coronam, felicitatis arrham certissimam, auro gemmisque adeò fulgentem, vt splendor illius, solis radios vincere videatur. quin etiam tres viri, albescentibus comis, alarumque volatu in similitudinem aquilarum sublimes, eius caput corpusque vniuersum contegunt. Ille, ille Deus verus omni honore cultuque dignissimus habendus est, qui suos ita tuetur, talique præsidio circumdat & protegit. Hæc magister & condiscipuli audientes, blandeque corripientes, ab ea mente ipsum reuocare nitebantur: ille verò, libris ac vestibus, quibus venustè erat indutus, abiectis, Nudum, inquit, me mater fudit in hunc mundum; quod mundi est, mundo relinquo. Hæc dicens, per plateas ciuitatis cursum arripuit; nec destitit, donec se pedibus B. Iuliani sisteret: & prostratus, Te, ait, Iuliane, secundæ natiuitatis, quam mihi Christus ostendit, patrem agnosco; Martianum verò, genitorem meum, vt veritatis inimicum despicio. Tota autem ciuitas concurrebat, vt Præsidis filium vulnera martyris osculantem videret. Illud verò admirandum accidit, quòd qui, mandato Præsidis, puerum à complexu Iuliani auellere niteretur, eius manus ac brachia contracta rigescerent: cumque Præses pro tribunali Iulianum argueret, quòd malis artibus filios à parentum obseruantia atque amore abduceret; superuenit Celsi mater cum copioso comitatu nobilium puellarum, crine soluto, nudatisque vberibus, Celsum per sacra omnia obtestans ne se perditum iret: verbaque cùm matrem deficerent, Præses exclamauit scissis vestibus: Crudelis Iuliane, intuere dolores patris, matris mœrorem, planctumque tantæ familiæ; & præstigijs, quibus insontem fascinasti, sublatis, pristinæ eum menti restitue, ego verò Imperatoribus suggerã vt illæsus abscedas. Cui Iulianus: Nec intercessione vel suffragio tuo egeo, nec dimitti cupio. En Celsus, qui ex te quidem natus est, sed & credendo mecum Deo renatus, ipse tibi matrique respondeat. Subiungit Celsus: De sentibus nascuntur rosæ: atque vt rosa, etsi orta de spinis, eximium tamen odorem continet, quem numquam excludit; ita nec frutex, ex quo rosa nascitur, deserit aculeos. Vos ergo aculeati frutices, vt consueuistis, pungite, &, vt bonum odorem ego Christi rosa mortalibus effundam, perficite. Vobis obediant, qui perire parati sunt; me sequantur, qui de tenebris ad lucem venire contendunt. Ego præ Christo, vero patre, parentes minimè agnosco. Crudelis in se est, qui in hac causa parentibus pius est. Sola est pietas, Dei causa parentibus esse crudelem. Quid moraris, pater? imitare Abrahamum, apprehende gladium, & victimam filium offer. Vani sunt vultus vestri, falsæ lacrymæ, nemo me à veritatis confessione disiunget. Denique ambo (etiam Celsi mater) pari constantia, qua Præsidis blandimenta repudiarant, mortem sustinuerunt; & coronam quam Celsus præuiderat, Gen. 22.

certissimum laborum & certaminis præmium, consecuti sunt.

Idem sanè modò Deus est noster, qui Iuliani fuit, ac Celsi; promissiones suas minimè mutauit, aut paterna viscera. Idem præmium manet certantes, idem subsidium, si modò generosos eius pugiles, imò ducem ipsum imitari sequique non pigeat. *Si quis mihi ministrat*, ait Saluator, *me sequatur; & vbi sum ego, illic & minister meus erit. Si quis mihi ministrauerit, honorificabit eum Pater meus.*

Ioan. 12.

CAPVT XLI.

Cum spei virtute hominem quandam omnipotentiam induere.

1. Sperantibus omnipotentia promittitur.

I. Ex vi orationis.

Isaia 65.

Psal. 144.

237. NEMINI mirum videri debet, hominem qui sibi diffidit, Deoque nititur, quandam omnipotentiam induere, cùm Deus ipse quodammodo ad hoc verbis se obstringere voluerit, atque in primis orantibus, & à se quidpiam petentibus; ita enim per Isaiam ait: *Erit antequam clament, ego exaudiam; adhuc illis loquentibus, ego audiam*. At luculentiori testimonio Regius Psaltes hoc ipsum denuntiat. *Voluntatem*, inquit, *timentium se faciet, & deprecationem eorum exaudiet, & saluos faciet eos*. Quid est hoc, Domine? ergóne rerum obtinendarum mensuram voluntatem nostram constituis? Omnino. Quid, si cupiam in meipso superbiam obterere, indomitos iracundiæ motus in perpetuum sedare, rebelles corporis affectiones frenare, auaritiæ cupiditates conuellere, compósne votorum euadam? Si velis, omnino. Si castus deinde, si humilis, si sobrius, si misericors, si patiens esse voluero? Si modò velis, pete: Deus deprecationem tuam exaudiet; ait enim insuper Dominus: *Si manseritis in me, & verba mea in vobis manserint; quodcumque volueritis, petetis, & fiet vobis*. Quid si multa pro Christo pati, si multa eius nomine facere, si denique in eius obsequio causaque emori? Si volueris, pete, & fiet tibi. Quid si eius regnum, si ipsum Deum possidere velim? Si velis, pete, & fiet tibi. Sed velle debes; alioquin numquam petes. Si velis & petas, fiet tibi; multi enim nolunt, ideo non petunt, nec obtinebunt. Petunt verò opes, honores, & (si placet etiam) omnium genera voluptatum. Hæc non obtinent: quia malè volunt, & mala. Si hæc bona essent, & vellent, & peterent; etiam obtinerent. Sed hæc vel vana vel obscena velle non possunt, si ipsi in Christo, & eius verba in eis maneant. Qui enim in Christo est, eius membrum est. Aliud non vult membrum corporis, quàm

Ioan. 15.

spiritus

ſpiritus qui in corpore toto eſt: & verba Chriſti, quæ in nobis manere debent, hoc eſt, ſpiritus, qui per eius verba nobis datur, numquam ſuadebit nobis, vt alia petamus, quàm quæ ad ſalutem noſtram Deique gloriam pertineant. quæ enim petimus, in nomine Chriſti petenda ſunt; nam explicans ſeſe alibi Dominus IESVS ait: *Si quid petieritis Pa-* *Ioan. 16.*
trem in nomine meo, dabit vobis. Non petitur in nomine Saluatoris, inquit *Tract. 102. in*
Sanctus Auguſtinus, *quidquid petitur contra rationem ſalutis*. Denique *Ioan. in init.*
Deus peccatores non audit; ſed ſi quis Dei cultor eſt, & voluntatem eius facit, *Ioan. 9.*
hunc exaudit. Cùm ergo voluntatem Dei facimus, ille viciſſim noſtram facit, expletque deſideria, audit & exaudit poſtulationes noſtras. Hæc orantibus & petentibus promittuntur.

Idem benigniſſimus Deus promittit ſperantibus in ſe; ita enim hor- *2. Ex vi ſpei.*
tatur nos Sapiens: *Habe fiduciam in Domino ex toto corde tuo, & ne innitaris* *Prou. 3.*
prudentiæ tuæ. In omnibus vijs tuis cogita illum, & ipſe diriget greſſus tuos. Gemma gratiſſima, expectatio præſtolantis: quocumque ſe vertit, prudenter in- *Prou. 17.*
telligit. Huc accedit Rex Dauid: *Sperent in te, qui nouerunt nomen tuum;* *Pſal. 9.*
quoniam non dereliquiſti quærentes te, Domine. & Ieremias: *Benedictus vir* *Ierem. 17.*
qui confidit in Domino, & erit Dominus fiducia eius. Iſaias verò: *Væ filij de-* *Iſaiæ 30.*
ſertores, dicit Dominus, vt faceretis conſilium, & non ex me; & ordiremini telam, & non per Spiritum meum. Hæc dicit Dominus Deus ſanctus Iſraël: Si reuertamini & quieſcatis, ſalui eritis; in ſilentio & in ſpe erit fortitudo veſtra.

238. Hoc priuilegio, omnibus ſperantibus in Deum conceſſo, vſi *3. Exemplo ſanctorum.*
ſunt ſancti viri, & miranda fecerunt. Quid non fecit Moyſes [a] in Ægy- *1. Moyſis.*
pto? quæ portenta, quæ & qualia edidit prodigia! nec ceſſauit, donec Ægyptum ipſam aquis obrueret, mergeret, ac maris vorticibus ſepeli- *a Exod. 7. 8. 9. 10. 14.*
ret. [b] Per orationem Moyſis profligati Amalecitæ occubuerunt. *b Exod. 17.*

[c] Ioſue [d] imperauit ſoli ne occumberet, Deo illi parente, vt ſeſe de *c 2. Ioſue.*
hoſtibus vlciſceretur.

[e] Quid, quòd mortis decretum immutabilis Deus reuocet, & quin- *d Ioſue 10.*
decim annos vitæ lamentabili voce petenti Ezechiæ adijciat? Hoc *e 3. Ezechiæ.*
prodigioſum; ſed & prodigium prodigio adiecit: in teſtimonium implendæ promiſſionis, *reduxit vmbram per lineas, quibus iam de-* *4. Reg. 20.*
ſcenderat in horologio Achaz, retrorſum decem gradibus. En duo in ſole prodigia planè ſtupenda. Magna vis vel vnius animæ Deum diligentis, & ſpes in eum omnes conijcientis, vt illum impellat ad ordinem vniuerſi immutandum; ille ſolem ſiſtat oratione, hic reuocet. Sed ad quot (quæſo) milliones milliarium? Dicam, vt miraculi appareat magnitudo. Retroceſſit ſol 10. lineis in horologio Achaz. Linea vna horam vnam continet: ſingulis autem horis, ex fundamento Ptolemæi,
ſol, cùm circa æquinoctia verſatur, conficit milliaria Belgica trecenta *365223.*
ſexaginta-quinque millia, ducenta viginti-tria, additis aliquot minutijs.

tijs. In Belgico milliari tria continentur Italica: essent ergo Italicorum
1095669. milliarium decies centena & nonaginta-quinque millia, cum sexcentis sexaginta-nouem, cum suis minutijs.

3652239. At decem his horis Belgica milliaria censerentur trigesies-sexies centena & quinquaginta-duo millia, nec non ducenta triginta-nouem; vel clariùs, tres milliones sexcenta quinquaginta-duo millia, du-
10956690. centa triginta-nouem: Italicorum verò milliones decem nongenta quinquaginta-sex millia, sexcenta, nonaginta.

Lineæ ergo in horologio Achaz exiguo spatio à se inuicem distendebantur, & sol in ijs cursum breui admodum tempore videbatur conficere: Mathematicorũ tamen iudicio claris demonstrationibus ostenditur, solem iam dicta spatia totidem horis per immensos cæli globos ac stadia decurrisse. quem cursum, cælestium Mentium summa sapientia, prouidentia, ordineque inuariabili in vsum mortalium directum, Ezechias humili prece velut manu apprehensum, non modò sistere, sed & ad tot milliarium myriadas retrocedere, fiducia in Deum nixus, inaudito fecit miraculo; vitamque decliuem, solis rapido volatu celeriùs abeuntem, ad annos quindecim retrahi, sibique prorogari impe-
Psal. 118. trauit. *Ordinatione tua perseuerat dies*, ait Rex Dauid. Deus hunc ordinem precibus in se sperantium immutauit.

4. *Elia. 4. Reg. 1.* Elias vno verbo igni cælesti mandat, & quidem altera vice, vt quinquagenarium cum quinquaginta viris absumat; eodemque momento è cælo delapsus, quinquagenarios & eorum milites quinquaginta absumpsit. O mira hominibus concessa potentia!

5. *Elisei. 4. Reg. 4. & 5.* Eliseus non modò lepram morbosque oratione curauit, sed & mortuos ad vitam reuocauit.

6. *Dauidis.* Hac virtute excelluit, si quis mortalium, Rex Dauid; cui fiducia in Deum tanta, vt vix sit reperire Psalmum vnum, ex quo sæpius huius præstantissimæ virtutis scintillæ, imò ardentes flammæ, non erumpant. Ecquid etiam non potuit? quid non effecit? Insigne illud est præ cete-
Psal. 26. ris: *Dominus illuminatio mea, & salus mea, quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo? Si consistant aduersum me castra, non timebit cor meum. Si exurgat aduersum me prælium, in hoc ego sperabo.* Quid mirum?
Psal. 90. qui enim sperat in Domino, *qui habitat in adiutorio altißimi, in protectione Dei cæli commorabitur: ipse liberabit eum de laqueo venantium, & à verbo aspero. Scapulis suis obumbrabit tibi, & sub pennis eius sperabis. Scuto circumdabit te veritas eius, non timebis à timore nocturno; à sagitta volante in die, à negotio perambulante in tenebris, ab incursu, & dæmonio meridiano. Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis, ad te autem non appropin-*
Psal. 124. *quabit.* Quis hisce viribus præualeat? Denique, *qui confidunt in Domino, sicut mons Sion: non commouebitur in æternum, qui habitat in Ierusalem. Mon-*

tes in circuitu eius, & Dominus in circuitu populi sui, ex hoc nunc & vsque in sæculum.

Huic veritati confirmandæ nihil efficacius video verbis Seruatoris, 6.
quibus omnipotentiam quandam Apostolis pollicetur: nec ijs tantùm, sed & omnibus qui cum fiducia ad ipsum recurrunt. Cùm enim Apostoli secretò Dominum IESVM rogassent cur dæmonium lunaticum non potuissent eijcere, cùm paulo antè potestatem ab eo pellendi dæmones accepissent; ipse verò arguisset eorum incredulitatem; subiecit: *Amen quippe dico vobis, si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic, Transi hinc illuc; & transibit, & nihil impossibile erit vobis.* Simile quid contigit, cùm sola Christi maledictione ficulnea quædam iuxta Ierosolymam aruisset. mirantibus Apostolis, & dicentibus, *Quomodo continuò aruit?* respondit IESVS: *Amen dico vobis, si habueritis fidem, & non hæsitaueritis, non solùm de ficulnea facietis, sed & si monti huic dixeritis, Tolle, & iacta te in mare; fiet: & omnia quæcumque petieritis in oratione credentes, accipietis.* Sanctus Marcus idem refert, sed maiori paulo exaggeratione. *Habete*, inquit, *fidem Dei. Amen dico vobis, quia quicumque dixerit huic monti, Tollere, & mittere in mare; & non hæsitauerit in corde suo, sed crediderit, quia, quodcumque dixerit, fiat; fiet ei. Propterea dico vobis, omnia quæcũque orantes petitis, credite quia accipietis, & euenient vobis.* Aliud apud B. Lucam refertur. cùm enim Apostoli Domino dixissent, *Adauge nobis fidem*; respondit Dominus: *Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis huic arbori moro, Eradicare, & transplantare in mare; & obediet vobis.*

Apostolorum. — *Matth. 17.* — *Fidei efficacia, montes transferentis.* — *Matth. 21.* — *Marci 11.* — *Luca 17.*

Hæc magna sunt, sed vera; & primæ veritatis asseueratione, quæ nec falli potest, nec fallere, nituntur: qui enim monti imperare potest, potest & mari, & soli, & terræ, ceterisque elementis insensibilibus. Putant tamen nõnulli, teste B. Hieronymo, hæc factu facilia esse. Ita verba ipsa præ se ferunt: requirunt enim tantùm fidem, atque eam quidem non maiorem grano sinapis, quo inter grana pæne minus non est; atque adeò, qui granum vnum fidei supernaturalis haberet, posset omnia signa, quæ Moyses fecit in Ægypto, perficere. quod si verum esset, omnes profectò vellent istam potestatẽ exercere; & maximè Reges, qui libenter imperio vtuntur: hi transferrent castra, domos, fluuios, maria, rupes, & regna. Verùm aliter se res habet: & si potestas hæc pretio comparari posset, multi, oblata pecunia, cum Simone dicerent, *Date & mihi hanc potestatem*. Sed lubet cognoscere quid hîc Dominus Apostolis, quid nobis promittat ac præcipiat: multi namque appetunt potentiam, & ea quæ pariunt admirationem; pauci humilitatem, eaque media, quibus re vera magna possint efficere, magnique euadere.

In c. 17. Matth. — *Act. 8.*

Et vt paulo altiùs hanc rem tam sublimem ac difficilem repetam, fides (quæ huius potentiæ est instrumentum, non sola tamen) subinde in-

Fidei acceptio duplex.

1. *Pro firmo mentis assensu. Heb. 11. 1. Cor. 13.* in sacris litteris sumitur dumtaxat pro firmo mentis assensu ad ea quæ à prima veritate credenda proponuntur. Ita Beatus Paulus, *Fides*, inquit, *est sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium*. Pari modo cùm tres virtutes Theologicas distinguit: *Nunc autem manent fides, spes, caritas, tria hæc*.

Fides mater fiduciæ. Verùm etsi virtus hæc fundamentum sit fiduciæ in Deum, quòd excellentissima quædam bona obtinenda certissimè proponat, ex se tamen nihil impetrat; & in intellectu consistit, non in voluntate, cuius est facultates ad operationem applicare. Vt autem quidpiam, maximè si illud arduum sit, conficiatur, necesse est vt res ipsa animum afficiat amore; ex quo desiderium erumpit. Quòd si obtentu possibilis sit, accedit spes ad desiderium: &, si opera opeque alterius opus sit, confidentia in quærendo subsidio exurgit. hæc preces adhibet, omnemque mouet operam vt opem viresque colligat vndique, & votorum suorum compos tandem euadat. Fides tamen plurimùm adiumento est: &, si magna, singularem; si parua, exiguam; mediocrem, si maior, confidentiam generat; vtpote quæ fidei tamquam basi innitatur, eiusque promissis. Pari modo, si desideria languida fuerint; conatus pares, ceteraque sequentia eisdem respondebunt. Ideo Christus Dominus rei optatæ, non adeptæ, defectum vel modicæ fidei, vel incredulitati adscribit: quis enim certò speret, aut ardenter quærat, quod vel non credit, vel certè fortiter non apprehendit?

Quare fides, cùm ei in sacris Euangelij codicibus salus & cupitæ rei consecutio tribuitur, ita in vsu est, vt duo complectatur: firmum nimirum mentis assensum in res credendas; & fiduciam in Deo ex illo as-
2. *Pro fiducia. Matth. 6.* sensu progenitam. Ita Christus Dominus nimis solicitos pro temporalibus arguit: *Si fœnum agri quod hodie est, & cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit; quanto magis vos, modicæ fidei!* Idem improperauit Diuo
Matth. 14. Petro fluctuanti: *Modicæ fidei, quare dubitasti?* Fidem vocat, quam antè fiduciam; dixerat enim: *Habete fiduciam; ego sum, nolite timere*. Intuitus
Matth. 9. Marc. 2. Luc. 5. est denique fidem illorum, qui paralyticum per tectum demittebant. quibus omnibus sententijs non sola fides vsu veniebat, sed etiam confidentia de diuina bonitate: quæ in illis, defectu maioris fidei, minimè sese exerebat; sed in hoc postremo loco, ob explicatam fidem, maxi-
Matth. 9. mè elucebat. vnde IESVS, *videns fidem illorum*, non *dixit paralytico*, Crede; sed, *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua*; credenti sanè, sed, præter fidem ac spem gestantium, desiderabatur in infirmo par fiducia, preces, ac desiderij eiusdem testificatio.

Fidei seu confidentiæ diuersi gradus. Eiusmodi fides, munita confidentia, omnibus ad salutis media consequenda, ipsumque finem vltimum, omnino necessaria est. Diuersi
1. *Necessitatis.* tamen eius sunt gradus. Infimus est, quo homines excitant se vel ad iustitiam

iustitiam consequendam; vel, illa adepta, ad exercenda ea opera, sine quibus saluari non possumus. Secundus gradus non necessitatis, sed consilij est, quo homines ad heroica quædam facinora assurgunt, ad PERFECTIONIS brauium adspirantes. Tertius, & maximè eminens, qualis locis iam allatis describitur, paucorum est, & inter peculiaria Dei dona numeratur. Ea verò fides est, quæ & Dei omnipotentiam tam constanter clareque credit, quàm si coràm oculis suis cerneret quiduis operantem; & de Dei bonitate tantam concipit fiduciam impetrandi id quod expedit, vt nullo modo vacillet aut hæsitet. Talis fuit Moysis fides, de quo Apostolus ait: *Fide reliquit Ægyptum, non veritus animositatem Regis; inuisibilem enim tamquam videns sustinuit.* Itaque non sola fides magna & prodigiosa illa perficit & assequitur, sed plura alia desiderantur, & (vt vidimus) in primis confidentia, per quam ipsa fides operatur; siue fides per fiduciam operans.

2. Consilij. *3. Signorum.* *Heb. 11.* *Quæ requiruntur ad fidem signorum.* *1. Confidentia.*

Requiritur deinde ordinariè caritas, seu vt homo sit in gratia, auctore D. Ioanne. *Carissimi*, ait, *si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum, &, quidquid petierimus, accipiemus ab eo; quoniam mandata eius custodimus.* Exigit hîc D. Ioannes duo: alterum, vt à grauioris peccati morsu conscientia libera sit; alterum vt conformis sit voluntas nostra voluntati diuinæ in omnibus, vbi præceptum aliquod, ab eo qui præcipere potest, accesserit. Cuius ratio est, quòd sine fiducia fides non operatur. At fiducia inculpatæ conscientiæ & rerum rectè gestarum præsidio, voluntatis item diuinæ executione nititur. Si ergo nos conscientia reprehendat, non modò nihil arduum, nihil heroicum aggredi poterimus; sed etiam flaccescet animus, & in ventum desideria nostra euanescent: eo quòd præcipua pars actionis nostræ, auxilium nempe de cælo veniens, desit. *Longè* enim *à peccatoribus salus; quia iustificationes tuas, Domine, non exquisierunt.* Adde quòd S. Ioannes non tantùm fiduciam, sed etiam preces velit adhiberi. *Quidquid*, ait, *petierimus.* at peccatorum preces à Deo non exaudiuntur: requiritur ergo libertas quædam, quæ nascitur ex testimonio bonæ conscientiæ, mente tranquilla, placideque composita.

2. Caritas. *1. Ioan. 3.* *Psal. 118.* *1. Ioan. 3.*

Fit tamen subinde, vt per peccatores miracula patrentur: expedit enim ad declarationem diuinæ potentiæ, vt Deus interdum malo instrumento res magnas conficiat. [a] *Num & Saul inter Prophetas?* & [b] Balaam mira prædixit. quid? & [c] asinus eius articulatè locutus est. nam (vt bene [d] Chrysostomus) *hæc fides non dogmatum est, sed signorum*; atque donum [e] gratis datum, quod sine caritate possit consistere. hinc Beatus Paulus: [f] *Si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, caritatem autem non habuero, nihil sum.* Raro tamen talibus instrumentis Deus vtitur, cùm non desint aptiora, & ipse eadem aptare possit.

A peccatoribus subinde miracula fieri. a *1. Reg. 10. & 19.* b *Num. 23.* c *Num. 22.* d *Hom. 29. in 1. ad Corinth.* e *1. Cor. 12.* f *1. Cor. 13.*

Requi-

3. *Conformitas in voluntate diuina.* Requiritur tertiò, vt ea ipsa, quæ aggredi cupimus, non modò in genere diuinæ voluntati consentiant; sed etiam quoad omnes circumstantias loci, temporis, modi, & alia quæ tunc prudentia supernaturalis suggerit. alioquin homines hac gratia abuterentur, &, instar circumforaneorum, signa excitarent. Ita testatur S. Ioannes: *1. Ioan. 5.* *Hæc est fiducia quam habemus ad eum, quia, quodcumque petierimus secundùm voluntatem eius, audit nos: & scimus quia audit nos, quidquid petierimus; scimus quoniam habemus petitiones quas postulamus ab eo.*

4. *Certitudo de euentu futuro.* His etiam addi debet, vt nobis certò persuadeamus illam esse Dei voluntatem, & credamus ipsum facturum quod postulamus; eo quòd tale opus vel multùm promoueat eius gloriam, aut salutem animarum; vel certè omnino sit necessarium. Hoc sanè parui momenti non est, sed fidem & confidentiam requirit valde eximiam, & maximam atque intimam cum Domino Deo coniunctionem. Hoc ipsum verba Seruatoris exigunt, dum ait: *Mar. 11.* *Non hæsitauerit in corde suo, sed crediderit, quia, quodcumque dixerit, fiat, fiet ei.* &: *Ibidem.* *Quæcumque orantes petitis, credite quia accipietis.*

5. *Caritas fraterna.* Aliam condicionem Seruator adiecit, nempe vt fratribus dimittamus, si quid contra eos habeamus; subiungit enim proximè post verba iam allata: *Marc. 11.* *Et cùm stabitis ad orandum, dimittite, si quid habeatis aduersus aliquem; vt & Pater vester, qui in cælis est, dimittat vobis peccata vestra.* Quibus verbis ostendit, non solam fidem sufficere ad aliquid à Deo obtinendum, sed requiri maximè caritatem fraternam.

6. *Oratio & ieiunium.* Requirit præterea Dominus orationem, quæ fidei speique instrumentum est: requirit & ieiunium. cùm enim potestatem haberent Apostoli pellendi dæmones è corporibus, non potuerunt tamen adolescentem obsessum liberare; Christus verò inter ceteras & hanc rationem attulit: *Matth. 17.* *Hoc genus dæmoniorum non eijcitur, nisi per orationem & ieiunium.* quasi dicat: Malorum genera alia alijs sunt grauiora, & dæmonum alij alijs potentiores, rerum agendarum quædam alijs magnitudine præstant; solus Deus nouit quid expediat, potestque omnia: vobis non ita erit sine recursu ad Deum, vt sciatis potentiam hanc non à vobis, sed ab omnipotente prouenire, & cum dependentia & limitatione concedi.

Fides miraculorũ hæc & plura complectitur & requirit; nec mirum; stupenda enim sunt, quæ hac promissione continentur; atque benignissimus Deus hominibus, vt in partem omnipotentiæ suæ veniant, indulsisse videtur. Res admodum prodigiosa fuisset, si mons Oliueti (hic enim fortè designabatur) à loco suo, & per aërem in mare, longo spatio translatus abijsset. Imperare dæmonibus, eosque, qui rectores mundi huius sunt, ex sua possessione pellere, res admiratione digna est;

est; sed maius est à saxis & rupibus audiri, illa ipsa parêre homini mortali, moueri loco, per aëra deferri. hanc tamen potestatem Dominus sponte & insinuare, & polliceri, & re ipsa hominibus largiri voluit.

Apostolos illam exercuisse non legitur; non sequitur tamen non fecisse: maiora præstiterunt, dum infinitam vim hominum à seruitute dęmonũ ad veri Dei cultum transtulerunt, & vita functos à mortuis excitarunt. In India certè à Beato Thoma Apostolo confecta olim haud inferiora[a] legimus. *Prodigia facta 1. ab Apostolis.*

[b] Miranda nostra sæculo his non minora testãtur[c] historiæ. De montis translatione in particulari per Gregorium Thaumaturgum, ita scribit[d] Eusebius Cæsariensis: *In quodam loco ruris angusti cùm res posceret Ecclesiam construi, rupes quædam vicini montis ex parte Orientis obiecta, ex alia verò præterfluens fluuius, spatium, quantum Ecclesiæ sufficeret, denegabat: & cùm alius omnino non esset locus, omnesq́; mœstitiam gererent, quòd solum ad construendam Ecclesiam non haberent; ille fide plenus pernoctasse in oratione dicitur, & Dominũ* IESVM *promißionis suæ admonuisse fideliter, qua dixit,*[e] *Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic, Tolle te, & mitte te in mare, & vtique fiet. cumq́; hæc plena fide atque deuotione deposceret, ad lucem coëuntibus populis, inuenta est rupes importuna secessisse tantum, quantum spatij ad condendam quærebatur Ecclesiam.* Hæc Eusebius. quibus simile est, quod ibidem de lacu ab eodem siccato narrat.

a P. Petrus du Iarric lib. 2. histor. Indiæ Orient. c. 17.

b 2. *A Viris Apostolicis.*

c P. Petrus du Iarric Vbi supra cap. 28.

d Lib. 7. Eccles. histor. cap. 24. in editione Vetusta Parisiensi.

e Matth. 17. & 21.

Verumenimuero etsi non omnes ad fiduciæ excellentiam illam attingant, aut donum miracula patrandi assequi queant; possunt tamen virtutes iam dictas comparare: fidem intensam, confidentiã eximiam, profundam humilitatem, conscientiam puram, caritatem in Deum & homines singularem, resignationem absolutam ad nutum diuinæ voluntatis, studium orationis, & carnis Deo rationique subijciendæ potestatem. Hoc ipsum voluit Dominus, cùm ait: *Habete fidem Dei.* Non dixit: Transferte montes, euellite profundas arbores verbo, arefacite ficulneas, miracula patrate. Hæc certè non sunt in nostra potestate. Quid ergo? *Habete*, inquit, *fidem Dei.* Hoc in vestra & omnium est potestate. Nihil mandat Deus impossibile, imò & *mandata eius grauia non sunt.* Fidem Dei habere & iubemur & tenemur; hanc curemus: de miraculis viderit Dominus, qui nullum tale præceptum ad salutem necessarium nobis præscripsit. Non ergo hîc artem montes transferendi, aut faciendi miracula, profitemur, (sicut nec Christus) sed pellendi incredulitatem ac diffidentiam, acquirendæ augendæque fidei; artem pellendi è nobis dæmones & vitia, nos ipsos superandi, calcandi superbiam, cupiditatem frenandi, extinguendi libidinem; artem acquirendi heroicas virtutes, diuinam gloriam in proximorum salute procuranda promouendi, pro Christo Domino & eius Ecclesia multa

3. *A studiosis Perfectionis.*

Marci 11.

1. Ioan. 5.

& grauia ſuſtinendi, mortem denique acerbam & ignominioſam ad imitationem Capitis noſtri oppetendi.

Virtus grani ſinapis cum fiducia comparatur.
a *Matth. 17.*
1. Cor. 13.

Ad hæc acquirenda, fides confidentiæ iuncta adeò valet, vt non immeritò Chriſtus dixerit: [a] *Si habueritis fidem ſicut granum ſinapis, nihil impoſsibile erit vobis.* Ergóne minima fides montes transferet? quod enim eo minus inter grana? Vtinam & nos omnes fidem haberemus ſicut granum ſinapis! quæ à Beato Paulo *omnis fides* dicitur, *ita vt montes transferat.* Hac enim ſententia Chriſtus doctrinam, quam hactenus tradidimus, luculenter expreſſit ac comprobauit. In grano ſinapis duæ res ſunt: vna, moles grani; quæ ſanè exigua eſt: altera, vis quæ eidem ineſt; & hæc omnino magna eſt. Talis eſſe debet eius confidentia, qui aliquid ad Dei gloriam aggredi cupit. Ex parte hominis adeò parua ſit neceſſe eſt, vt planè de viribus ſuis diffidat, ſe nihil poſſe arbitretur, ſe abijciat ac deprimat coram Deo quantum poteſt, inſtet orationi, ieiunijs carnem affligat, denique oſtendat nullum granum minus eſſe ſeipſo; ex parte verò Dei, vis confidentiæ maxima eſſe debet: etſi enim [b] *granum ſinapis minus ſit omnibus ſeminibus; cùm creuerit, maius eſt omnibus oleribus, & fit arbor, ita vt volucres cœli veniant, & habitent in ramis eius.* quod indicium latentis eximiæ virtutis eſt; ſicut & nos experimur: dum enim teritur dentibus, aut editur, acrimoniam habet, viuacitatem, vehementiam, feruoremque ſuum exerit, cogit ſternutare, & lacrymas elicit. Hæc omnia & plura efficiet confidentia, ſi ſe homo demittat, omnem vitet oſtentationem, fugiat gloriam; ſi humilis haberi nolit, ſed vilis reputari; ſi ea, quæ hominum iudicio alta magnaque putantur, auerſetur; ſi ex oppoſito ſentiat de Domino in bonitate, eius omnipotentiam ſuſpiciat, auxilium imploret, ipſum veneretur, eius gloriam deprædicet, propenſam eius ad opitulandum humilibus voluntatem diligenter perpendat & ruminet, totam denique fiduciam & diffidentiam ſui & impotentiam in eum proijciat. Is ſi montes non transferat, ſolem non ſiſtat, dæmones profectò ex animo ſuo & aliorum propellet, cum omnium vitiorum caterua; & longè maiora efficiet, quàm ſi, virgam Moyſis manu tenens, prodigia omnia Ægypti iteratò renouaret.

In grano ſinapis duo eſſe, & in confidentia.

1. *Diffidentia ſui.*

2. *Fiducia in Deum.*
b *Matth. 13.*

Sap. 1.

CAPVT

CAPVT XLII.

Formula ſpei exercendæ, ad res maximè difficiles ſuperandas, operaq; heroica exercenda.

239 QVID ergo nobis timendum eſt, cùm longè plures à nobis ſtent, quàm aduerſum nos? & ſanè Dei virtus & potentia, coniuncta ſimul eius beneuolentia, inſtar eſſe debent omnium; ipſe etenim & nobis bene vult, & in nobis de hoſtibus ſuis cupit triumphare.

Si igitur exurgat tentatio, formula nimirum fortiter agendi tradenda eſt, aliquot cautionibus comprehenſa; quarum prima hæc eſt: Si, inquam, perſecutio excitetur contra te, ſi iniuria inferatur, ſi impingatur calumnia, ſi contumelia tibi coràm affingatur, cum magnæ confuſionis atque ignominiæ rubore, ſi quis te etiam percutiat; illico (quod omnium primum eſſe debet) ad Dominum te conuerte: huius enim defectu minima occaſione oritur in nobis maxima perturbatio, quam tamen generoſus pugil nullo modo debet admittere. *Cautio prima. Modus ac ratio aduerſa tolerandi.*

Principijs obſta, ſerò medicina paratur,
Cùm mala per longas inualuere moras.
&: *Turpiùs eijcitur, quàm non admittitur, hoſpes.*

Vrget enim horrendè dolor iraque, ex quibus illa perturbatio conflatur: ſolicitat hæc vt locum in te inueniat; pulſat, inſtat, pertentat an repulſam paſſura ſit: quòd ſi te non opponas, tunc, quaſi in poſſeſſionem furibunda penetrat. Vt ergo non admittatur, memor eſto oratiunculæ quam inter iaculatorias repoſuimus; vt in primis ſic preceris cum D. Paulo: *Domine, quid me vis facere?* & Dominus ad te: *Expecta Dominum, viriliter age, & confortetur cor tuum, & ſuſtine Dominum.* *Act. 9. Pſal. 26.*

Vult Deus in primis, vt cogitationes acriores, quæ inſtant & vrgent, tranquillitatem tuam ac pacem turbaturæ, ſuſpendas; certò tibi perſuadens, eam Dei eſſe voluntatem, idque à te omnino exigere, vt nimirum id temporis alia de re cogites, ipſum audias, expectes eius conſilium, ipſum ſuſtineas: teque obteſtatur vt id facias per omnia ſacra, & beneficia quæ tibi vmquam contulit, de eius auxilio nihil dubites; hoc de euentu rei exploratum habeas, quòd optimè rebus tuis conſulet, iniuriam vlturus ſit ipſe, tui, vt pupillæ oculi ſui, rationem ſit habiturus.

In hac appetentis pugnæ acie retundenda magna vis conſiſtit: in hoc maximè puncto (ſi in aliquo) inſigne PERFECTIONIS elucet argu-

argumentum. Quoniam primi motus in nostra potestate non sunt, longaque homini experientia ad eos exorientes opprimendos opus est; magnus vsus ac necessitudo inter Deum & hominem intercedat necesse est, vt hunc ineuntis pugnæ furorem quispiam arcere ac sustinere valeat.

Sed qua ratione postulantis Domini desiderio, constanter vt resistas, respondebis? Hanc rationem suggerit Psaltes Regius; vt nimirum statuas ac dicas, quod & dixit ipse tali casu: *Dixi, Custodiam vias meas, vt non delinquam in lingua mea. Posui ori meo custodiam, cùm consisteret peccator aduersum me. Obmutui, & humiliatus sum, & silui à bonis.* Optima resolutio, Deoque gratissima, iniuriam verò patienti vtilissima. Tace, nec de bonis quidem loquere. Omnino tace, si fieri potest. Si loquendum, caue ne initio refutes calumniam: alioquin primum, *de sustinendo Domino,* præceptum non seruabis, in tui defensionem plus æquo incensus. Quòd si ex naturæ imbecillitate dolorem animi impedire non possis; tum ad Deum intentiùs conuertere, cum Propheta dicens: *Redde mihi, Domine, lætitiam salutaris tui, & spiritu principali confirma me.* Si verò Dei ope hoc primo congressu victoria potiaris, id de te statuo: *Dimidium facti, qui bene cœpit, habet.* Potiores partes in hostem obtinuisti.

Psal. 38.

Psal. 50.

Verumenimuero, etsi vtcumque pacem retineas, natura tamen natura est; nec potest tentationem aut persecutionem non persentiscere, non vtcumque affligi: nec persecutor importunus idcirco ab incepto desistet. Patientia & constantia opus erit, imò & magnanimitate.

Si verò contingeret perturbationem, iram, aliámve affectionem animum penetrasse, eiusque tranquillitatem ac pacem ob peccatum admissum turbasse; ne animum propterea abijcias, sed te facti admissi pœniteat: tum rursus incipe, & alacriter perge, iuxta ea quæ nunc subijciemus. Quod etiam seruandum est, si eadem culpa in progressu contingeret: fragiles enim & labiles sumus; quod per infirmitatem admittitur, facilè à Deo indulgetur. Imò eidem displiceret, si totum abijceres: & nihil aliud cacodæmon intendebat, dum te in eam perturbationem inducere moliebatur.

Cautio 2. Altera cautio est, vt Deo accidens te eius beneplacito planè resignes ac subijcias; eique gratias agas, quòd te dignum faciat aliquid pro iustitia eiusque nomine perpetiendi: nec ab eo discedas, quin animi quietem in hac resolutione nactus sis.

Cautio 3. Tertia cautio. Maximam tui diffidentiam concipies: solet enim vana gloria atque arrogantia, vbi vel minimus successus affulget, illico irrepere, finesque vani sese ingerere; quibus animus commendationes hominum ac auram popularem subolfacit; & admirationem eorum

con-

considerans, rem agendam quidem concipit, sed non eo modo, quo principiò statuerat. Diffidens ergo, & quàm demississimè de se rebusq; suis sentiens, Deo commendet hanc sui diffidentiam: quam si sartam tectam obtineat, accipiet, & quidem magna grati animi significatione, tamquam donum singulare de manu illius; rogans pro futuro, vt inanem vanitatem hanc sic comprimere dignetur, tantumque odium in illam ingenerare in animo, vt nullum hostem reputet capitaliorem, nullum malum pestilentius, subdola illa voluptate, quæ operi tanto, quod aggreditur, se substernere conatur, quod suo tempore auctum diruat planè atque subuertat.

Adde & quartam: Patronos tuos tutelares esse in auxilium aduocandos. Accedas in primis supremum illud votorum omnium subsidium, Dei Matrem; eique supplex identidem & continenter negotium tuum commenda ac committe: non enim satis est id semel, iterum, iterumque fecisse; centies id præstandum est, multis diebus, annis, & lustris, si difficultas vel res superanda vel perficienda tamdiu durauerit. Item Angelum tuum præsidem precare. In hunc finem tua omnia opera referas. Adhibe orationi ieiunium, &, si liceat, etiam eleemosynam; nec finem facias, donec Dei manum apertam eiusque extenta ad tibi opitulandum brachia videris. *Cautio 4.*

Quinta. Adhibe interea diligentiæ quidquid poteris; sapientum vtere consilijs; caue tibi à passione, quæ in re adeò sublimi nouercã sese exhibet, non veram heroicæ actionis matrem; excludit mansuetudinem & patientiam, Deique dispositionem abrumpit. *Cautio 5.*

Sexta. Spem omnem in Deum conijce, qui paratior est ad te iuuandum, quàm hostes ad te oppugnandum: ab eo media hostem propellendi exposce. Reminiscere tibi ab Isaia aquilæ alas esse datas; vt ad ipsum consilia opemque accepturus transuoles. Apprehende manibus & brachijs Deum adiutorem tuum, facinorum illustrium auctorem tene fortissimè; certò sciens tot gradibus te Deo fore viciniorem, quot accessionibus spem tuam auxeris ac cumularis. Certè dici non potest, quantum ab eo luminis reportaturus sis. Hostem tuum ex altiori ac potiori loco inopinatò circumuenies; tibique priùs prospexeris, quàm is tibi nocere potuerit. *Cautio 6.* *Isaia 40.*

Certissimè deinde tibi persuadeas, longè facilius esse, cum iniusto ac maligno, quantumcumque callido ac subdolo, Deo adiutore confligere, quàm cum eo qui ratione iustisque causis niti videtur, etsi potentia altero longè sit inferior. Testimonio enim optimo conscientiæ tuæ tibi robur accedit, & iustitia causæ miram parit constantiam.

Septima. Si quid ex voto contingat, caue ne extollaris, quasi meritis tuis aliquid euenerit; sed impensè Deo gratias habe, cuius ope felici- *Cautio 7.*

feliciter inchoasti. Time semper rei exitum; qui longè tristior erit, si tua culpa aut superbia, post tot susceptos labores, infeliciter in caput tuum deuoluatur. *Non quæruntur*, ait Hieronymus, *in Christianis initia, sed finis*.

Epistola ad Furiam 10. cap. 2.

Cautio 8. Octaua. In omnibus medijs, quæ adhibes, prudenter agas. De aduersario aut bene, aut non malè loquaris. Recordare huius consilij Dominici: *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, & orate pro persequentibus & calumniantibus vos: vt sitis filij Patris vestri, qui in cælis est; qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos*.

Matth. 5.

Cautio 9. Nona. Illud in postremis æstimari non debet, vt expugnata difficultate gratias Deo sæpius referas: vt intelligat te arbitrari ac sentire, non ipsum, sed te beneficium accepisse; qui plus honoris beneficijque tibi detulit, etiam multa eius causa patienti, quàm merebare.

Cautio 10. Denique si nihil succedat adhibita omni diligentia; ne idcirco animum contrahas, aut succenseas: cogita ipsum omnium esse Dominum; tibi gratum acceptumque esse debere, quidquid in oculis eius bene visum fuerit; conscium ipsum esse omnium quæ passus es; experiri hac ratione constantiam tuam; difficile ipsi non esse, aduersos casus in felicissimos successus conuertere; æternis rationibus ac consilijs alia intendere, & hoc rerum euentu disponere ac viam sternere; delictis tuis ac peccatis hanc probationem deberi; post tenebras diem elucescere; denique inter virtutes eam non esse minimam, quæ resignatio vocatur, seu conformatio nostræ cum Dei Optimi Maximi voluntate. Et hæc quidem de difficultate superanda.

240. Eadem ratio seruari debebit, quando opus alicuius momenti aggredimur; hac sola differentia, vt loco primæ & secundæ cautionis Deo offeras opus quod aggredi decreueris, humiliter eius beneplacitum exposcens: cuius Spiritu duce si sentias suscipiendum, illum tibi finem præstitue, qui Deo placeat, cedatque ad eius gloriam; illique toto corde, summa animi demissione, offeras, dedas, ac consecres, adhibitis de cetero alijs cautionibus iam explicatis.

CAPVT

CAPVT XLIII.

Exempla quædam illustria, quibus hominis in Deum confidentis omnipotentia ostenditur.

241. HÆC itaque ratio est, qua sancti Patres nostri euasere omnipotentes; summè de seipsis diffidentes, summè de gloria Dei soliciti, nec minùs de superbia sua retundenda, de seipsis abijciendis, deprimendis, calcandis; eius præsidio planè subnixi, qui sperantibus in se non deest. Vtinam homines hanc artem perdiscerent! Principes sanè orbem breui subiugarent, atque imperio suo adijcerent; rarò subditos haberent rebelles. Sic enim Iosue exiguo spatio totius Palæstinæ Reges deuicit, terram promissionis possessionesque occupauit, & Israëlitis distribuit; summaque pace stabilita cum toto populo conquieuit: sic Dauid Rex circumstantes populos, qui post memoriam hominum perpetuò Dei gentem afflixerant, bellisque illatis vexauerant atque attriuerant, paruo tempore domuit: sic denique Machabæi Iudæos à Dei cultu ad idola degenerantes, Reges item & tyrannos terram illam inuadentes, diuina virtute nixi, contriuerunt, &, restituta pace, gloriosum veri Dei nomen longè lateque per orbem disseminarunt. *Exempla.* *Iosue.* *Dauid.* *Machabæi.*

Hos imitatus Constantinus Imperator, de Maxentio eiusque exercitu admirandam victoriam reportauit, Crucis virtute, cui fidebat; de quo Prudentius: *Constantinus.*

Hoc signo inuictus transmissis Alpibus vltor
Seruitium soluit miserabile Constantinus,
Cùm te pestifera premeret Maxentius aula.

Lib. 1. contra Symmachum; post medium.

Post hunc eodem præsidio Maximinum oppressit; de quo sic scribit Nicephorus: *Maximinus bellum maximum irreconciliabili odio mouit, breuiùs res omnes miscuit & turbauit, exercitum collegit, ingentes innumeræ multitudinis copias contraxit, spe & fiducia dæmonum, nec non armatorum turba plurima seductus. Itaque etiam Imperator Constantinus vnà cum Licinio Cæsare Roma terra mariq; Orientem versus profectus est, cum exercitu forti & robusto; quo tamen ille non tantum, quantum ipsius Crucis armatura, confidebat: & posteaquam in Bithyniam ventum est; contra sceleratum hostem, signa infesta iam inferentem, maxima cum fiducia acie instructa progreditur. Iusserat autem Constantinus Magnus Crucis signum præferri, quod à Romanis antea labarum dicebatur, signis militaribus alijs longè præstantius, quòd id à militibus præferri & adorari lege cautum fuerit. Quam ob causam etiam Constantinum puto celeberri-* *Lib. 7. cap. 37.*

berrimum Romani imperij vexillum in Christi signum mutasse; vt frequenti eius spectaculo & cultu subditi in dissuetudinem pristinæ superstitionis venirent; eumq; solum Deum esse arbitrarentur, quem Imperator & Duces eius colentes, propugnatore aduersus hostes vterentur. Hoc igitur signum præferri, & laborantibus periclitantibusq; cohortibus adesse, atque à satellitibus per vices in humeris gestari, ordinesq; cum eo circuire iusserat. Salutifera hæc armatura cùm sic Constantini aciem præiret; Maximinus suis præcepit, vt, quicumque collimare certoq; iaculari possent, in signum id tela conijcerent, atque in ipsum confertim cum impetu ferrentur. Quapropter is qui id ferebat, (dicitur autem Græcæ superstitionis fuisse) metu perculsus, alij portandum tradere festinauit. Atque ibi alter quidam, patre martyre prognatus, alacriter admodum prosiluit, thoracem & galeam longè à se abiecit, solaq; tunica tectus signum Crucis arripuit. Porrò ille qui sibi à telorum ictibus cauerat, letali vulnere accepto, concidit: qui verò sacratum Crucis signum ferebat, quamuis densæ niuis instar tela in eum conijcerentur, à nullo tamen est vulneratus; nam præter opinionem omnem, diuina quadam virtute tela ab hostibus emissa, hastæ signi illisa atque impacta, ab eo qui id ferebat, in medio armorum discrimine versante, auolabant. Dicitur prætere, atque à Dei amantibus viris creditur, nec alio vmquã tempore, qui signum id tulerit, in sinistrum decidisse casum, aut vulneratum captúmve esse. Ceterùm, prœlio commisso, tyrannus, qui detestandis magorũ imposturis fretus fuerat, interiore quoque tunica abiecta, militariq; habitu sumpto, cum paucis admodũ, qui ei bene volebant, euadens, quàm celerrimè, quò eum pedes ferebant, profugit; & vicum alium alio mutãs, vix se ex hostiũ manibus subduxit. Hæc Nicephorus.

242. Cum Licinio verò ter iusto prœlio congressus est Constantinus: semel Cybali in Pannonia, iterum in Thracia, tertiò Nicomediæ. Ter victoriam retulit deuicto tyranno; nec deuicto tantùm, sed & capitali sententia in eum lata morte mulctato. Hæc tria trophæa Constantinum statuisse, hasque tres laureas adeptum esse solito præsidio, hoc est, Crucis potentia & virtute, tradit Eusebius, qui post multa sic ait: *Cùm exercitus essent iam prœlium inituri; qui amicitiæ fœdera ruperat,* (nempe Licinius) *primùm dimicare exorsus est. Ibi Constantinus Dei omnium Seruatoris auxilio implorato, signoq; isto suis militibus dato, in prima dimicatione hostes expugnauit: deinde non longo tempore pòst secunda etiam pugna tulit superiores; atque adeò iam salutari Seruatoris vexillo exercitum suum antecedente, præclariora victoriæ trophæa consecutus est: nam qua in parte istud Crucis vexillum visum fuit, hostes fugam capiebant, quos victores persequebantur. Qua re intellecta, Imperator, sicubi partem aliquam sui exercitus languentem cernebat, ibi salutare illud vexillum, tamquam quoddam subsidium ad victoriam obtinendam, locari mandauit, cuius adiumentis extemplo parta est victoria: quippe dimicantium vires diuina quadam potentia fuerunt admodum confirmatæ.* Hæc Eusebius.

Lib. 2. vita Cõstant. c. 3. & 4.

243. Theodosius quoque senior, cum Eugenio tyranno de rerum summa decertaturus, salutiferæ Crucis vexillum prętulit: & cùm nonnulli, ob dubium euentum, suaderent Imperatori vt bellum ad proximum veris initium differret; Imperator fidelissimus eorum responsum repudiauit, auctore Theodoreto: nam, *Non committendum est*, inquit, *vt salutaris Crux tantæ arguatur imbecillitatis, Herculisq́ statuæ* (hanc enim suo exercitui præferebat Eugenius) *tantum virtutis nostro testimonio tribuatur; quippe vt Crux nostrum exercitum, ita illa hostium antecedit*. Crucis igitur virtute victoriam adeptus est, capto & interfecto tyranno, copijsque omnibus exitu planè insperato aut deletis, aut in fœdus receptis; & visis, pridie quàm pugnatum est, duobus Apostolis Ioanne & Philippo, qui trepidanti & anxio exercitui animum ad pugnam addiderunt. *Theodosius.* *Lib. 5 hist. c. 24*

244. Imperatorum Romanorum pietatem imitatus est Osualdus Anglorum Rex, qui Crucem statuit, & ad eam cum toto exercitu suo preces fudit, priusquam manus consereret cum impio Britonum Duce. Regis verò fiduciam non modò læta victoria, sed & plurimis miraculis Deus remunerauit atque illustrauit. Gratum erit Bedam rei seriem fideliter narrantem audire. *Ostenditur*, inquit, *vsque hodie & in magna veneratione habetur locus ille, vbi venturus ad hanc pugnam Osualdus signum sanctæ Crucis erexit, ac flexis genibus Deum deprecatus est, vt in tanta rerum necessitate suis cultoribus cælesti succurreret auxilio. Denique fertur quia facta citato opere Cruce, ac fouea præparata, in qua statui deberet, ipse fide feruens hanc arripuerit, ac foueæ imposuerit, atque vtraque manu erectam tenuerit, donec, aggesto à militibus puluere, terræ figeretur; & hoc facto, elata in altum voce, cuncto exercitui proclamauerit, Flectamus omnes genua, & Deum omnipotentem viuum ac verum in communi deprecemur, vti nos ab hoc hoste superbo ac feroce sua miseratione defendat: scit enim ipse, quia iusta pro salute nostræ gentis bella suscepimus. Fecerunt omnes vt iusserat; & sic incipiente diluculo in hostem progressi, iuxta meritum suæ fidei victoria potiti sunt. In cuius loco orationis, innumeræ virtutes sanitatum noscuntur esse patratæ, ad indicium videlicet ac memoriam fidei Regis: nam & vsque hodie multi de ipso ligno sacrosanctæ Crucis assulas excidere solent; quas cùm in aquas miserint, ijsq́ languentes homines ac pecudes potauerint, siue asperserint, mox sanitati restituuntur*. Hæc Beda. *Osualdus.* *Lib. 3. hist. Angl. c. 2. tomo 3.*

245. O vtinam Reges exemplo sanctorum Imperatorũ, manus conserturi, spem omnem suam in Deo reponerent, eius vnicam gloriam & publicæ rei bonũ quærentes! *Non est abbreuiata manus Domini*. Scripturæ nihil pæne aliud continent: veteris Testamenti paginæ hisce mirandis virtutibus plenissimæ sunt; vt meritò Dauid, qui experimento didicit hoc Dei præsentissimum auxilium, Regibus quasi succensens inclamet, *Adhortatio.* *Isaia 59.*

Psal. 2. met, *Et nunc Reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram: seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore: apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus, & pereatis de via iusta. Cùm exarserit in breui ira eius, beati omnes qui confidunt in eo.*

246. Victoriæ ac trophæa de hostibus spiritualibus reportata, toto nouo Testamento explicantur: mirandumque magis est, duodecim homines vel piscatores, vel sortis humilioris, dæmonis, Imperatorum, Principum, tyrannorum minas tormentaque contempsisse, superasse, irrisisse; imò idipsum tenellos pueros præstitisse; puellulas vix duodennes aliosque infinitos de illis magna gloria triumphasse; pauperes denique homunculos tot hominum millia ad fidem conuertisse, ad Crucifixum adorandum, eundemque Deum esse profitendum, adduxisse; vniuersum denique orbem Christianis legibus ac gloria illustrasse; *vt in nomine* IESV *omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum:* longè, inquam, maius est, quàm exercitum quantumcumque copiosum profligare. illi enim semel id fecerunt, quotidie Christi pugiles hostem sternunt: illi numerum ceciderunt qui possit iniri, hi innumerabiles profligant: illi visibiles aduersarios, hi inuisibiles iuxtà ac visibiles Christo subijciunt: illi denique mortales & natura imbecilles, hi fortissimos dæmones; eorumque victoriæ trophæum, sperantium (inquam) in Domino, fidem plantarũt, fracta sublataque superstitione. Religio Christiana viget & vigebit; & si contingat hominũ incuria ac peccatis ad tempus flaccescere, non deerunt filij, qui parentum virtute inflammati exurgent, ruinasque rursus excitent atque erigant: vt Deus cognoscatur idem esse, qui semper fuit; *magnificus in sanctitate, terribilis atque laudabilis, faciens mirabilia.*

(Philip. 2. — Exod. 15.)

Hactenus de Praxi & Negotiatione spirituali in genere: nunc de vsu exercitioque virtutum & vitiorum in particulari dicendum foret. Deus nobis vitam, otium, gratiamque largiatur; cui honor & gloria in sæcula sæculorum.

AMEN.

SACRÆ SCRIPTVRÆ TESTIMONIA HOC OPERE EXPLICATA.

Primus numerus designat paginam ; secundus numeros qui textui inseruntur, cum nota litteræ n.

GENESIS.

EXODVS.

DEVTERONOMIVM.

IOSVE.

LIBER IVDICVM.

I. REGVM.

II. REGVM.

III. REGVM.

IV. REGVM.

II. PARALIP.

TOBIAS.

4 *Si multum tibi fuerit, abundanter tribue. 286*
Omni tempore benedic Deum, & pete ab eo vt vias tuas dirigat. 177
12 *Quando orabas cum lacrymis, & sepeliebas mortuos, ego obtuli orationem tuam Domino. 377.*

IVDITH.

10 *Quis contemnat populum Hebraorũ, qui tam decoras mulieres habent; vt non pro his meritò pugnare contra eos debeamus? 206.*

ESTHER.

15 *Vidi te, Domine, quasi Angelum Dei, & conturbatum est cor meum pra timore gloria tua: valde enim mirabilis es, Domine, & facies tua plena est gratiarum. 307.*

IOB.

1 *Nudus egressus sum de vtero matris mea. 104. n. 5. & 136*
3 *Qui adificant sibi solitudines. 457 458*
10 *Manus tua fecerunt me, & plasmauerunt me totum in circuitu. 63. n. 4*
Memento, quaso, quòd sicut lutum feceris me. Nónne sicut lac mulsisti me? 77
16 *Ego ille quondam opulentus, repentè cõtritus sum, &c. 102. n. 3. & 108. n. 10*
28 *Nescit homo pretium eius, nec inuenitur in terra suauiter viuentium. Non dabitur aurum obryzum. 434*
31 *Ab infantia mea creuit mecum miseratio. 54. n. 12.*

LIBER PSALM.

2 *Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion. 14. n. 6*
7 *Nisi conuersi fueritis, gladium suum vibrabit. 316*
17 *Qui perfecit pedes meos tamquam ceruorum. 29. n. 3.*
Persequar inimicos meos, & comprehendam illos; & non conuertar, donec deficiant. 428
18 *Non est qui se abscondat à calore eius. 320*
22 *Parasti in conspectu meo mensam, aduersus eos qui tribulant me. 479*
26 *Expecta Dominum, viriliter age, & confortetur cor tuum, & sustine Dominum. 398. & 547*
32 *Qui finxit sigillatim corda eorum. 64*
38 *Dixi, Custodiam vias meas, vt non delinquam in lingua mea. Posui ori meo custodiam. 398. & 548*
Ecce mensurabiles posuisti dies meos, & substantia mea tamquam nihilum ante te. 159
39 *Expectans expectaui Dominum, & intendit mihi. 385*
43 *Si obliti sumus nomen Dei nostri, & si expãdimus manus nostras ad Deum alienum; nónne Deus requiret ista? 517*
44 *Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate. 53. n. 10*
50 *Tibi soli peccaui, & malum coram te feci. 42. n. 3*
Redde mihi lætitiam salutaris tui. 398. 548
Sacrificium Deo spiritus contribulatus. 369
54 *Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem vtique, &c. Tu verò homo vnanimis, dux meus, & notus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos. 535*
68 *Quarite Deum, & viuet anima vestra. 449*
69 *Deus in adiutorium meum intẽde, 388*
79 *Qui sedet super Cherubim. 138*
83 *Beatus vir cuius est auxilium abs te; ascensiones in corde suo disposuit. 370*
Ibunt de virtute in virtutem: videbitur Deus Deorum in Sion. 58. n. 17
89 *Omnes dies nostri defecerunt, & in ira tua defecimus. 159*

PROVERBIA.

ECCLESIASTES.

CANTICA.

SAPIENTIA.

ECCLESIASTICVS.

ISAIAS.

Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te. 31. n. 6
21 Si habueritis fidem, & non hæsitaueritis, non solum de ficulnea facietis, sed & si monti huic dixeritis, Tolle, & iacta te in mare; fiet: & omnia quæcũque petieritis in oratione credentes, accipietis. 541
25 Intra in gaudium Domini tui. 345

MARCVS.

11 Habete fidem Dei. Amen dico vobis, quia quicumque dixerit huic monti, Tollere, & mittere in mare; & non hæsitauerit in corde suo, sed crediderit, quia, quodcumque dixerit, fiat; fiet ei. Propterea dico vobis, omnia quæcumque orantes petitis, credite quia accipietis, & euenient vobis. 541

LVCAS.

1 Dabit illi Dominus Deus sedem Dauid patris eius, & regnabit. 14. n. 6
Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? 34. n. 10
Exultauit in gaudio infans in vtero meo. 35. n. 11
Tu puer, Propheta Altissimi vocaberis. 35. n. 11
3 Potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ. 90. n. 25
9 Nihil tuleritis in via, neque virgam, neque peram. 146
Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucẽ suam. 471
10 Homo quidam descendebat ab Ierusalem in Iericho. 102. n. 3
Imposuit oleum & vinum. 121. n. 1
Qui vos audit, me audit. 382
11 Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea quæ possidet. 168. 169
17 Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis huic arbori moro, Eradicare, & transplantare in mare; & obediet vobis. 541
22 Reges gentium dominantur eorum, &c. vos autem non sic. 15. n. 6
24 Sedete in ciuitate, quoadusque induamini virtute ex alto. 239.

IOANNES.

1 Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. 1. n. 1
Quod factum est, in ipso vita erat. 3. n. 4
Et vita erat lux hominum. 183. n. 31
4 Qui biberit ex aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. 26. n. 15. & 141. & 142
6 Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo. 344
7 Si quis sitit, veniat ad me, & bibat, & de ventre eius fluent aquæ viuæ. 26. n. 15
15 Sine me nihil potestis facere. 22. n. 6
Hæc mando vobis, vt diligatis inuicem. 249
Si quis in me non manserit, mittetur foras, & arescet. 341
Si manseritis in me, & verba mea in vobis manserint; quodcũque volueritis, petetis, & fiet vobis. 538
16 Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. 539
17 Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti IESVM Christum. 185
19 Erat autem tunica inconsutilis, desuper contexta per totum. 242
20 Introiens Petrus in monumentum, vidit linteamina posita, & sudarium quod fuerat super caput eius. 331.

ACTA APOST.

1 Domine, si in tempore hoc restitues regnum Israël? 15. n. 6
2 Omnes qui credebant, erant pariter, & habebant omnia communia 34. n. 10
3 Viri Israëlitæ, quid miramini in hoc, aut nos quid intuemini, quasi nostra

AD ROMANOS.

I. AD CORINTHIOS.

Si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam. 543

15 Gratia Dei sum id quod sum, & gratia eius in me vacua non fuit. 53. n. 9.

Sicut portauimus imaginem terreni, portemus & imaginem cælestis. 241.

II. AD CORINTH.

2 Ne fortè tristitia abundantiore absorbeatur. 82. n. 19.

4 Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus. 139

6 Ecce nunc tempus acceptabile. 295

AD GALATAS.

3 Lex pædagogus noster fuit. 44. n. 6

Quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis. 53. n. 10

5 Si spiritu viuimus, spiritu & ambulemus. 179. & 463.

AD EPHESIOS.

2 In quo omnis ædificatio constructa crescit in templum sanctum. 51. n. 7

4 Vnicuique nostrûm data est gratia secundùm mensuram donationis Christi. 430

Crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus. 51. n. 7

6 Induite vos armaturam Dei, vt possitis stare aduersus insidias diaboli: quoniam non est nobis colluctatio aduersus, &c. 118

Obedite dominis carnalibus cum timore. 382

AD PHILIPPENSES.

2 Deus est qui operatur in vobis velle & perficere. 25. n. 14

4 Et pax Dei, quæ exsuperat omnem sensum, custodiat corda vestra. 243.

AD COLOSSENSES.

1 Ambuletis dignè Deo, &c. crescentes in scientia Dei. 51. n. 6

3 Super omnia autem caritatem habete, quod est vinculum Perfectionis. 222

Verbum Christi habitet in vobis abundanter. 341.

I. AD TIMOTHEVM.

6 Radix omnium malorum est cupiditas. 33. n. 9.

II. AD TIMOTH.

2 Labora sicut bonus miles Christi IESV. 377

Laborantem agricolam oportet primùm de fructibus percipere. 379.

AD HEBRÆOS.

7 Nihil ad perfectum adduxit lex. 44. n. 6

11 Fides est sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium. 500.

IACOBI.

2 Sicut corpus sine spiritu mortuum est, ita & fides sine operibus. 137.

I. PETRI.

1 Renati non ex semine corruptibili, sed ex incorruptibili, per verbum Dei viui. 137

2 Sicut modò geniti infantes lac concupiscite; vt in eo crescatis. 51 n. 6

Conuersationem vestram inter gentes habentes bonam; vt in eo quod detrectant de vobis, &c. 450.

II. PETRI.

1 Quomodo omnia nobis diuinæ virtutis suæ, quæ ad vitam & pietatem donata sunt, &c. 103. n. 4

Vt per hæc efficiamini diuinæ consortes naturæ. 104. n. 4.

I. IOANNIS.

2 Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ. 33. n. 9

Vos vnctionem habetis à Sancto, & nostis omnia. 332

3 *Omnis qui in Christo manet, non peccat. Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit, &c. & non potest peccare. 186. 224*

4 *Deus caritas est: & qui manet in caritate, in Deo manet, & Deus in eo. 222. 225*

Timor non est in caritate, sed perfecta caritas foras mittit timorem. 219.

IVDÆ.

Arbores autumnales, infructuosa, bis mortua. 54. n. 12.

APOCALYPSIS.

2 *Qui vicerit, & custodierit vsque in finem opera mea, dabo illi potestatem super gentes. 379*

3 *Ego sto ad ostium, & pulso: si quis aperuerit mihi ianuam, intrabo ad eum. 23. n. 9*

Qui vicerit, sic vestietur vestimentis albis, & non delebo nomen eius de libro vitæ. 286

22 *Ecce venio citò, & merces mea mecum est: reddere vnicuique secundùm opera sua. 276.*

INDEX

INDEX RERVM QVÆ HOC OPERE CONTINENTVR.

Primus numerus designat paginam; secundus numeros qui textui inseruntur, cum nota litteræ n.

570

FIDV-

P.

PASSIO CHRISTI.

PASSIONES ANIMI

PATIENTIA, & PATI PRO CHRISTO.

PAVPERTAS

PECCATVM, vide VITIVM.

TEN-

FINIS.

ERRATA.

Pag. 25. lin. 19. in marg. Lib. 1. Conf. *lege* Ser. 15. de verb. Apost. c. 11. *144. l. Vlt.* accederet *lege* accideret. *191. l. 37.* videndum *lege* videndam. *307. l. 11.* dominium *lege* Dominum. *360. l. 6.* Rodriguez *lege* Godinez. *369. l. 12.* solido *lege* solida. *463. l. 33.* tariùs *lege* carnis. *488. l. 18.* fortiusque *dele* que. *504. l. 21. post* habitum *adde* & vsum.

Taxatum à Superintendente, cum suis, 45. assibus.

583

APPROBATIO.

EGO *Guilielmus Veranneman, Societatis* IESV *per Flandriam Præpositus Prouincialis, potestate ad hoc mihi facta à Reuerendo admodum P. N.* CLAVDIO AQVAVIVA, *eiusdem Societatis Generali Præposito, facultatem concedo, vt libri duo De studio* PERFECTIONIS *à P. Ioanne Crombecio compositi, & grauium Theologorum eiusdem Societatis iudicio examinati & approbati, typis euulgentur: in cuius rei fidem has litteras manu nostra subscriptas, & sigillo nostro munitas, dedimus. Mechliniæ, anno Domini* 1613. 20. *Februarij.*

GVILIELMVS VERANNEMAN.

OPVS hoc P. Ioannis Crombecij De studio PERFECTIONIS ex integro à me lectum, præterquam quòd eruditum, sanam solidamque doctrinam è Scripturis sacris, sanctis Patribus, Doctoribus Scholasticis, alijsque Auctoribus, quorum verba fidelissimè redduntur, & citationes certissimè referuntur, continens, & in eo genere argumenti absolutum, sic spiritu plenum reperi, vt, cùm doceat simul moueatque & delectet, taleque omnino sit vt legi à nullo possit, quin seipso euadat doctior & melior; dignum propterea iudicem, non modò quod edatur, sed & quod omnium quibus sua curæ salus est, quosque PERFECTIONIS amor tangit, manibus teratur & versetur. Actum Antuerpiæ, 3. Iunij. 1611.

EGBERTVS SPITHOLDIVS
S. Theol. Licent. Canonicus &
Plebanus Antuerpiensis.

SVMMA PRIVILEGII.

ALBERTVS & ISABELLA Archiduces Austriæ, Duces Burgundiæ, Brabantiæ, &c. Diplomate suo sanxerunt, nequis citra voluntatem Ioachimi Trognæsij, Typographi Antuerpiensis, Opus hoc, *De studio* PERFECTIONIS, *per R. P. Ioannem Crombecium*, *Societatis* IESV, vllo modo imprimat, aut alibi impressum in has regiones importet, venaléve habeat. Qui secus faxit, confiscatione librorum & graui pœna multabitur; vt latiùs patet in litteris datis Bruxellæ, in Concilio Brabantiæ, 6. Iulij, 1611.

Signatum

I. de Buschere.

2.3.200


585.


2.3.200


588

590

592






Angelo Pandimiglio
restauratore
825650
8274800